



PRINCIPIA JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS, ET PARTICULARIS GERMANIÆ,

UBI AGITUR

DE NATURA, ORTU, ET PROGRESSU, FINE ET OBJECTO, FONTIBUS ORIGINARIIS, ET COLLECTIONIBUS ANTIQUIS, NOVIS ET NOVISSIMIS, AUTHORITATE, USU ET STUDIO JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS, NEC NON STATU PARTICULARI ECCLESIARUM GERMANICARUM, AC COLLECTIONIBUS JURIS ECCLESIASTICO-GERMANICI.

ACCEDUNT

QUÆSTIONES ALIÆ,

DE STATU ECCLESIÆ, ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA, DE LIBERTATIBUS ECCLESIARUM ITA DICTIS, VEL POTIUS PRÆROGATIVIS EARUM PRÆSERTIM GERMANICARUM, NEC NON DE PRÆROGATIVIS ET JURIBUS SPECIALIBUS ECCLESIÆ METROPOLITICO-SALISBURGENSIS.

TOMI IV.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

AUTHORE

P. GREGORIO ZALLWEIN,

Ord. S. Bened. Monasterii Wessofontani Superioris Bavariæ Professo, J. U. Doctore, Almæ & Archiepiscopalis Universitatis Salisburgensis Rectore Magnifico, nec non SS. Canonum Professore ibidem emerito, Celsissimi ac Reverendissimi Archi-Episcopi, & S. R. I. Principis Salisburgensis &c. Consiliario actuali intimo.

TOMUS II.

IN QUO AGITUR DE COLLECTIONIBUS JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS ANTIQUI, NOVI, ET NOVISSIMI, ITEM DE AUTHORITATE, USU, ET STUDIO ILLIUS.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VIND. ET OENIPONTI,

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXIII.

Omnia autem probate, quod bonum est, tenete.
1. Thessal. 5. v. 21.



PRÆFATIO.

Poſtquam in Tomo priori ea, quæ ad Jus eccleſiaſticum in genere pertinere videbantur, una cum *fontibus* ejusdem *originariis* dilucidavimus, ad explanandas triplicis generis *collectiones Juris eccleſiaſtici*, videlicet, *antiqui*, *novi*, & *noviſſimi*, quæ veluti tot rivuli ex fontibus promanarunt, accingimur. *Antiquum* auſpicamur ab ævo Chriſti & Apoſtolorum usque ad Decretum Gratiani & cæteras collectiones in *Corpore Juris* clauſas. *Novum* ſecundum noſtram opinionem conſtituunt ipſæ collectiones in *Corpore Juris* clauſæ (*). *Noviſſimum* denique derivamus ab illo tempore, quo Clemens V., qui ſedem Pontificiam Roma Avenionem in Galliam tranſtulit, e vivis exceſſit, & complectitur Canones conciliorum, Bullas, Decreta, & Brevia Pontificum, & Curiæ Romanæ, quæ interea emanarunt, atque extra *Corpus Juris* vagantur. Eſto enim ab illo tempore,

(*) Galli auſpicantur *Jus novum* in Collectione Pſeudo-Iſidoriana, cujus ratio eſt, quod ab illo tempore ferme tota Diſciplina eccleſiaſtica fuerit immutata.

quo ſedes Pontificia Avenionem fuit translata, plures Synodi generales fuerint celebratæ, innumera emanaverint Decreta Pontificia, ad quæ haud inepte reduxeris *Declarationes Cardinalium*, *Deciſiones Rotæ Romanæ*, *libros rituales*, *& cæremoniales*, nulla tamen amplius in lucem prodiit publicam Collectio Canonum & Decretalium authoritate Pontificis ſuſſulta, quamquam, ſi unquam, certe noſtris temporibus talis foret ſumme neceſſaria, ut, quæ adhuc ex antiquis Canonibus obtinent, vel per noviores ſubierunt mutationem, alterationem, & reformationem, aut quæ ſunt Jura particularia Pontificum, Epiſcoporum & Eccleſiarum particularium, vel univerſalis Eccleſiæ luculentius conſtaret, ne toties de finibus regundis agendum foret.

Equidem hoc ſcribendi argumentum aliunde eſſe tritum: centies a Scriptoribus eccleſiaſticis diſcuſſum, coctum & recoctum haud ignoramus: Placuit illud nihilominus recoquere, partim ne opus inceptum relinquamus imperfectum, partim quod nemo eorum, qui enucleandis hiſce collectionibus inſudarunt, ad palatum noſtrum ex integro ſcripſerit. Quidam longius, quam par erat, filum protraxerunt, alii in pertexendo ſuo argumento breviores fuere, plerique Collectiones nonniſi celebriores illuſtrarunt prætermiſſis haud paucis, quas prætermittere nefas duximus. Nos ſelegimus medium: nec fuſe nimis, nec contracte ſcribemus, non celebriores duntaxat, ſed etiam minus celebres Collectiones pro noſtro modulo illuſtraturi, quippe quod ab experientia ſciamus, nobisque firmiſſime perſuaſum habeamus, vel ſolam notitiam hujusmodi Collectionum plurimum utilitatis allaturam viris ad ſubliniorem eruditionem aſpirantibus, illis præcipue, qui opus quoddam grande ſuo tempore moliuntur, ut quorſum ipſis ſit confugiendum, & unde ſcribendorum materia depromenda ſciant.

Hinc inde immiſcuimus controverſias hiſtoricas, quas plures alii Scriptores ne quidem a longe attigerunt. Fuſiori calamo egimus

mus de *liturgiis*, *Jure liturgico*, & *ſtudio liturgiarum*, quod noſtro ævo a Scriptoribus tam Catholicis quam Proteſtanticis in Academiis etiam publicis mirum in modum excolitur, de cujus neceſſitate, utilitate, ac præſtantia fuſiori calamo dicemus Quæſt. I. cap. II. §. XXIV. De *Curia Romana* quoque, variisque Tribunalibus Pontificis ac Congregationibus Romæ erectis agendum eſſe exiſtimavimus eum præcipue in finem, ut, cum recurſus ad Romanum Pontificem ſint frequentiſſimi, & ferme quotidiani, ad quod tribunal ſingulæ pertineant cauſæ, quo ordine ſint introducendæ, atque in his tractari, diſcuti, & decidi ſoleant, ſciamus, & hac ratione qualemcunque ſtyli Curiæ Romanæ notitiam acquiramus.

In Quæſtione IV. Juri eccleſiaſtico ſuam authoritatem uſumque vindicavimus. Cum enim hodie non pauci ex Catholicis etiam ſint, qui Juris eccleſiaſtici authoritati mirum in modum detrahunt, ad infima ſubſellia illud tanquam *jus mere ſubſidiarium* detrudunt, & ex omni orbe chriſtiano proſcriptum & eliminatum vellent, ſane operæ pretium eſſe credidimus, illius authoritatem pro viribus, & quantum par eſſe videbatur, vindicare, ſartam tectamque conſervare. Atque hac in re quosdam Scriptores Catholicos longe gravius excedere, quam Proteſtantes, deprehendimus, quippe qui illud ſummo ſtudio excolunt in ſuis Academiis, eo utuntur in tribunalibus, illiusque Canonibus & authoritati aſſurgunt in tantum, in quantum illud non adverſatur ſuæ Religionis principiis, aut per contrariam praxin non eſſe abrogatum norunt: dum econtra Catholici ſingularem operam in eo collocant, ut illius uſum eliminent e tribunalibus, curiis eccleſiaſticis æque ac politicis, & integris regnis ac provinciis. Hunc in finem cum exceſſu Principibus ſæcularibus deprædicant *Placetum illud regium:* cujus moderatum uſum etiam nos haud improbamus, provocant ad facta antiqua nullo jure ſtabilita, fingunt antiqua jura & privilegia, quin imo abolitionem Juris eccleſiaſtici argumentis politicis perſuadere totis viribus contendunt.

)(3 In

In eadem Quæſtione IV. Cap. II. & ſeq. pluribus de *Studio juridico* diſſeruimus. Cum enim etiam in hoc genere haud pauciores ſint, qui ne quidem genuinum de *Jurisprudentia eccleſiaſtica* conceptum habent, multo minus prima illius fundamenta callent, aut, qua arte ampliſſimæ huic ſcientiæ ſtudendum ſit, ſciunt, imo non raro ordine prorſus inverſo huic ſcientiæ incumbunt, eo grandiores ſe eſſe Jurisprudentiæ Doctores exiſtimantes, quo plures Canones Juris Pontificii memoriæ mandarunt, aut ſubtilius de quæſtionibus & Controverſiis trivialibus ac vulgaribus diſputare noverunt, haud inutilem operam nos navaturos exiſtimavimus, ſi Diſcipulis genuinum Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ conceptum explanemus, unaque & methodum doceamus, ac viam monſtremus, per quam ad ſublimiorem Jurisprudentiam eluctari, & aſcendere valeant. Quod ſi hinc inde nimium exigere a Jurisprudentiæ Candidatis videamur, cogitemus non raro injuſtum exigi, ut obtineamus juſtum, &, communius arcum eſſe intendendum, quem facile remittere novimus. Plus non petimus, quam quod vires ingenii noſtri ferre poſſunt. Illud quoque non ignoramus, quod non omnibus datum ſit adire Corinthum.

Si quid in hac quoque opella, Lector benevole, boni legeris, id mecum Deo in acceptis referas. Defectus quoscunque (reperies autem plures) mihi adſcribas velim. Iterum ergo, Lector benevole, noſtris laboribus fruere, vale, fave, & nobiscum DEUM lauda, cui laus & honor in ſæcula.

INDEX



INDEX
QUÆSTIONUM & CAPITUM.

CAP.

QUÆSTIO IV.



QUÆSTIO I.



QUÆSTIO I.

DE

COLLECTIONIBUS JURIS ECCLESIASTICI ANTIQUI

A

PRIMORDIIS ECCLESIÆ USQUE AD DECRETUM GRATIANI.

A fontibus originariis ad dilucidandas collectiones Juris Ecclesiastici transitum facimus: quippe quæ quasi totidem rivuli ex illis dimanarunt. Collectiones in tres classes dividemus: nempe Juris Ecclesiastici *antiqui*, *novi* & *novissimi*, quas per distinctas quæstiones pro nostro modulo dilucidabimus. In præsenti Quæstione de Collectionibus Juris antiqui agere constituimus. Huic inserere placuit materiam liturgicam: cum enim Liturgiæ & libri liturgici notabilissimam partem Juris Ecclesiastici constituant, & studium liturgiarum nostris temporibus mirum in modum excolatur, & in Academiis publice doceatur ex Cathedris, haud inanem nos operam navaturos existimavimus, si pro usu studentium fusiori calamo de liturgiis ageremus. Plures collectiones minus celebres Lector invenies, quas Scriptores alii, qui de Collectionibus amplissime egerunt, prætermittere consueverunt, nos vero silentio præterire nefas esse duximus, quod earum notitia Viris ad sublimiora aspirantibus ingenti usui sit futura. Deus T. O. M. cœptis nostris sua assistrice gratia in finem usque adsit.

Tu Lector Benevole vale, fave, fruere.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De Collectione Juris Ecclesiastici in genere & in specie usque ad Sæculum quartum.

§. I. *Quædam recolenda ex alibi dictis.* II. *Quæstio præjudicialis de potestate ferendi leges ecclesiasticas examinatur.* III. *Quid sit Canon remissive.* IV. *De ipsis Collectionibus in genere.* V. *De origine illarum, & an Ecclesia trium primorum Sæculorum collectiones Canonum & quales habuerit?* VI. *De Liturgiis.* VII. *De Canonibus & Constitutionibus Apostolicis remissive.* VIII. *De Collectione Dionysiana.*

§. I.

Jus Ecclesiasticum dividitur in antiquum novum & novissimum.

Cogitantes *Collectiones Juris Ecclesiastici* in ordinem redigere, & secundum seriem Sæculorum contexere, Lectorem ad Differtationes antehac a nobis editas, illam præprimis, quam *de Jure Canonico in genere* inscripsimus (a) remittere necessium habuimus. Ante omnia autem in memoriam revocanda celeberrima illa divisio, qua *Jus Ecclesiasticum* in *Antiquum*, *Novum*, & *Novissimum* divisimus (b). *Antiquum* vocamus illud, quod *Collectiones antiquas* usque ad Collectionem Gratiani; *Novum*, quod *Collectiones in Corpore Juris clausas*; *Novissimum*, quod *Canones noviores Conciliorum Constantiensis*, *Basileensis*, & *Tridentini* potissimum, aliasque *Bullas*, & *Constitutiones Pontificias*, *Declarationes Cardinalium*, *nec non Decisiones Rotæ Romanæ* complectitur.

Dividunt alii in antiquum & novum.

Haud equidem nobis displicet gravissimorum Virorum doctrina (c), qui Jus Ecclesiasticum in *Antiquum* & *Novum* dividunt, atque illud ad Collectionem usque Isidori Mercatoris; *Novum* vero post Collectionem illam obtinuisse asserunt: Nemo enim facile inficias ibit, quod Collectio Isidoriana miram disciplinæ Ecclesiasticæ mutationem invexerit: Nam cum illius Author eidem inseruerit epistolas spurias antiquorum Pontificum, in quibus authoritati Pontificum nimium quantum velificatur; hi vero pro juribus hisce sibi asserendis, vindicandis, & ampliandis mirum in modum

Collectio Isidoriana novum jus invexit.

(a) Fuit edita Anno 1752. (b) Cap. 1. §. 5.

(c) Claudius Fleury in Instit. Jur.

modum decertarint, fieri non potuit, quin authoritas Synodorum particularium, Metropolitarum & Epiſcoporum grande pateretur diſpendium, atque hac ratione nova Eccleſiæ diſciplina in decidendis cauſis Eccleſiaſticis, & exercendis Juribus Epiſcopalibus induceretur. Profecto quisquis Hiſtoriam Eccleſiaſticam vel obiter inſpexerit, facile deprehendet, ab illo tempore Eccleſiam in aliam longe formam fuiſſe transmutatam. Deſiere Synodi Provinciales, incœpere avocationes & reſervationes cauſarum majorum, frequentiſſimæ ad Romanum Pontificem factæ ſunt appellationes: verbo, novam Eccleſia faciem induit. Placuit tamen tam juvandæ memoriæ quam accuratioris methodi cauſa tripartitam illam diviſionem Collectionum adoptare, quas jam explanare ſecundum duplicem ſtatum Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis aggredimur.

§. II.

Vindicanda Eccleſiæ Præſulibus ſua ferendi leges authoritas.

Id antequam præſtemus, Chriſto, Apoſtolis, Eccleſiæ, illiusque Præſulibus ſua ferendi leges, vel, ſi magis placuerit, *Canones* vindicanda eſt authoritas: id quod tanto minori difficultate nos præſtituros confidimus, quanto operioſiori deductione novum prætenſorum Reformatorum Eccleſiam ad infima Collegiorum ſubſellia detrudentium Syſtema impugnavimus; & econtra Syſtema Catholicorum, ſtatum Reipublicæ ſecundum leges naturales & divinas a Chriſto in Eccleſia ſua efformatæ una cum Hierarchia Eccleſiaſtica vindicavimus (d), quo ſemel evicto poteſtas ferendi leges per modum Appendicis neceſſariæ fluere debet, niſi Rempublicam elumbem, monſtroſam, irregularem, & veluti chymæricam adſtruere velimus.

Alibi intermiſſa ſupplentur.

Porro autem ut dictis ibidem major lux affundatur, viſum eſt controverſiam de poteſtate ferendi leges peculiarius explanare, quædam intermiſſa ſupplere, atque ea, quæ ad ſtabiliendam Rempublicam Eccleſiaſticam faciunt, plenius non nihil diſcutere: cum enim in eo ſolum tunc noſtra deſudaverit induſtria, ut Statum Reipublicæ ex principiis univerſalibus ex Jure Publico univerſali depromptis vindicemus, etſi ipſum etiam Sacrarium ingredi, id eſt, Scripturam Sacram, ad quam principaliter provocant, ſcrutari, & ex hac ſuppetias mutuare non intermiſerimus, haud inutilem nos operam navaturos exiſtimavimus, ſi ea, quæ ad ſtabiliendum Syſtema ſuum ex Scripturis, & primævo Eccleſiæ ſtatu Reformatores prætenſi mutuare conſueverunt, plenius confutemus

(d) In Diſſert. de Statu Eccleſiæ cap. 1. & 2.

sutemus. Id priusquam exequamur, quaedam memoria sunt recolenda ex alibi dictis, & illud praeprimis, quod Doctores Protestantici inter *Religionem* & *Ecclesiam* non satis accurate distinquant, officium *Praedicatoris* cum officio *Rectoris* confundant, & conceptum Reipublicae arbitrarium sibi fabricent, existimantes, quod Respublica necessario importet Imperium summum cum potestate cogendi, ultimis suppliciis animadvertendi conjunctum, ad securitatem publicam, & Reipublicae felicitatem unice ordinatum: Sed quis ipsos Dictatores, Legislatores, & veluti Plenipotentiarios constituit, eo effectu, ut illorum opinionibus veluti Oraculis necessario sit assurgendum?

Distinquendum est inter Religionem & Ecclesiam; Praedicatores & Rectores.

Occasionem novo examini subjiciendi hanc quaestionem praeter alios nobis praebuit celeberrimus Moshemius, qui pro suo, quo prae caeteris Protestantibus pollet, amore veritatis & candore animi in eo totus est, ut & Christo & Apostolis contra Hobbesianos, & plurimos Doctores Protestanticos suam ferendi leges authoritatem vindicet. Idcirco tam Christum quam Apostolos tanquam legislatores, eorumque ordinationes legum instar reveretur; doctrinam vero contrariam Doctorum Protestanticorum tanquam novam ab Hobbesio noviter excusam, a Jurisconsultis incaute adoptatam rejicit, refellit, & confutat: caeterum vero totam controversiam esse prorsus inanem, & inutilem, ac demum in quaestionem de nomine desituram pro sui animi candore liberrime fatetur (e).

Moshemius in Apostolis agnoscit potestatem legislatoriam,

Doctrina contraria nova est & inanis, ac de nomine.

Juvat totam rei seriem ex Moshemio referre: Ante Saeculum proxime elapsum teste Moshemio nemo de potestate ferendi leges, statuendi proportionales poenas in transgressores Christo & Apostolis abnegandа somniavit. Primus qui id facere ausus fuerat, erat procul dubio famosissimus Hobbesius, cujus Systema nos alibi exposuimus (f). Hobbesio contradixere vehementer Theologi Protestantici, consensere plures Jureconsulti: Illi justo agitati fervore optime praevidebant pessimas sequelas ex hac doctrina pessima facile deducendas (g). Hi vero doctrinam

Author doctrinae Protestanticae fuit Hobbesius.

Huic contradicunt Theologi.

Econtra recipiunt Jureconsulti.

(e) Allgemeines Kirchen-Recht. Hauptst. I. pag. 41. und Hauptst. II. pag. 220. Es ist ein Streit, ob die Apostel Gesetzgeber gewesen oder nicht? Ein Streit, der sehr unnöthig ist. Bis auf die Zeiten Hobbes hatte man sie Gesetzgeber genennt. Dieser ware der erste, so es laugnete.

(f) Vid. Quaest. I. de Jur. Can. Cap. VII.

(g) Die Gottsgelehrten sahen wohl ein, was man für üble Folgen aus dem angenommenen Satze ziehen wolte. Z. E. Sind die Apostel keine Gesetzgeber gewesen, so

haben

Et quare? doctrinam Hobbesii eo facilius ambabus amplexabantur manibus, quo aptiorem illam ad suum Systema sustentandum, potestatem Imperantium in immensum ampliandam, Rempublicam Ecclesiasticam eliminandam, regimen Ecclesiæ supprimendum indicabant, haud inaniter metuentes, ne Ecclesia a Christo instituta formam Reipublicæ politicæ reciperet, atque hac ratione suum Systema de Societate æquali totum quantum corrueret, si in Apostolis potestatem legislatoriam agnoscerent (h). Qua autem arte Moshemius hanc doctrinam refellat, eamque in quæstionem de nomine desinere doceat, infra videbimus.

Potestas legislatoria in solis Apostolis; non vero in Successoribus ex mente Moshemii. *Duplex in Apostolis persona Legati & Doctoris.*

In eo autem doctrinæ Catholicæ adversatur Moshemius, quod hanc potestatem unice in Christo & Apostolis; neutiquam in illorum Successoribus seu Doctoribus Ecclesiæ agnoscat. Distinquit nempe hic Doctor in Apostolis duplicem personam, nempe *Doctorum* & *Legatorum* seu *Missorum*, aut si velis, *Apostolorum.* Nam duplici fungebantur munere Apostoli: qua *Doctores* prædicabant, docebant, instruebant; qua *Legati a Christo Missi* ordinabant Ecclesias, constituebant Presbyteros, saluberrimas faciebant leges, transgressores puniebant, facinorosos excommunicabant &c. Esto igitur Ministri Ecclesiarum Apostolis succedant in *munere docendi*; non tamen in *munere legationis*, quod solis Apostolis erat proprium: utpote quos Christus singularibus exornavit donis, sufficienti instruxit potestate, atque aptos fecit & idoneos, ut hoc munere rite & decenter fungerentur (i).

Priusquam Moshemii doctrinam expendamus, mox ultimatam ejus sententiam adferimus, qua nimirum hic Author recte judicavit asserendo, Quæ-

haben wir die Freyheit, ob wir ihren Verordnungen gehorchen wollen, oder nicht. Wenn wir die Gesetze der Apostel übertretten, so können wir nicht gestrafet werden. Diese und andere dergleichen Schlüsse befürchteten die Gottsgelehrten. pag. 42.

(h) Hobbes, und seine treuesten Anhänger laugneten, daß die Verordnungen deren Apostel Gesetze wären um die Macht der bürgerlichen Obrigkeit über die Kirche vollends Schranken-loß zu machen. Andere die ihm gefolget sind, haben wenigstens aus einem vernünftigeren Grunde diese Meinung ergriffen. Sie befürchteten nemlich, es möchte bey unserer Meinung die Christliche Kirche die Gestalt eines bürgerlichen Staates überkommen, und wir dürften den Päbstlern dardurch einen Grund darreichen, womit sie ihre Irrthümer von der Natur des Reiches Christi mit mehrerm Muthe unterstützen könnten. pag. 221.

(i) Die Apostel waren Lehrer, aber auch zugleich auserordentliche Gesandten GOttes. Jenes

Quæſtionem hanc denique degeneraturam in quæſtionem de nomine: cum Adverſarii unice hæreant in explicando nomine legis, & conceptu arbitrario, quem ſibi ſine ſufficienti fundamento eum in finem fingunt, ut Imperantibus jus illimitatum, ac incircumſcriptum vindicare valeant (k).

Chriſto & Apoſtolis ſua vindicatur poteſtas legislatoria.

Jam fundamenta Moshemii audiamus, quibus ille Chriſto & Apoſtolis ſuam poteſtatem legislatoriam vindicat, atque novam opinionem Hobbeſii, illiusque ſequacium explodit, & convellit. Id priusquam aggreditur, optime animadvertit, vel maxime intereſſe Eccleſiæ, ut Chriſto & Apoſtolis ſua vindicetur authoritas & poteſtas legislatoria. Nam ait, demus, quod Ordinationes Chriſti non ſint leges, inde quid ſequitur, niſi quod ex Scripturis nullum jus Eccleſiaſticum derivari; poteſtas vero Imperii politici nullis modis reſtringi, contineri, aut intra certos limites contineri poſſit? Atque inde eſt, quod illi potiſſimum Doctores Syſtema iſtud aut invenerint, aut adoptaverint, qui Imperantibus jus quoddam ſupremum, illimitatumque in ſacra attribuere contendunt.

Chriſtus condidit leges plures.

Jam, ait Moshemius, nemo Chriſtianorum negare poteſt, quod Chriſtus ſit ſupremus Dominus, habeatque ſupremam poteſtatem ferendi leges, ordinandi diſponendi ligandi ſolvendique. Unde ad id devolvitur quæſtio, an hanc poteſtatem exercuerit, leges condiderit, ordinationes fecerit, pœnas ſtatuerit &c. Sed utique plures ordinationes feciſſe legitur: præcepit baptiſmum, inſtituit cœnam, vocavit Apoſtolos, conſtituit eos tanquam legatos, dedit poteſtatem remittendi peccata, ligandi, ſolvendi, præcepit dilectionem proximi, prohibuit dare libellum repudii &c. Quare ergo hujusmodi ordinationes non ſint habendæ inſtar legum, aut omnino e numero legum eliminandæ? quid enim eſt lex, niſi regula, qua ille, qui jus præcipiendi habet, voluntates ſubditorum ligat, eorumque actus in certos fines dirigit? ut adeo tota virtus, ſubſtantia & vis in eo conſiſtere videatur, quod voluntas reſtringatur, actus in ſuum finem dirigantur, & in transgreſſores pro-

Quid ſit lex?

Jenes oder das Lehr-Amt iſt auf ihre Nachfolger gekommen, nicht aber das letztere. Nicht mit dem Lehr-Amte, ſondern mit dem Apoſtel-Amte war die Gewalt verknüpfet Geſetze zu geben. Da nun unſere heutige Kirchen-Lehrer keine Apoſtel ſind, ſo können ſie ſich auch die Rechte derſelben nicht anmaſſen. pag. 222.

(k) Allein dieſer Streit läuft auf einen Wort-Streit hinaus. Darnach man dem Wort Geſetz eine Bedeutung beyleget, darnach kann man behaupten, daß im neuen Teſtament die Apoſtel Geſetze gegeben, oder nicht. pag. 221.

portionatæ pœnæ statuantur. Aliter si legem explicemus, tota quæstio degenerabit in quæstionem de nomine (l).

Apostoli habuere potestatem legislatoriam. Et quare Apostolis hæc potestas denegetur? quippe quos Christus misit, sicut ipse missus erat a Patre (m): Quos velut suos misit Legatos, ut ipsius legatione fungerentur (n), unaque dedit potestatem solvendi & ligandi. Quis autem nescit potestatem ligandi pertinere ad jura Majestatica (o)? Et nunquid Apostoli plurimas fecerunt ordinationes vim legis habentes, & non nisi solo nomine a legibus differentes? *Tulerunt leges.* constituerunt, & Ecclesiis præfecerunt Episcopos: jusserunt, ut Episcopi ab ipsis constituti constituerent Presbyteros: ejecerunt, excommunicarunt, & gravissimis pœnis animadverterunt in Ananias & Sapphiras, in Hymenæos, Alexandros & incestuosos: coierunt non nunquam in Synodis pro expediendis dubiis, sanciendis legibus, & decidendis controversiis majoris momenti (p). Eccur hæ & similes ordinationes dici nequeant leges? nempe incidimus in quæstionem nominis, sicut aliquoties diximus, dicemusque iterum iterumque.

Leges ferunt non Imperantes duntaxat, sed etiam illorum Ministri, quales erant Apostoli. Neque obstare existimat Moshemius, quod alia sit ratio Christi, & alia Apostolorum. In Christo reveremur personam Domini & Imperantis: in Apostolis respicimus personam Ministrorum. Imperantium est ferre leges, non ministrantium (q). Scandalo est hæc responsio Moshemio, quapropter admirabundus exclamat: pro! quomodo homines se ipsos torquere solent, ut suas opiniones spurio quodam colore illiniant? quam inanis, ridicula, & inepta est hæc argumentatio: *Apostoli non fuere*

(l) Ein Gesetz ist eine Regel, wodurch der, welcher die Macht zu befehlen hat, die freyen Handlungen seinen Unterthanen zu einem gewissen Zwecke bestimmet. Nun hat Christus viele Regeln hinterlassen, wodurch er die freyen Handlungen seiner Bekenner bestimmet. Das läugnet niemand. Daß Christus aber unser OberHErr sey, und Macht über uns habe, das kann kein Christ laugnen. Und also sind seine Regeln Gesetze. Bey den Aposteln könnte man einiger massen zweifeln, ob ihre Vorschriften Gesetze sind. Allein dieser Streit läuft auf einen Wort-Streit hinaus. pag. 220.

(m) *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.* Matth. 20.

(n) *Legatione fungimur.* 2. Cor. 5.

(o) Saget nicht Christus deutlich, daß die Apostel die Macht haben solten zu binden, und zu lösen. Diese Macht ist ein Majestäts-Recht. pag. 225.

(p) Vid. Differt. de Statu Eccles. Cap. I. §. XXV.

(q) Die Apostel nennen sich Diener, und Knechte GOttes: Diener und Knechte eines Herrn sind keine Gesetzgeber. ibid.

fuere Imperantes: ergo leges ferre non potuerunt? Quasi vero Imperantes non possint particulam suæ potestatis transferre in suos Ministros & Legatos (r). Fuere Apostoli procul dubio Ministri Christi, sed simul Legati (s), ab ipso eadem potestate missi, qua ipse a suo Patre cœlesti missus fuerat (t). An non ordinationes, quas nomine suorum Principalium faciunt Legati, veræ sunt leges, eandemque habent vim, ac habent leges, quas Principes facere consueverunt (u)? Porro autem negare, quod Apostoli potestatem ferendi leges acceperint, idem est ac integrum novum testamentum subvertere (x). Quapropter idem Moshemius Apostolum hunc in modum describit: *Quod sit homo divinitus institutus, & a Christo cum potestate leges ferendi, sontes & improbos, si e re videretur, coercendi, miracula denique faciendi, si opus videretur, ad mortales missus, ut voluntatem divinam, viamque salutis ubique patefaceret, hominesque voci divinæ obedientes a reliqua turba segregaret, & societatis vinculo colligaret* (y).

Aliud argumentum ex eodem Authore contra Disciplinam confœderatam Boehmerianam, & Systema Protestanticum de Societate æquali præterire haud facile possumus. Equidem Moshemius Systema socialisticum non negat: attamen argumentum nobis illud impugnandi haud leve suppeditare videtur. Nam ut authoritatem legislatoriam Apostolorum eo firmiori argumento consolidet, sibi ipsi objicit, quod utique Apostoli omnia cum consilio Cœtus christiani egerint, regimen Ecclesiæ cum plebe diviserint, eidem jus sibi eligendi Doctores concesserint, & hoc ipso potestatem legislatoriam non exercuerint.

Objectio contra potestatem legislatoriam Apostolorum.

Ut

(r) Wie quälen sich die Menschen um ihren Meinungen einen Schein zu geben. Die Apostel nennen sich Diener, folglich können sie keine Gesetzgeber seyn. Der Ober-Satz ist fehlerhaft. Diener eines Herrn können nicht aus eigner Macht gebieten, das ist wahr: Wir lehren aber nicht, daß die Apostel aus eigener Macht Gesetze gegeben haben, sondern im Namen Christi. pag. 223.

(s) *Legatione fungimur.* 2. Cor. 5. (t) Matth. 20.

(u) Wenn ein König einen Statthalter setzet und ihm Gewalt gibet das, was zum Besten des Reichs gehöret, zu verordnen: so haben die Verordnungen des Statthalters eben die Kraft, als wenn sie der Herr selbst gibet. Warum sollen dieselben nicht Gesetze genennet werden? Thorheit! Wortkrämerey! pag. 224.

(x) Daß aber die Apostel von unserm Erlöser die Macht bekommen haben seine Kirche mit Gesetzen zu versehen, kann nicht geläugnet werden, wo man nicht das ganze neue Testament umstossen will. pag. 225.

(y) Inst. Hist. Eccl. Sæc. I. part. II. cap. II. §. III.

Diluitur. Ut hoc argumentum diluat Moshemius, sponte fatetur, eidem aliquid & veritatis & erroris inesse. Verum est, inquit, quod Apostoli plerasque ordinationes non nisi consulta desuper plebe fecerint: At vero non raro exclusa plebe & privative eosdem suas leges condidisse tanto minus negari potest, quanto ampliora testimonia ipsa scriptura suppeditat(z). Nunquid enim Paulus tanquam Legatus Dei præcepit, quinam & quales in Presbyterorum numerum recipiendi sint (a)? Jussit mulieres velato capite incedere & in concione tacere (b): Tito commisit authoritate sua munus cœtibus Cretensium Seniores præficiendi (c). Prætermitto multa ejus generis alia, quæ facile aliquis ex novi fœderis libris collegerit (d). Jam vero quis non ex his fortissimum argumentum depromat impugnandi Systema Protestantico-Socialisticum? an enim stare potest Systema confœderatæ disciplinæ, & Societatis æqualis, si principalis potestas legislatoria transferatur in Apostolos, ita quidem ut in eorum sit arbitrio vel privative vel consulta plebe, auditisque fidelium consiliis Ecclesiam dirigere, ordinationes facere, leges ferre?

Impugnatur Systema Socialisticum.

Ad hoc salvandum Moshemius distinguit inter personam Legati, & Doctoris. Animadvertit quam optime Moshemius, argumento hoc præfatum Systema vehementer feriri: Idcirco ad distinctionem supra allatam appellat, qua inter Apostolos qua *Legatos* Christi, & qua *Doctores seu Ministros*; inter *munus docendi*, & *leges ferendi* subtiliter distinguit. Quando ergo Apostoli privative aliqua ordinarunt, disposuerunt, præceperunt, nomine & authoritate Christi *qua Legati* egerunt: quando vero communicatis cum cœtu consiliis, tunc *munus Doctorum* exercuerunt.

Admittunt Protestantes successionem in munere Doctoris: negant in munere Legati. Quoniam vero in Ecclesia jam desiit munus *Legatorum* extraordinaria missione *missorum*, donisque & gratiis extraordinariis ad id muneris rite obeundum instructorum, quales erant Apostoli, eo ipso etiam potestas legislatoria desiit, solo remanente munere Doctorum: quippe quod ad

(z) Hier ist Wahrheit und Irrthum vermenget. Es ist wahr, daß die Apostel in vielen Stücken nicht ohne Einstimmung der Gemeinden gehandelt haben. Allein in vielen Stücken haben sie bloß aus göttlicher Macht ohne Zuziehung der Gemeinde gehandelt. pag. 224.

(a) Ad Tit. 1. v. 5. *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.*

(b) 1. Cor. 11. v. 6. & cap. 14. v. 34. (c) Loc. cit.

(d) 1. Cor. 11. v. 34. *Cætera autem, cum venero, disponam.*

ad religionem, & Ecclesiam conservandam oppido esse necessarium facile dignoscitur (e).

En novam difficultatem, & respective novam doctrinam Protestanticorum! In tantas nempe rediguntur angustias, ut in dies nova cudere systemata, novasque excogitare doctrinas necesse habeant. Excutiamus paucis, quid de hac doctrina sit tenendum, qua successionem in munere *Doctoris* negare non audent; in munere vero *Legationis* sine scrupulo satis audacter negant & pernegant, atque hac ratione Ecclesiæ Præsulibus omnem potestatem ferendi leges abjudicant. Quamquam Moshemius in hac materia argumentum illud, quo ad hanc doctrinam amplectendam movetur, clare non exponat, in eo tamen vim sui argumenti, si quid tamen capio & sapio, consistere existimo. Nempe si adhuc in Ecclesia foret successio in munere legationis, tunc hi legati cum charactere præsentatitio missi hanc suam missionem legitimis modis demonstrare deberent: At vero quibus modis, quibusve signis evidentibus, infallibilibus, irrefragabilibus hi suam missionem demonstrabunt, quemadmodum illam demonstrarunt Apostoli? Signa demonstrativa missionis in Apostolis erant illa dona supernaturalia extraordinaria prorsus exuberantissima, donum Prophetiæ, linguarum, miraculorum, medendi variis infirmitatibus, quibus Christus suos Apostolos implevit, instruxit communivit; item potestas facinorosos tradendi satanæ, ligandi, solvendi, quam verbis expressis Christus tradidit. Ad solos Apostolos tanquam Legatos & Doctores extraordinarios locutus fuit Christus: his solis potestatem ligandi solvendique tradidit, quin vel verbulo indigitaverit, hanc potestatem transituram ad alios Doctores. Et quoniam illa dona supernaturalia jamjam desierunt in Ecclesia, desiit quoque munus *legationis* solis Apostolis commissum, Longe aliter discurrendum de munere docendi: cum enim istud sit oppido necessarium ad conservandam Religionem Christianam, inviolabiliter quoque stare debet in Ecclesia, & perdurare

Quibus argumentis id probent?

Ajunt, desiisse signa demonstrativa missionis.

B 2 Verum

(e) Hanc doctrinam fusius tradit Moshemius in Institut. Hist. Christ. Sæc. I. part. II. §. III. ubi inter alia sic habet: *Successerunt quidem sequentium ætatum Doctores Apostolis. Verum certa ratione non simpliciter & absolute. Duo nempe munera in Apostolis sunt distinquenda, munus Doctoris, & munus Legati extraordinarii summa cum potestate divinitus missi. Illud quidem munus ad posteros derivatum est, non item hoc.* Et allgemeines Kirchen-Recht pag. 224. Die Stellen des neuen Testaments, in welchen wir also die Apostel

Hæc doctrina nullum habet fundamentum.

Verum enim vero, quis non videt hanc doctrinam omni fundamento solido esse destitutam? ubinam inprimis ullum fundamentum in Scripturis ita subtiliter distinquendi? ubinam aliquod vestigium in traditione & tota retroacta antiquitate? Usque nunc sane Pontifices & Episcopi munere legatorum defuncti sunt, & non tantum munus Doctorum in doctrina sana tradenda, sed etiam legatorum in regenda Ecclesia adimpleverunt. Ex propria Moshemii & Pfaffii confessione munus docendi est necessarium, illudque vel continua successione vel missione universali per Christum, sicut ait Pfaffius infra citandus (f) in Doctores transfertur, quare non etiam munus dirigendi, regendique Ecclesiam? utique instituit Christus Ecclesiam indefectibilem, perpetuo duraturam: qua arte stabit immota religio, firma consistet Ecclesia, si nemo sit, qui eam potestate a Christo data dirigat, regat, eidemque saluberrimis legibus prospiciat: si nemo sit, qui potestatem ligandi solvendique, plectendi facinorosos, legesque ferendi habeat? Quam parum sine Doctoribus doctrina sana religionis, tam parum sine legislatoribus, & directoribus pax, tranquillitas, & felicitas Ecclesiæ conservari, salva & incolumis stare potest, ut adeo utrumque munus & docendi & dirigendi ejusdem esse necessitatis videatur. Anne fortassis toti cætui istud munus deferunt? Sed undenam probabit cœtus suam

Munus regendi æque est necessarium ac munus docendi in Ecclesia.

Apostel vor sich, das ist ohne Zuziehung der Gemeinde handeln sehen, stellen uns sie als Gesetzgeber im Namen des HErrn dar. Die andere Fälle aber, wo die Apostel mit der Gemeinde gemeinschaftlich bey Bestellung neuer Lehrer, bey entstandenen neuen Streitigkeiten zu Werke gegangen, solten ein Muster abgeben, wie die Gemeinden künftig solten regieret werden, wenn keine auserordentliche Bothen GOttes in der Kirche vorhanden wären.

(f) Rem hanc clarius dilucidat Pfaffius von dem Ursprung des Kirchen-Rechts ersten Capite pag. 10. Will man aber wissen, wie man erkennen könne, ob GOtt diese oder jene gesandt, so wird Paulus antworten, daß man einen jeden aus seinen Gnaden-Gaben beurtheilen müsse, als der in oben angeführtem Capitel insonderheit von der verschiedenen Austheilung der göttlichen Gnaden-Gaben handelt. Ephes. IV. Item Act. V. Da nun also die Gnaden-Gaben und Aemter der Apostel, der Evangelisten, und Propheten itzo fast schon aufgehöret, so muß doch das letztere Amt der Lehrer fest stehen bleiben, da ohne selbiges die Kirche selbst nicht bleiben und bestehen kann. Es sendet demnach Christus auch noch heut zu Tage Leute, die das Amt der Lehrer in der Kirche verwalten, und zwar durch eine allgemeine Sendung, welche sich durch die Darreichung der Gnaden-Gaben, ingleichem bey dem göttlichen Seegen in ihrem Predig-Amt zeiget und darstellet.

ſuam miſſionem? ubi ſigna characteriſtica legationis, ubi dona extraordinaria miraculorum, prophetiæ, linquarum &c. in plebe? Et quis jus dirigendi, præcipue conſtituendi Doctores & reſpective legislatores in cœtum tranſtulit? num Chriſtus? ſed utique ipſe vocavit Apoſtolos vocatione ſingulari: Paulum & Barnabam ad opus, ad quod ipſos aſſumpſerat, per Spiritum ſanctum ſegregavit(g): ſolum Mathiam per electionem non ipſius plebis, ſed *per ſortem* eligi voluit (h)? Num Apoſtoli? ſed utique Paulus non plebi, ſed Tito dedit poteſtatem corrigendi, & conſtituendi presbyteros per civitates (i), unaque exhortandi, & arguendi, & quidem cum imperio (k)? En, quomodo hi Doctores ſe ipſos feriant!

Apoſtoli donis ſupernaturalibus indiguerunt potius ad docendum, quam regendum.

Veniamus jam ad illa dona extraordinaria Apoſtolis uberrime communicata. Quærere liceat, an non Apoſtoli hiſce donis extraordinariis indiguerint potius ad erudiendam plebem, prædicandum Evangelium, & doctrinas ſuas ſignis & prodigiis confirmandas, quam ad regendam, inſtruendam, & gubernandam Eccleſiam? prædicabant Apoſtoli Chriſtum Crucifixum, qui teſte Apoſtolo *Judæis* erat *ſcandalum, gentilibus autem ſtultitia* (l): prædicabant doctrinas novas, ſublimes, inſolitas, duras & aſperas, omni intellectu humano ſublimiores: quis jam Apoſtolis unquam fidem adhibuiſſet, niſi ſuam doctrinam miraculis & prodigiis confirmaſſent? quapropter *prædicabant ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis* (m). Quod ſi ergo *munus docendi* usque nunc perduravit in Eccleſia, & vel continua ſucceſſione, prout docere videtur Moshemius (n) vel miſſione generali, ut ait Pfaffius (o) in Miniſtros Eccleſiæ tranſit, quamvis

B 3 illa

(g) *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos*, dicit Spiritus S., & per illum Chriſtus Act. 13. v. 2.

(h) *Cecidit ſors ſuper Matthiam.* Act. 1. v. 26.

(i) *Hujus rei gratia te reliqui Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Epiſcopos.* Ad Tit. 1. v. 5.

(k) *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* Ibid. v. 15.

(l) 1. Cor. 1. v. 23. (m) Marci 16. v. 20.

(n) Die Apoſtel waren Lehrer, aber auch zugleich auſerordentliche Geſandten GOttes. Jenes oder das Lehr-Amt iſt auf ihre Nachfolger gekommen, nicht aber das letztere. pag. 222.

(o) Es ſendet demnach Chriſtus auch noch heut zu Tage Leute, die das Amt der Lehrer in der Kirche verwalten, und zwar durch eine allgemeine Sendung, welche ſich durch

illa dona extraordinaria, gratiæ speciales, prodigia & miracula esse desierint: quare non munus legationis transeat in successores Apostolorum? cum illa dona potius ad munus docendi, quam dirigendi, regendi, & gubernandi ex dictis pertinuerint. Nempe erant illa dona ab initio necessaria ad probandam *Missionem*, confirmandam doctrinam Christianam, utpote novam, insolitam, sublimem, hominis genio & ingenio contrariam. Postquam vero de veritate Religionis Christianæ aliunde convicti sumus, jamque hæc firmissimas egit radices, atque in proceram arborem excrevit, hæc dona haud amplius absolute necessaria esse videntur.

Authores novarum sectarum suam missionem probare non possunt.

Edicant jam nobis Protestantes, quibus signis Authores suarum sectarum suam missionem, quæ sane extraordinaria videtur, probaverint; quibus signis Cœtus protestantici, penes quos ex illorum principiis resident jura collegialia in ordine ad dirigendam Ecclesiam necessaria; vel post pacem Westphalicam Principes, in quos sua jura collegialia transtulerunt, suam missionem probare valeant.

Verum ad hæc reponent fortassis Sectarii, Apostolos etiam qua Doctores fuisse missos missione extraordinaria & speciali; non missione ordinaria, qualiter hodie mittuntur Ministri verbi divini, vel potius a cœtu eliguntur. Hæc exceptio spectat quæstionem de successione Pontificum & Episcoporum in Ecclesia, circa quam ad alibi dicta lectorem remittimus(p). Interim ex his facile quisque animadvertet, in quas angustias redigantur Acatholici, ad quas subtilitates & distinctiunculas confugere, quomodo torquere scripturam, quam exoticas excogitare interpretationes debeant, ut suum Systema lubricis profecto innixum fundamentis sustentare queant. Volentes nolentes debent admittere successionem qualemcunque in munere prædicandi: & quare non in munere legationis, dirigendi, ordinandi, ferendi leges? ubinam Apostoli hæc duo munia in Episcopis & Presbyteris a se constitutis separarunt? ubinam potestas constituendi Presbyteros & Doctores in plebem translata legitur? nonne Paulus hanc potestatem commisisse Tito legitur (q)? num in electione Matthiæ? Sed, uti dictum, illa electio fuit per sortem (r). Num in electione septem Diaconorum? Verum quia illi Diaconi

Protestantes in maximas rediguntur angustias.

durch die Darreichung der Gnaden-Gaben in ihrem Predigt-Amt zeiget, und darstellet. Pfaffius von dem Ursprung 2c. pag. 10.

(p) Vid. Quæst. de Pontifice Cap. I.

(q) Ad Tit. 1. v. 4.

(r) *Cecidit fors super Matthiam.* Act. 1. v. 26.

coni ex opinione horum Doctorum non ad munus sacrum, sed ad servitium mensale fuerunt assumpti, ex hoc facto nihil prorsus probare possunt (s)? Plura huc spectantia relinquimus Theologis.

Tres celebriores Doctores Protestantici & eorum doctrina examinatur.

Tres tamen Doctores Protestanticos, quorum doctrinæ nempe majoris ponderis esse nobis videbantur, modeste adhuc castigandos selegimus, Justum Henningium Boehmerum, Matthæum Pfaffium, & Georgium Pertschium, quorum primus id argumenti genus ferme in omnibus suis operibus, singulariter in Dissertationibus Juris Ecclesiastici ad Plinium secundum fusius tractat (t). Præcipua doctrinæ Boehmerianæ capita in sequentibus consistunt. Docet primo, quod Christus nullam Rempublicam, sed simplicem Cœtum, seu Societatem æqualem instituerit; Secundo, quod ad hunc cœtum homines non vi, non suppliciis intrare coegerit, sed prædicando invitaverit, exhortando stimulaverit; Tertio, quod quosdam sibi discipulos selegerit, eosque veluti Speculatores, Superintendentes, Doctores, non vero tanquam Legislatores, Rectores quemdam Principatum & Imperium exercentes constituerit; Quarto, quod neque Christus, neque Apostoli ullam legem proprie talem ad regendam Rempublicam ordinatam tulerint. Quinto quod Homines libere in hunc Cœtum coierint, mutuis pactis se coadunaverint: Et cum nulla Societas sine ordine, sine directione, sine regulis consistere valeat, sibi ipsis quamdam *disciplinam*, quam *confœderatam* vocat, eamque duplicem nempe *informatricem* & *castigatricem* mutuo consensu, & unanimi voluntate præscripserint (u).

Doctrina Boehmeri excutitur.

Argumenta Boehmeri.

Jam quibus argumentis hæc probent citati DD. Boehmerus præcipue, videamus, & quæ in compendio simpliciter recensuimus, enucleatius expendamus: Inprimis quidem, si ad originem Ecclesiæ respiciamus, nulla ratione probari potest, quod Christus Rempublicam separatam instituere voluerit: Ecquid enim Christo facilius fuisset, inquam se & cœtum suum noviter congregatum, sibique unitum a Synagoga separare? Verum tantum hoc non fecit, quin potius ipse leges, ritus & cæremonias Synagogæ observaverit, easque a suis discipulis observari

Negat quod Christus instituerit Rempublicam.

(s) *Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus:* nempe ad servitium mensale. Act. VI. v. 3.

(t) Differt. 3. de Confœd. Discip. Pfaffius: Ursprung des Kirchen-Rechts: Bertschius: Kurze Historie des Canonischen und Kirchen-Rechts.

(u) Vid. Matth. 9. 12. 21. 26. Marci 1. 3. 6. prout citat Pfaffius loc. cit. cap. 1.

ſervari voluerit (x). Equidem vocavit Chriſtus vocatione ſingulari duodecim Apoſtolos, & ſeptuaginta diſcipulos: Verum hac ratione quid aliud egit, niſi quod exemplum Prophetarum ac Doctorum Synagogæ ſecutus fuerit? Et num illis poteſtatem quamdam imperii conceſſiſſe legitur? neutiquam: ſimplici mandato officium prædicandi ipſis injunxit (y); cæteros vero fideles in quamdam Societatem liberam non vi, non armis, non ſuppliciis, ſed unice in prædicatione Verbi ſui, in vinculis charitatis & manſuetudinis vocavit, ſibique coadunavit. Huic ſuo cœtui an vel ullam legem proprie talem ad ordinandam Rempublicam præſcripſiſſe, vel ullum imperii actum in ſuos fideles exercuiſſe probari valet? quidquid Chriſtus docuit, & conſtituit, id unice ad informandos mores, ad inſtruendos fideles in doctrina fidei & morum collimavit. Aliud præceptum, quod ad ordinandam diſciplinam externam Eccleſiæ, ad ritus & cæremonias in exercitio religionis obſervandos pertineret, non habemus præter præceptum *Baptiſmi*, quo ſuos fideles nomen ſuum Chriſtiano Cœtui dare volentes initiari voluit, quin tamen Baptiſmum ipſis obtrudere voluerit (z); & præceptum *Cænæ*, quam in memoriam ſuæ Paſſionis & mortis, & quidem ſecundum ritus Moſaicos in celebratione Paſchatis obſervandos manducari voluit (a). Et nunquid ipſi DD. Catholici docent, quod Salvator præter præcepta moralia, & Sacramentorum aliam legem non tulerit, ſed determinationem legum cæremonialium Apoſtolis & Eccleſiæ reliquerit?

Negat quod aliud dederit præceptum præter præceptum baptiſmi & cænæ.

Aut fortaſſis in poteſtate Clavium ligandi, ſolvendi, remittendi peccata, ejiciendi, excommunicandi, proſcribendi facinoroſos quemdam dominatum, poteſtatem Imperii, ferendi leges, regendi, jus dicendi quærent Catholici? ſed quem latere poſſunt diverſiſſimæ horum textuum interpretationes, quarum plures affert Joan. Seldenus (b). Et quidem ſi loquamur de poteſtate Clavium, hæc vel ampliorem quamdam poteſtatem (c), vel poteſtatem aperiendi januam Eccleſiæ per præ-

Hæc poteſtas non eſt quærenda in poteſtate clavium.

Poteſtas clavium varie exponitur.

(x) Vid. idem Author ubi plurima Script. loca allegat.

(y) Matth. 28. *Prædicate Evangelium* &c.

(z) Joan. 3. v. 22. Matth. 28. v. 19.

(a) Matth. 26. & ſeq.

(b) De Syned. ult. Jud. lib. 1. cap. 9.

(c) Sic Apocal. 1. v. 18. fit mentio de clavibus mortis & inferni: *& habeo claves mortis & inferni.* Apocal. 3. v. 7. *qui habet clavem David: qui aperit, &*

prædicationem Verbi divini, & administrationem Sacramentorum (d); eamque claudendi illis, qui foris sunt, & nondum suum nomen cœtui Christianorum consecrarunt (e); vel potestatem aliquam permittendi, prohibendi, constituendi disciplinam, determinandi ea, quæ sunt licita, vel illicita, decidendi dubia, explicandi Mysteria significat: qualem sensum verbis Christi non modo Doctores Acatholici, sed etiam Catholici Joannes Morinus attribuunt (f). Cur autem hanc potestatem facer Evangelista per claves exprimere voluerit, ratio dari posset, quod apud Hebræos moris fuerit, ut Doctoribus manum imponerent, librum Pentateuchi una cum clave in manus traderent, hacque ratione significarent, penes Doctores esse potestatem aperiendi mysteria legis, solvendi dubia, determinandi ea, quæ sunt licita vel illicita, prout explicat Jacob Basnage (g). Accedit opinio Moshemii docentis, in his verbis agi de dono Miraculorum Apostolis communicato, ita, ut *ligare* idem significet, ac facinorosum ob sua scelera punire & plectere variis morbis & infirmitatibus; *solvere* autem eundem ab his liberare (h). Longe majoribus difficultatibus obnoxia est potestas excommunicandi, proscribendi, ejiciendi & eliminandi facinorosos, quam Catholici se invenisse existimant loc. cit. (i). Sed quis nescit opinionem doctissimorum virorum existimantium, loco citato ne quidem agi de excommunicatione? Explicat nempe Salvator præceptum de correptione fraterna, quod habetur Levit. 17. ostenditque, quanta cum moderatione agendum sit cum fratre peccante, ut ad sanam mentem redeat: Primo itaque

& nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Apocal. 9. v. 1. *& data est ei clavis putei abyssi.*

(d) Luc. 11. v. 52. *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ.*

(e) Pfaffius pag. 18.

(f) Comment. Histor. de Admin. Sacram. Pœnit. lib. 1. cap. 8. & lib. 4. cap. 23.

(g) Histoire de Juifs T. 6. cap. 5. §. 15.

(h) Allgemeines Kirchen-Recht, Hauptst. II. pag. 226. Um den Schluß zu verstehen, ist hier zu merken, daß der Author die Stelle Matth. 16. v. 19. von den Wunder-Gaben erkläre. Binden heisset einen Gottlosen wegen seiner Gottlosigkeit durch Unglück und Krankheiten strafen. Lösen jemand von dem Unglück und Krankheiten, so ihm GOtt wegen seinen Sünden zugeschicket hat, befreyen. Vid. ulterius §. 20.

(i) Joan. 6. v. 58.

itaque requirit correptionem fraternam, quam si frustraneam esse læsus animadvertat, subsequi debet correptio in præsentia duorum vel trium testium: hæc si itidem nullum effectum habeat, tandem publice arguendus est in conspectu multorum, seu cujusdam cœtus; neutiquam Ecclesiæ, prout nomen Ecclesiæ hodie accipimus: tum quod nomen Ecclesiæ ex sua primæva significatione nonnisi cœtum significet (k): tum quod illo tempore, quo Salvator hoc præceptum dedit, nondum illum, quem hodie habet sensum, habuerit, ac determinate *cœtum fidelium cultus divini gratia congregatum* significaverit. Et qua ratione ex verbis illis: *Sit tibi velut Ethnicus & Publicanus*, excommunicatio extorqueri & extundi valeat? cum utique Ethnicos Judæi eo ipso, quod Synagogæ nomen non dederint, nequidem excommunicare potuerint; Publicanos vero proprie nunquam excommunicaverint, sed solummodo commercium familiare cum ipsis evitaverint, quo intuitu Pharisæi Christum redarguebant, quod cum Publicanis familiarius haberet commercium (l). Quocirca loco citato sola familiaritas particularis; neutiquam communio publica, & communis cum effectibus sacris & civilibus conjuncta interdicitur. Et quare Christus loc. cit inquit: *Sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus*? quare non Ecclesiæ? Id sane dicere debuisset Christus, si Ecclesiæ potestatem excommunicandi tradere voluisset. Accedit, quod Christus ad excommunicationem Judaicam alludere videatur, quæ longe alia fuit, quam est hodierna in usu Ecclesiæ: apud Judæos tria Excommunicationum erant genera: potestas excommunicandi erat penes privatos, Rabbinos, & Synedrion, excommunicationes illæ longe alios habebant effectus, quam hodiernæ, tum spirituales. tum civiles, prout fusius ostendit doctissimus Joannes Morinus (m).

Exponitur textus: sit tibi velut Ethnicus.

Negat, quod Apostoli acceperint potestatem legislatoriam.

Ad Apostolos veniamus: ubinam, quærere inprimis liceat, Christus suis Apostolis potestatem constituendi & regendi Rempublicam, ferendi leges, & exercendi imperium dedisse legitur? an majorem fortassis dedit, quam ipse exercuit? id nemo dixerit: cum ipse dicat: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos* (n). Illa potestas *ligandi, solvendi, remittendi peccata, excommunicandi* jam in antea dictis est explosa: aut certe ita obscure est concessa, ut de ea jure optimo propter obscuritatem verborum, interpretationes virorum sapientissimorum dubitare liceat,

(k) Prout alibi ostendimus Quæst. I. de Jur. Can. Cap. I. §. I.
(l) Matth. 9. v. 10.
(m) Loco supra citato.
(n) Joan. 6. v. 58.

ceat, & hoc ipso inter dogmata fidei recenseri nequeat (o). Aut fortassis illam extundent, & violenter extorquebunt ex famosa illa traditione, qua Paulus Corinthium incestuosum Satanæ tradidit (p)? Verum supernaturali quadam virtute & potestate extraordinaria officio Apostolico annexa id factum esse, neque illam traditionem vim excommunicationis habuisse, sed potius incestuosum Satanæ corporaliter cruciandum fuisse traditum luculentis demonstratum manet argumentis (q). Aut unde ostendi valet, quod Apostoli vel unicam legem ad Rempublicam gubernandam necessariam tulerint? fecerunt ordinationes plures ad cultum divinum debite exercendum, ad ordinandam disciplinam ecclesiasticam, ad informandos mores, ad dirigendas actiones in viam salutis æternæ tam utiles quam necessarias: sed nullibi legitur, quod vel unicum Imperii actum exercuerint. Si totam Scripturam, Actus Apostolorum, Epistolas Pauli percurramus, aliud vix legimus, quam quod baptizaverint (r), prædicaverint (s), manus imposuerint (t), ritus & ceremonias Judaicas tam ipsi observaverint, quam a fidelibus observari permiserint (u), eas postea abrogaverint (x) conventus cum cæteris fidelibus celebraverint (y) ad frangendum panem convenerint (z), convivia charitatis, vulgo Agapas instituerint (a) varias Episto-

Explicatur traditio Satanæ.

Apostoli nullam legem tulisse leguntur.

C 2 las

(o) Est enim doctrina Catholica, quod ea solum tanquam dogmata fidei declarari valeant, quæ vel in Scriptura clara; vel traditione certa continentur.

(p) 1. Cor. 5.

(q) Vid. Samuel Basnag. in Annal. Polit. Eccles. Tom. 2. Differt. 1. ubi ostendit, nullibi in S. Script. per traditionem Satanæ significari Excommunicationem, neque illam effectus Excommunicationis post se trahere, neque importare actum Jurisdictionis ordinariæ, sed potestatis extraordinariæ Apostolis concessæ.

(r) Matth. 28. v. 29. Act. 2. v. 38. 41. Item Act. 8. v. 12. 16. 36. & seq.

(s) Matth. 19. & alibi passim.

(t) Act. 6. v. 6. Act. 9. v. 17. Act. 8. v. 17. dum nempe vel confirmabant, vel ordinabant.

(u) 1. Cor. 9. Act. 2. v. 46. cap. 3. v. 1. cap. 5. v. 12.

(x) Act. 15. (y) Act. 15.

(z) Act. 1. Act. 6. Act. 20 v. 7.

(a) 1. Cor. 11. erant nempe convivia Charitatis, quæ post participatam Eucharistiam in Ecclesiis erant instituta, de quibus vid. Cabassut. in Not. Eccles. pag. 34.

las ad Ecclesias scripserint (b) suis exhortationibus, monitionibus fideles in fide, charitate, cæterisque virtutibus conservare laboraverint (c).

De confœderata disciplina.

Atque hic delabimur ad confœderatam illam Disciplinam a Boehmero tantopere eum potissimum in finem jactitatam, ut Rempublicam eliminet, & Apostolos, illorumque Successores suo imperio dejiciat.

Fuit duplex, directrix & castigatrix.

Jam supra monuimus, quod haud secus in cœtibus & collegiis necessarius sit quidam ordo, necessaria quædam disciplina *directrix* actionum, & *castigatrix* criminum & facinorum, quam in Republica majori quacunque summa quædam potestas regendi, ferendi leges cum imperio & jure animadvertendi in facinorosos, delinquentes coercendi, inobedientes & refractarios intra limites conservandi, ac seditiosos proscribendi conjuncta. Sed quis ordinem illum, disciplinam illam mutuo consensu receptam, præcepta illa, quibus diriguntur actiones, informantur mores, ordo rerum agendarum præscribitur, plectuntur transgressores, & non nunquam e Collegiis proscribuntur, eliminantur, leges, aut actus imperii dixerit? Et quoniam Christus suam Ecclesiam unice instituit, ut fideles in ea congregati in doctrina & veritate fidei ambularent, vitam illibatam agerent, se moresque suos ad normam sui Salvatoris exactissime componerent, profecto omnia sua præcepta eo unice direxit, ac per suos Apostolos dirigi voluit, ut talis morum disciplina *directrix*, ac *castigatrix* in omnibus Ecclesiis conservaretur. Porro ad hunc finem consequendum utique non opus erat severitate legum, potestate Imperii, violentis suppliciis, aliisque remediis exorbitantibus ad conservandam tranquillitatem & securitatem publicam necessariis. Itaque ut hunc finem eo facilius & felicius consequeretur optimus Salvator, Episcopos & Presbyteros institui voluit, non ut imperium exercerent, sed ut essent observatores morum, correctores vitiorum, Inspectores vitæ eorum, qui sibi concrediti erant (d). Huc collineabant quotidianæ adhortationes in cœtibus & Ecclesiis; huc Epistolæ Apostolorum ad Fideles suos directæ, quorum unicus scopus & finis principalis fuit non facere eruditos, sed pios & in veritate ambulantes: utpote in quo unica ratio Christianismi consistebat. Et en *Disciplinam Informatricem!*

Non fuit necessaria potestas imperii sed correctio & inspectio.

De disciplina castigatrice.

Idem dicendum de *Disciplina Castigatrice* eo ex capite summopere necessaria, ut in cœtu Christiano Socii in suo officio continerentur, & ipsa

Fuit necessaria, & quare?

(b) Vid. Epist. Pauli. (c) Ibid.

(d) Boehm. in cit. Dissert. §. II. & III.

ipsa Societas a fœce hominum facinoroforum purgaretur. Duplicem hujus rationem affignat Boehmerus: Inprimis enim infinitis obtrectationibus erant obnoxii primi Chriftiani, ita ut vix aliquod fcelus excogitari poffit, quod a Gentilibus non fuit ipfis imputatum (e). Dein factum eft, ut paulatim homines peffimi & facinorofi fine cordis & mentis mutatione fefe cœtibus fidelium adjungerent, ex quorum converfatione & moribus non tantum depravatio totius corporis metuenda erat, ut Paulus teftatur 1. Cor. 5. v. 6. fed præterea etiam calumniæ gentilium in Chriftianos quotidie ingravefcebant, Chriftiani nominis gloria obfufcabatur, & incrementa fidei labefactabantur. Ut itaque Chriftiani ab omni labe, quantum fieri poffet, effent immunes, ut cœtus fidelium a fceleftis hominibus purgaretur, feveritatem quamdam difciplinarem feu caftigatricem affumere placuit: quatenus illi, qui vitam fuam ad præcepta Chrifti componere recufarent, a cœtu exeffe juberentur; exclufi vero, poftquam fuere exclufi, ægre denuo reciperentur, nifi emendatæ vitæ apertiffima darent teftimonia. Inde confectarium eft, in duobus potiffimum Difciplinam illam caftigatricem conftitiffe, nempe in *ejectione impiorum a cœtu fidelium*; & *pœnitentia publica* ab Ecclefia libere mutuo confenfu recepta (f): Illa erat fpecies quædam *Excommunicationis* (g); hæc *Pœnitentiæ* in genere confideratæ: neutra ex poteftate Clavium, fed ex mutuo fidelium confenfu ampliorem quamdam poteftatem directivam in Epifcopos transferentium fuum ortum traxit. Inde autem quis poteftatem imperativam, & legislativam inferet? Id fi quis inferre velit, omnia Collegia, Cœtus, & Societates in Rempublicam transmutabuntur: omnis profcriptio, & exclufio

In duobus confiftebat, in ejectione impiorum, & in pœnitentia publica.

C 3

(e) Ibid. §. 4. & 5.

(f) Eft ergo difcrimen inter Excommunicationem, & pœnitentiam publicam in eo, quod Excommunicatio antiqua meram ferme denegationem communionis importaret; Pœnitentia vero publica homines per multum temporis in operibus etiam rigidiffimis juxta diverfos gradus pœnitentiam per plures vel pauciores annos exercuerit: atque huic pœnitentiæ fuere fubjecti delinquentes propter varia crimina hærefis, carnis &c. de quo vid. Joan. Morinus de Adminift. Sacram Pœnitentiæ. Plura exempla ejectionis & excommunicationis ex Sæculo fecundo & fequentibus affert Boehmerus. Naturam, effectus antiquioris Excommunicationis exponere non vacat. Vid. cit. Morinus, Van Efpen, Boehmer ad Tit. de fent. Excom.

(g) Cit. Author loc. cit. §. 43.

clusio a cœtu quocunque actus erit Imperii, id quod nemo salvis Juris principiis affirmare ausus fuerit (h).

Utraque disciplina fuit confœderata.

Reliquum est, ut utramque hanc disciplinam fuisse *confœderatam* mutuo consilio, pacto, & Sacramento institutam, receptam, ac stabilitam demonstretur: id quod sine difficultate, & tanto facilius se demonstraturum confidit Boehmerus, quanto evidentioribus argumentis se demonstrasse existimat, quod Christus Dominus Rempublicam quamdam in sua Ecclesia non instituerit, suosque Apostolos & Discipulos ab omni dominatu ac imperio quam alienissimos esse voluerit: Hoc enim semel dato necessarium est, ut dicamus, quod Societates primorum Christianorum fuerint æquales: supposita vero Ecclesiarum æqualitate & libertate utique non aliter Disciplinæ ecclesiasticæ ratio constitui, & recipi poterat, quam unanimi omnium consensu, pacto mutuo, & confœderatione reciproca: in eo quippe est diversitas Societatum inæqualium & æqualium, quod in prioribus dentur imperantes & obedientes; in posterioribus singuli sint veluti coimperantes: ita tamen ut ex his quosdam majori authoritate quadam sine imperio tamen instrui oporteat, quatenus in hac societate negotia dirigant, proponenda proponant, vota colligant, votum informativum habeant, ad cœtum referant, & sint veluti Directores negotiorum, & Executores mandatorum: atque tales fuisse videntur Apostoli, & sunt hodie illorum Successores.

Et quare?

Demonstratur æqualitas Societatis Christianæ.

Atque hanc æqualitatem ipsa rerum argumenta ex mente Boehmeri evidenter demonstrant: quidquid enim egerunt, & statuerunt Apostoli, consilio & suffragio communi factum esse legimus: quamquam enim Apostoli maxima authoritate pollerent in Ecclesiis, adeo ut ipsorum placita avidissime reciperentur, noluere tamen hac abuti, & pro imperio cum fidelibus agere. Quid facilius fuisset Apostolis, quam sibi in locum Judæ Collegam sufficere, aut oborto murmure græcorum Ministros mensæ in locum fœminarum substituere? utrumque negotium communi fidelium suffragio & consensu in Comitiis Jerosolymis congregatis expediendum esse existimarunt: Judæ quidem Matthiam per sortem; fœminis septem Diaconos suffragante populo substituerunt (i). Quodsi potestas regendi Ecclesiam, ferendi leges, decidendi causas, determinandi credenda, ordinandi disciplinam ad solos pertinuit Episcopos

Ex Synodis Apostolicis.

(h) Quia tali modo nullum erit discrimen inter Rempublicam, & Societatem qualemcunque; inter Civitatem, & Cœtum simplicem.

(i) Act. 1. v. 15. & Act. 6. v. 1. & seq.

ſcopos, ad quid in rebus non modo diſciplinaribus, ſed etiam Dogmaticis in conſilium vocarunt plebem & populum? Quæ Apoſtolorum tempore viguit controverſia maximi ponderis, ea ſane fuit illa de obſervandis ritibus Judaicis, & abroganda legalium obſervantia (k). Exordium ſumpſit hæc quæſtio in Eccleſia Antiochena, ubi Fratres quidam ex Judæa digreſſi docebant, Fratres Antiochenos non poſſe ſalvos fieri, niſi Moſaico ritu circumciderentur. Itaque placuit Eccleſiæ Antiochenæ pro dirimenda controverſia Paulum & Barnabam ad Apoſtolos & Seniores Jeroſolymam ablegare. Hi ergo congregato Concilio controverſiam diremerunt, legalium obſervantiam ſuſtulerunt, ac poſtea viros ſelectos una cum Paulo & Barnaba datis literis miſerunt ad Fratres Antiochiæ, Syriæ & Lybiæ degentes (l). Hæ circumſtantiæ ſi rite expendantur, quid aliud oſtendunt, niſi communi totius Eccleſiæ Antiochenæ conſenſu Paulum & Barnabam fuiſſe ablegates, communi conſilio controverſiam deciſam, decretum Concilii ab omnibus fratribus ad Fratres cæteros Antiochiam transmiſſum, & hoc ipſo communionem Regiminis inter Apoſtolos & plebem viguiſſe, atque hac ratione plebem in participium poteſtatis Eccleſiaſticæ veniſſe. Quid nomen *Fraternitatis* (m) quo inter ſe utebantur primi Chriſtiani, quid communis appellatio *Fratrum*, quærit Bœhmerus, aliud ſignificat, quam libertatem & æqualitatem Eccleſiarum inter ſe communicantium, & communi Conſilio negotia ſeu ad fidem ſeu ad Diſciplinam ſpectantia agitantium? quid inſcriptio *literarum Apoſtolicarum*, quam adhibebant Apoſtoli in ſuis Epiſtolis, quas non ad Epiſcopos & Presbyteros, ſed ad ipſas *Eccleſias* ſcribere non dubitarunt (n): quid *literæ formatæ*, quibus Eccleſiæ orbis Catholici ferme omnes inter ſe communicabant (o)? Quid miſſio *Eulogiarum* (p)? quid convocatio plebis in Electionibus Epiſco-

Ex appellatione Fratrum.

Ex inſcriptione literarum Apoſtolicarum.

Ex literis formatis & Eulogiis.

(k) Act. 15. (l) Loc. cit.

(m) Act. 16. & 2. Cor. Paulus multorum *Fratrum* meminit, qui Apoſtoli Eccleſiarum fuere: & ad Philippenſes ſcribens Epaphroditum *Fratrem & Commilitonem* vocat.

(n) Sic Paulus ad Philippenſes ſcribens ſuam Epiſtolam his verbis exorditur: *Paulus & Timotheus ſervi JEſu Chriſti omnibus Sanctis in Chriſto JEſu, qui ſunt Philippis, nec non Epiſcopis & Diaconis.* Vid. etiam 1. Cor. 5. & 2. Cor. 2.

(o) De his literis formatis, earum multiplicitate, & authoritate vid. Caballut. in ſpecial. Diſſert.

(p) Idem Author de Eulogiis.

piscoporum, in ordinatione Clericorum? profecto ex hac perfectissima communione, modoque agendi nunquid confœderata Disciplina invictis demonstrata manet argumentis (q)?

Refutantur argumenta Sectariorum.

Utuntur amphibologiis, formulis inusitatis & novis.

Hæc & his similia argumenta Bœhmerus, Pfaffius, & Pertschius, agglomerat (r), quibus magna ex parte satisfecimus in nostra Quæstione *de Statu Ecclesiæ* (s), ubi Amphibologias. ac sinistros conceptus arbitrarie a DD. contrariantibus assumptos exposuimus. Et quis non jure optimo illis exprobret, quod novis principiis ex jure naturæ violenter extortis, formulis loquendi antea inusitatis, subtilitatibus Sophisticis rem Catholicam adeo turbent, novos Reipublicæ, Regiminis, ac imperii conceptus in luxurianti suo ingenio arbitrarie fabricatos nobis obtrudant, de quibus tota retro antiquitas ne quidem cogitavit aut somniavit? Exprobrant Acatholici antiquis Patribus, & Theologis Scholasticis, quod per suas subtilitates Scholasticas rem Catholicam turbaverint, ipsa Dogmata fidei periculo summo exposuerint, & non raro modos loquendi Philosophicos ex Philosophia Platonica & Aristotelica ad explicanda fidei Dogmata adoptaverint: cur id non majori jure hisce Doctoribus exprobrare liceat? Ad quid inutiliter quæstiones de nomine facimus? ad quid subtiliter inter *Leges* & *Canones*, inter imperium, & potestatem regendi ac dirigendi subtiliter distinguimus? profecto Salvator noster neque in suis regulis fidei, neque in suis Doctrinis morum, neque in institutione & regimine suæ Ecclesiæ Philosophum egit aut Politicum: Nobis Catholicis sufficit, dummodo demonstremus, Christum instituisse Ecclesiam ad modum Reipublicæ, in ea quosdam constituisse Rectores cum potestate dirigendi, regendi, leges ferendi (quas pace nostra *Canones* dicere licet) cum jurisdictione decidendi causas, ligandi, absolvendi, castigandi, plectendi &c. quid ad nos contortæ Sectariorum expositiones, sensus verborum gratis conficti, & verbis Scripturarum arbitrarie affìcti? majoris ponderis nobis esse debet Traditio, praxis, & authoritas Ecclesiæ: utpote ex qua genuina Scripturæ, verborum & sensuum interpretatio est haurienda: Huic potius assurgendum, quam fictis paucissimorum Doctorum in diversas abeuntium sententias interpretationibus. Esto Salvator se ad tempus legi Mosaicæ accommodaverit: num inde sequitur, quod novam Ecclesiam non

Disputant de nomine; inanes excogitant distinctiones.

Prævalere debet authoritas Ecclesiæ.

Quare Christus se accommodaverit legi Mosaicæ & regimen Monarchicum non exercuerit.

(q) Boehmerus in Differt. Jur. Eccles. Differt. 3.

(r) Pfaffius Ursprung des Kirchen-Rechts. Pertschius: Kurze Historie des Canonischen Kirchen-Rechts.

(s) Cap. 1. §. 25.

non instituerit, eamque a Synagoga non separaverit? cur Salvator Synagogam non mox in primo suo adventu destruxerit, Ecclesiam suam *ad instar Reipublicæ* politicæ visibilem facere noluerit (t), regimen Monarchicum non exercuerit, variis legibus ad regendam Rempublicam ordinatis suam Ecclesiam non stabiliverit; atque hanc potestatem suis Apostolis, eorumque Successoribus potius relinquere voluerit, id nos latere ultro fatemur, ac insuper quam liberrime largientes, quod munus Christi & Apostolorum magis præcipuum fuerit munus prædicandi, docendi, & instruendi: qua enim arte alias suam Ecclesiam erigere, & Gentiles una cum Judæis in suum cœtum coadunare potuissent? Verum postquam jam innumera hominum multitudo suum nomen huic cœtui per susceptionem baptismi dedit, utique necessaria erat quædam disciplina, necessariæ quædam leges: tum ut fideles in unitate fidei, in pace, & tranquillitate conservarentur: tum ut scelerati, ac facinorosi in suo officio continerentur. Sane si argumentum ab exemplo Christi petitum probet, probabit, quod Apostoli ne quidem simplices Ordinationes ad instruendos mores, ad conservandum Ordinem, & introducendam Disciplinam facere potuerint: eo quod nec Christus eas fecisse legatur. Sed nec in eo doctrinam Sectariorum aspernamur, quando dicunt, quod præcipua Christi & Apostolorum præcepta ad instruendos mores collimaverint: Ast num propterea Disciplina externa negligi, fidelibus vivendi legesque disciplinares transgrediendi libertas concedi, & scelera atque delicta impunita abire debuerunt? Et quare Ordinationes Apostolicæ, illæ potissimum, quas in assumptione Ministrorum, in constitutione Presbyterorum, Ordinatione Episcoporum, in determinandis disciplinaribus, in ejectione facinorosorum fecerunt, nomen legis non mereantur? num ideo, quod vim cogendi externam non habuerint conjunctam? Qua ratione convincenter probant, id pertinere ad essentiam legis? Quæ Doctores contra *potestatem Clavium, Excommunicationem*, *Jurisdictionem illam Pauli*, qua incestuosum Corinthium Satanæ tradidisse legitur, ex principiis generalibus supra datis confutata manent, & a nostris Doctoribus pridem explosa sunt (u). Verum

Exemplum a Christo petitum probat nimium.

Nulla prudens ratio dari potest, cur Ordinationes Apostolicæ dici nequeant leges.

(t) Notanter diximus, *instar Reipublicæ politicæ visibilem:* nam quod Christus instituerit Ecclesiam vere visibilem, nemo unquam Catholicorum negaverit.

(u) Diximus enim, illorum interpretationes esse novas, diversas, gratis excogitatas, nec in Traditione, nec in Doctrina Ecclesiæ fundatas.

Christus dedit potestatem non modo prædicandi, sed etiam ligandi.

Verum est, dedit Christus Apostolis simplex mandatum prædicandi: *Ite prædicate &c.* (x). Sed utique alibi dedit insuper *potestatem ligandi, solvendi;* imo eandem potestatem, quam ipse habuit. En, quam fallaciter agant hi Doctores! Ex uno loco scripturæ argumentantur, & faciunt argumentum universale: Cætera loca tacent, dissimulant, prætereunt. Nempe, uti dictum fuit, inter *munus prædicandi, & regendi;* inter Apostolos qua *Doctores,* & *Legislatores* non distinguunt, ubi tamen distinguere deberent; & distinguunt, ubi non deberent distinguere (y). Sed nec id inficiamur, quod Christus violentis remediis, pœnis & suppliciis homines ad amplectendam Religionem christianam, nomenque suum cœtui Christiano dandum compellere neutiquam voluerit. Atque hoc ipso suo exemplo Christus monstravit, quod nihil contra leges naturales hominibus proprias agere voluerit: Anne liceat Regi superiorem in terris non agnoscenti homines in sua libertate naturali existentes, nulloque titulo sibi subjectos pro suo libitu & arbitrio suo jugo & imperio subjicere? Potuisset id Christus qua supremus rerum Dominus, cui omnis creatura millenis & infinitis subjecta est titulis. Sed non possunt Reges & Principes, qui talem titulum hactenus reperire & edere non potuerunt.

Christus dedit leges pro ordinanda Republica christiana, non politica.

Quando dicunt, quod Christus nullam legem ad ordinandam Rempublicam tradiderit, verum dicunt: sed utuntur fallaciis, dum inter Rempublicam *Christianam* & *politicam* non distinguunt. Longe alius finis Reipublicæ politicæ; & longe alius sacræ, seu Christianæ: illa securitatem & felicitatem politicam; hæc cultum divinum, salutem animarum, & beatitudinem supernaturalem ultimato respicit. Ut quid ergo mirum, si pro diversitate finis diversa sint media, diversus sit modus instituendi, ordinandi, dirigendi & regendi Rempublicam politicam & sacram? Etiam hic incidimus in quæstionem de nomine, quemadmodum supra, ubi de potestate ferendi leges penes Apostolos existente egimus, quid nempe sit Respublica, quænam eidem sint essentialia, quænam ad constituendam, & regendam Rempublicam requirantur. Nemo Catholicorum usque nunc somniavit, quod Christus instituere voluerit Rempublicam politicam, aut huic per omnia similem. Iterum iterumque dicimus, quod Christus Rempublicam politicam in Ecclesia

Quæstio, quid sit Respublica, est de nomine.

(x) Marc. XVI. v. 15.

(y) E. g. non distinguit Boehmerus, dum agit de regimine Ecclesiæ: & tamen deberet distinguere. Distinguit Moshemius, dum agit de successione in munere Apostolico: & tamen non deberet adeo solicite distinguere.

Ecclesia intuitucre noluerit, sed sacram. Ad Rempublicam in genere constituendam satis est, quod Christus Ecclesiam constituerit, eidem certos fines præfixerit, ordinationes substantiales & leges fundamentales condiderit, per Apostolos & Evangelistas suas doctrinas proposuerit, hos veluti legislatores constituerit, unaque potestatem ligandi, solvendi, puniendi, legesque ferendi tradiderit. Cæterum mirari satis vix possumus, quod Moshemius, qui textus de potestate ligandi solvendique sæpius citatos de dono miraculorum interpretatur (z): nihilominus in hac quæstione eosdem ad commonstrandam potestatem legislatoriam Apostolorum adhibeat (a). Nescio sane, an hæc consequenter dicta sint, & an a dono miraculorum, vi cujus in potestate nostra est immittere varias infirmitates & mala, & ab his iterum liberare, bonum & legitimum ducatur argumentum ad demonstrandam potestatem legislatoriam. In eo tamen nobis gratulamur, quod ex Protestanticis unum reperire licuerit, qui nobiscum animadvertit, libereque fatetur, quod huic quæstioni (idem dicas de quæstione, an in Ecclesia detur Respublica) multum sit immixtum de quæstione nominis, & præcipuus Adversariorum labor desudet in enucleando conceptu verborum. Hanc animadversionem jam fecimus (b), priusquam opus posthumum Moshemii (c) ad nostras manus pervenit.

Quid ad Rempublicam constituendam requiratur?

Moshemius sibi contradicere videtur.

Illam confœderatam Ecclesiæ Disciplinam, tam *directricem* quam *castigatricem* non abnuimus: id vero constanter negamus, quod inde sequa-

Ex duplici disciplina confœderata non sequitur æqualitas Ecclesiarum.

(z) Um den Schluß meines seeligen Herrn Schwieger-Vatters zu verstehen (sunt verba Windhemii, qui opusculum posthumum Moshemii sub titulo: Allgemeines Kirchen-Recht der Protestanten edidit) ist hier zu merken, daß derselbe diese Stelle, und Matth. XVI. v. 19. von den Wunder-Gaben erkläre. Binden heisset einen Gottlosen wegen seiner Gottloßigkeit durch Unglück, und Krankheiten strafen. Lösen, jemand von dem Unglücke und den Krankheiten, so ihm GOtt wegen seinen Sünden zugeschicket hat, befreyen. pag. 226. item §. 20. dieses Hauptstückes.

(a) Saget nicht Christus deutlich, daß die Apostel die Macht haben solten zu binden und zu lösen. Diese Macht ist ein Majestäts-Recht. pag. 225. Possent hæc tolerari, si author hic potestatem puniendi, & liberandi ad potestatem ordinariam reduceret: sed cum eam ad donum miraculorum referat, nescio sane, an hæc doctrina nostram censuram non mereatur.

(b) In Differt. de Statu Ecclesiæ, & in hac ipsa anno elapso edita.

(c) Das allgemeine Kirchen-Recht der Protestanten, quod supra citatus Windheimius typo committi curavit.

ſequatur æqualitas Eccleſiarum; quod unice ex mutuo fidelium conſenſu provenerit, fideles omnes in participium regiminis in ſtatuendis legibus diſciplinaribus, ac decernendis pœnis veniſſe. Ita eſt, interfuit plebs electioni Mathiæ, & ſeptem Diaconorum: quia ita placuit Apoſtolis, ita tamen ut præcipua poteſtas fuerit penes Apoſtolos, & plebs non niſi teſtimonium vitæ dederit. Num Reſpublica ceſſat eſſe Reſpublica, num Rex deſinit eſſe Rex, ſi quædam conſultis populi ſuffragiis ſtatuat, decernat, decidat? Num ex eo, quod Reges Francici præcipua ad ſtatum tam Eccleſiaſticum quam Politicum pertinentia negotia in ſolemnibus Comitiis, convocatis Regni Proceribus, Epiſcopis, & Prælatis tractaverint, deſierunt eſſe Reges, ſuoque Imperio exciderunt? Quæſtio illa de obſervandis, abrogandisque legalibus ipſos fideles ſeu Fratres Antiochiæ degentes tangebat, ut quid ergo mirum, quod plebs ipſa legatos Jeroſolymam veluti ad Eccleſiam Matricem ablegaverit, & Decretum Jeroſolymitanum ad Eccleſiam Antiochenam transmiſſum fuerit? Ipſi vero Concilio non niſi Apoſtoli & Presbyteri interfuiſſe leguntur (d). Quantum ad Epiſtolas Apoſtolicas, cum pleræque fuerint ſimplices exhortationes, monitiones & inſtructiones eum in finem ab Apoſtolis ſcriptæ, ut fideles in fide, in charitate, cæterisque virtutibus Chriſtianis confirmarentur, profecto non niſi ad Eccleſias & cœtum fidelium dirigendæ erant, haud ſecus, quam leges ipſi populo promulgari debent. Illa *Confraternitatis* appellatio tam parum deſtruxit characterem Apoſtolis proprium, quam parum humilior, aut gratioſior appellatio, qua Rex ſuos dignatur ſubditos; aut Bellidux ſuos milites, ipſi auſert ſceptrum Regium, vel ſuis ſubditis facit ſimilem. Literæ illæ *formatæ* tantopere a Scriptoribus Eccleſiaſticis dilaudatæ, utpote quibus Eccleſiæ omnes in toto orbe Catholico inter ſe communicabant, unice dabantur in ſignum Communionis (e). Quod idem de miſſione Eulogiarum dicendum eſt, quas Epiſcopi ad ſe invicem mittere conſueverunt (f). In Electionibus, & Ordinationibus Clericorum

Ex admiſſione plebis ad Synodos vel nihil vel nimium probatur.

Nihil ex reliquis argumentis de inſcriptione liter. Apoſt. literis formatis, & Eulogiis.

(d) Vid. Act. 15.

(e) Paſſim hæ literæ vocantur literæ *Unionis*, *Concentrationis*, *Conteſſerationis*: & fuere multiplicis generis, prout videre eſt in Cabaſſutio Diſſert. de literis formatis.

(f) Erant Eulogiæ particulæ exciſæ e panibus, quos pii fideles ad menſam Diaconicam offerre ſolebant, e quibus quædam particulæ pro Euchariſtiæ conſecratione aſſumebantur: aliquæ ſingulari benedictione benedicebantur, & ad abſen-

corum plebs votum non nisi consultivum in vim testimonii dabat: quin ne hoc quidem jure semper gaudebat. Ex his itaque manifestum fit, controversiam hanc multum habere de quæstione nominis, illiusque decisionem plurimum dependere a conceptibus & Ideis, quas sibi Doctores faciunt de Republica, de potestate Imperii, de legibus, ac ipsa forma Imperii. Videantur, quæ alibi diximus (g). *Est hæc quæstio de nomine.*

§. III.

Canon græce, latine Regula nuncupatur, ait Isidorus (h). Multiplicem hujus nominis significationem, sensum, & contortam explicationem Doctorum Acatholicorum alibi fusius ex antiquitate discussimus (i). Ecclesia Catholica nomen istud promiscue pro *lege*; pro *regula*; pro *sententia definitiva* accipere consuevit (k). Hinc inde etiam pro ipsa collectione Canonum illud accipi notat Petrus Coustant (l). Multiplicis, potissimum triplicis generis dantur *Canones*, nempe *fidei*, quibus definiuntur, declarantur, & statuuntur dogmata fidei (m); *Morum* ad dirigendos informandosque mores; ac *disciplinæ* ad ordinandam disciplinam externam Ecclesiasticam, ritus, & ceremonias in cultu DEI externo observandos ordinati (n). *Canones fidei* ab omnibus & singulis sunt recipiendi, & sine nota hæreseos respui, aut contemni nequeunt (o). In *Canonibus morum* plura sunt animadvertenda; atque illud præprimis, quod duplicis generis sint morum Canones, quorum priores merum jus naturale in se continent, illud explanant, explicant, *Canon diversimode accipitur.* *Triplicis generis sunt Canones.* *In Canonibus morum plura sunt observanda. Quidam continent jus naturale; quidam positivum.*

absentes in signum communionis mittebantur, & hæ dicebautur *Eulogiæ*. Vid. Cabass. in Differt. de Eulogiis.

(g) In Differt. de Statu Ecclesiæ.

(h) Dist. 3. cap. 1.

(i) In Quæst. de Jur. Can. in genere cap. 1. §. 11.

(k) Sic *Canones* passim dicuntur *leges Ecclesiasticæ*; *Regulam* vero aliunde ex primæva significatione significant. Pro Sententia definitiva assumuntur in Conc. Trident. quod declarationes suas circa dogmata fidei nomine *Canonum* exprimit: unde invaluit communis distinctio inter *Canones*, & *Capita*: in illis dogmata fidei; in his præcepta morum & disciplinæ continentur.

(l) In Epist. Rom. Pont. pag. 558.

(m) Vid. mox dicta.

(n) Huc pertinent e. g. ea, quæ Synod. Trident. in variis Capitibus statuit.

(o) Inde venit, quod Conc. Trident. quoad *Canones*; non vero quoad *Capita disciplinæ* ubivis fuerit receptum, & recipi debuerit.

cant, aut casibus particularibus applicant, atque ad morum honestatem intrinsecam spectant (p), quibus haud secus assurgendum ac ipsi Juri naturali: Posteriores vero Jus tam positivum quam naturale includunt, ex utroque veluti permiscentur, atque honestatem morum potissimum externam attingunt. Includunt hi Canones *Jus naturale*, Quatenus præscribunt ea, quæ honestati, & decori status ac dignitatis sunt conformia, & prohibent ea, quæ huic sunt deformia, ita ut si fiant, eundem dehonestent, vel omnino scandalum in publico præbeant (q); *Positivum* vero: quia similia cum certo quodam rigore, Juri naturali incognito, vel omnino plus, quam absolute necessarium foret, præcipiunt, vel aliquid addunt, quod jure naturali non est præceptum (r). In his Canonibus interpretandis, vel sano de iis ferendo judicio cautos & circumspectos esse oportet Doctores, neque contra illos facile admittenda aliqua præscriptio aut consuetudo, nisi quoad ea, quæ sunt *Juris positivi* (s). Inde est, quod passim in Jure Canonico quædam consuetudines vocentur corruptelæ & abusus (t): imo etiamsi Ecclesia non nunquam majoris mali vitandi gratia ob rerum fortassis, ac temporum circumstantias & difficultates, prout exprimere solet, tales consuetudines vel abusus toleret, permittat, vel in iis omnino dispensasse videatur, haud erit aliquis in conscientia securus, maxime quando Canones sunt tales, quos necessitas, aut rerum temporumque difficultas

(p) Huc pertinent *Canones*, quibus incontinentia, avaritia, aliaque similia vitia, usuræ, Simoniæ proscribuntur.

(q) Huc pertinent Canones, qui Clericis honestatem morum extrinsecam præcipiunt, & econtra negotia sæcularia, conversationem minus decentem e. g. luxum, commessationes, choreas, aleas, lusus, sordidum quæstum, mercaturam &c. interdicunt.

(r) Dum Canones Clericis non modo decentem habitum, sed etiam certam illius formam; dum Episcopis, Parochis, Canonicis tempus Residentiæ præscribunt; dum in transgressores certas pœnas e. g. privationem fructuum decernunt, comminationes faciunt &c.

(s) Sic cum Residentia Episcoporum & Parochorum probabilius sit Juris Divini, contra Canones, in quantum Residentiam præscribunt, nulla valebit consuetudo, nulla præscriptio; bene vero quoad tempus, quoad obligationem petendi licentiam a Superiore, ut ad aliquod tempus abesse liceat; quoad pœnas in negligentes statutas.

(t) Vid. cap. 3. 5. 9. 10. 11. &c. de Consuet.

cultus extorsit (u). Quoad *Canones disciplinæ* observandum est, quod quidam eorum Jus divinum, alii plerique Jus mere Ecclesiasticum continent: prioris generis sunt ritus Sacramentorum substantiales ab ipso Christo præscripti e.g. ablutio in Baptismo, impositio manus in Confirmatione, in Collatione Ordinis &c. & hi ab Ecclesia immutari non possunt: Posterioris generis sunt omnes ritus & ceremoniæ, quas Ecclesia in ordine ad cultum divinum decenter exhibendum, functiones liturgicas, aliasque rite obeundas, Officium divinum cum ædificatione peragendum ordinat: atque hi sunt mutationi obnoxii, quinimo sæpius immutati esse leguntur (x). Etiam hi Canones obligant, & pro diversitate materiæ vel graviter vel leviter, & sine graviori reatu conscientiæ saltem contemni nequeunt. Quamvis autem Canones Ecclesiæ æque pro Laicis ac Clericis ferantur: præcipue tamen illorum scientia & observantia ad Clericos pertinet: utpote quibus sacri Canones adinstar Regularum sunt præscripti. Quapropter illorum studium apprime commendatur Clericis, ut ex iis rectam vivendi normam addiscant, & vitam suam illis conformare satagant. Id potissimum emolumenti ex Canonum studio reportabunt, quod in iis spiritum Christi & Ecclesiæ tanto clarius sint perspecturi, quanto majorem operam illis impenderint.

Etiam in Canonibus disciplinaribus.

Commendatur Clericis studium Canonum.

Quoniam vero non omnes Canones esse æqualis Authoritatis dignoscuntur, vel maxime interest scire, quæ & qualis hujus vel illius vel singulorum Canonum sit Authoritas. Quapropter ad fontes originarios, id est, ad Conditores Canonum recurrendum est, a quorum potestate dimetienda est illorum authoritas. Itaque Canones Conciliorum Generalium aut etiam particularium in vim legis universalis approbatorum vel receptorum; item Pontificum, dummodo in vim legis emanaverint, sufficienter promulgati, vel recepti fuerint, habent authoritatem summam, legalem, & authenticam pro orbe Catholico universo:

Traduntur regulæ, ex quibus mensuranda est authoritas Canonum.

(u) Hujus rei exemplum pulcherrimum habetur in Synodo Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 21. ubi Patres serio expendentes, quanta mala promanent ex commendis Monasteriorum, Prioratuum, & mala administratione eorum, quibus sunt commendata, optimam suam intentionem medendi hujuscemodi malis exprimunt: in fine finali tamen addunt: *Verum adeo dura, difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi.*

(x) Probant id innumeræ Liturgiæ, diversi mores Ecclesiarum, Decreta innumera, quæ a Congregatione Sacrorum Rituum Romæ eduntur.

universo: Canones Synodorum particularium pollent Authentia pro suis Ecclesiis, pro quibus condebantur: Canones improprie tales, quales vocantur sententiæ SS. Patrum, vel etiam aliorum Doctorum in Corpus Juris relatæ, vel Canones omnino ex fontibus incertis, suppolititiis & spuriis deprompti (z) per se Authentiam non habent, nisi illam vel per relationem in illud, vel ex usu, & praxi receperint (a).

§. IV.

Quid sit collectio Canonum.

Progredimur ad ipsas collectiones Canonum, de quibus præcipue nobis est agendum præsenti Quæstione. Etsi Compilatores Canonum suas compilationes variis nominibus appellaverint (b), usus tamen obtinuit, ut passim *Codex*, vel *Collectio Canonum* vocentur: quo nomine venit complexus legum Ecclesiasticarum, Canonum, Decretorum, Rescriptorum, Doctrinarum ex Conciliis tam universalibus, quam particularibus, Epistolis Decretalibus Pontificum, Ordinationibus Ecclesiarum particularium, Operibus SS. Patrum, aliorumque Virorum doctissimorum in ordine ad informandos mores, disciplinam Ecclesiasticam ordinandam, regendamque ipsam Ecclesiam velut in unum collectorum. Paucis multa complexi sumus, quæ facili negotio intelliguntur ab illis, qui communia norunt principia & regulas, quas Authores passim de *Principiis originariis* Canonum & ipsis *Canonibus* dare solent (c).

Collectio Canonum diversa & multiplex.

Collectio Canonum alia *privata*, alia *publica:* prior dicitur illa, quæ fit ab homine privato sine jussu & mandato legitimi Superioris; posterior, quæ authoritate publica conficitur, vel saltem approbatur (d). Iterum alia *Universalis*, & alia *Particularis:* illa vel ex primæva sua origine, & confectione; vel receptione obtinet in universali Eccle-

(z) Hujusmodi Canonibus innumeris scatet vel maxime Decretum Gratiani.

(a) Pro exemplo serviat vel solum Cap. redintegranda Caus. 3. Q. 1. quod ex spuriis antiquorum Pontificum Epistolis est desumptum, & tamen Authentiam ex usu in foro obtinuit.

(b) Codex, Collectio, Corpus Canonum, Nomo-Canon, Concordia discordantium Canonum &c.

(c) Vid. quæ in tribus Quæst. de fontibus Originariis Jur. Eccles. scripsimus.

(d) Codices authoritate publica confectos paucos admodum habemus: plerique studio privato sunt confecti, & ab Ecclesia postmodum vel expresse vel tacite approbati, uti Canon Universalis Ecclesiæ, Collectio Dionysii exigui.

Ecclesia (e): ista usum & authoritatem habet in Ecclesiis particularibus, pro quibus facta esse dignoscitur. Alia *Authentica;* alia *non Authentica:* illa vim habet legis & authoritatem legalem ex ipsa approbatione: quin jam amplius necesse sit ad ipsos fontes Canonum recurrere, atque authoritatem ex ipso fonte, aut omnino ex praxi & receptione mutuare (f): Hæc aliam non habet, quam habent ipsi fontes, ex quibus desumitur: idcirco inter Collectiones Authenticas recensere non audemus Decretum Gratiani, Librum septimum Decretalium, Institutiones Lancellotti, Bullarium Magnum: nisi in quantum correspondent suis fontibus, id est habent fundamentum in quodam Conditore legali, penes quem erat potestas condendi Canonem per se obligantem (g).

Conditores Collectionum plerique privati.

Si de Conditoribus Collectionum loquamur, paucos admodum reperire est, qui authoritate publica muniti id laboris assumpserunt, si noviores quosdam excipiamus (h). Plerique sua sponte amore boni publici humeros hisce laboribus supposuerunt: quapropter pleræque Collectiones suam Authentiam, & vim legalem obtinuerunt vel ex superveniente approbatione; vel ex usu, consuetudine & receptione (i).

Videa-

(e) Quemadmodum quædam Synodi particulares ex receptione Ecclesiæ, sic etiam quædam Collectiones particulares & Canones particularium Ecclesiarum authoritatem publicam & universalem obtinuerunt. Inter Synodos particulares, quæ ad authoritatem Concilii Universalis assurrexerunt, numerantur Synodus Carthaginensis & Milevitana contra Pelagianos celebratæ. Insuper Codices suos particulares habuisse varias Ecclesias, Orientalem, Africanam, Gallicanam, Hispanicam, atque hos ab aliis etiam Ecclesiis fuisse receptos ex infra dicendis patebit.

(f) Exemplum est in Collectione Greg. IX. ab ipso approbata: licet fortassis de hoc dubitare possint illi, qui haud secus ad Collectiones a Pontifice promulgatas, quam ad ipsas leges acceptationem requirunt.

(g) Idcirco Canones Conciliorum Generalium e. g. in Decreto Gratiani, vel Bullario Magno contenti non ideo habent vim obligandi: quia his Collectionibus sunt inserti, sed quia correspondent fonti suo talem vim & authoritatem habenti.

(h) Conditores antiquiorum Collectionum omnino non sunt noti. Sane ne quidem Dionysius suam Collectionem ex mandato Pontificis fecit. Idem dicendum ferme de omnibus Compilatoribus usque ad Raymundum de Pennafort.

(i) Uti Codex Dionysianus, Collectio Isidori, Decretum Gratiani, Extravagantes &c.

Authoritas Collectionum dependet vel ab approbatione vel receptione.

Videamus de Collectionum authoritate. Hæc tota quanta ex dictis descendit vel ex approbatione, vel receptione ipsius Collectionis: quare distinguendum est inter Collectiones publica authoritate *approbatas*, & *non approbatas*: illæ habent vim legalem; non istæ: nisi, prout aliquoties dictum fuit, eam ex superveniente receptione obtineant. Ex quo manifeste sequitur, quod Collectiones qualescunque a quocunque Authore factæ ad vim legalem ascendere nequeant, nisi superveniat approbatio, vel receptio.

Quid authoritatis accedat Canonibus ex relatione in Codicem?

Inde oritur quæstio, quid ergo authoritatis accedat Canonibus per relationem in Codicem seu Collectionem? Sane facillimæ decisionis hæc est quæstio: vel enim loquimur de Codice authoritate publica, vel privata confecto? si privata: Canon suum pristinum vigorem retinet, nec majorem obtinet, quam aliunde habet: si publica: tunc Canon veluti canonizatur, & in arcem Canonum Authenticorum ascendit, etiamsi non sit Authenticus, imo ex fonte etiam spurio profluat (k), cui non minus est assurgendum, quam si e fonte purissimo promanaret. Aliud etiam commodum ex relatione in Codicem Canones obtinent, præsumptionem aliquam, quod sint genuini & sinceri; non suppostitii, spurii, vel adulterini, maxime si ab authoritate publica Collectiones sint approbatæ: supponitur enim, quod compilatores fontes originarios puros & sinceros indagaverint, fideliter & sincere egerint, nullam fraudem commiserint, nihil, quod non est verum, orbi Catholico obtruserint; & ipsi Conditores legum, qui Collectiones sua authoritate communierunt, non temere, non cæco modo, sed rebus bene perspectis suam approbationem adornaverint (l). Interim hæc præsumptio non est tanti roboris, ut fortioribus probationibus elidi nequeat: nam paucissimæ sunt Collectiones, quæ ex purioribus fontibus haustæ sunt, & non quamplurimis mendis, erroribus & defectibus scatent; imo plura suppositia, spuria atque adulterina non continent. Ipsum Codicem Dionysianum, Collectiones Pseudo-Isidori, Burchardi Wormatiensis, specialiter vel solum Decretum

---

(k) Sic plures Canones Synodorum & Pontificum etiam ex fontibus spuriis desumpti e. g Cap. *redintegranda* in Corpus Juris relati Authentiam obtinuerunt.

(l) Ex hoc capite Ecclesia Romana Canones Concilii Constantinop. in Concilio Chalcedonensi ab Orientalibus productos agnoscere noluit: quia, uti inquiebat Legatus Sedis Apost. in Constitututionibus Ecclesiasticis non reperiuntur. Ex eodem fundamento Patres Africani Canones Concil. Sardicensis, & Hincmarus aliique Episcopi Gallicani Epistolas Decretales antiquorum Pontificum

tum Gratiani illustremus, & quam id sit verissimum, apertissime conspiciemus (m).

§. V:

Originem Collectionum seu Codicum indagaturi ad Quæstionem nostram primam (n) appellare necessum habemus, ubi ostendimus, nullam authenticam Collectionem, qua universalis in primis tribus sæculis regebatur Ecclesia, hactenus afferri posse, atque Ecclesiam, Occidentalem præcipue, non tam legibus scriptis, quam traditionibus, observantiis, & consuetudinibus in disciplinæ morumque directione, in Judiciis Ecclesiasticis, infligendis pœnis fuisse gubernatam; quidquid ex conjecturis quibusdam non satis fundatis in contrarium afferat Van Espen, existimans incredibile esse, quod Patres & Episcopi primorum sæculorum Ecclesiam jure incerto sine regularum, & Canonum sparsim vagantium Collectione gubernaverint: quanta enim inde ex defectu certæ normæ confusio in publico, in judiciis, in regimine Ecclesiarum oriri debuisset? *In primis tribus sæculis Ecclesia non habuit collectionem authenticam.* *Doctrina Van Espenii non sufficienter probatur.*

Verum hisce conjecturis loco citato obviavimus. Et sane ipse Van Espen infirmitatem sui argumenti agnoscere videtur, dum subjungit, *id intelligendum esse de iis saltem temporibus, quibus post pacem Ecclesiæ datam fas fuerat Episcopis frequentes celebrare conventus, & in illis varios, vel pro universali, aut pro particularibus Ecclesiis Canones condere* (o).

Porro autem tres potissimum circumferuntur Collectiones, quas in primis tribus sæculis obtinuisse non pauci ex scriptoribus priorum sæculorum scribere non verentur, nempe *Liturgiæ* quædam Apostolis attributæ, Petri pro Ecclesia Antiochena & Romana, Mathæi, quam communiter vocant Missam Æthiopum, Jacobi, Marci pro Ecclesia Alexandrina, Joannis Evangelistæ: quibus accedit Liturgia Clementis I., cui ipsos Apostolos Liturgiam quamdam ad calamum dictasse asserunt: Item *Canones Apostolici*, & *Constitutiones Apostolicæ;* & demum *libri* *Triplicis generis collectiones ex primis tribus sæculis circumferuntur.*

sicum a Clemente usque ad Siricium a Nicolao productas admittere noluerunt: quia in Codice Canonum non habebantur adscriptæ.

(m) Profecto ipsi Correctores Decreti hujus id fassi sunt, & fatentur Eruditi omnes, quod Decretum adhuc scateat innumeris mendis.

(n) *Jus Canonicum in genere inscriptam.*

(o) In Tract. Histor. Canonico part. 2. cap. 3.

libri Dionyſiani, quos Dionyſius Areopagita ſcripſiſſe fertur, qui jure optimo nomen Collectionis merentur, utpote in quibus quamplurima ad Diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentia referuntur (p). Quid jam de his Collectionibus ſentiendum, videamus

CAPUT II.

De Liturgiis, Libris liturgicis, & Studio liturgico.

§. I. *Quid ſit Liturgia?* II. *Cujus juris ſit cultus publicus?* III. *De origine, uſu, & incrementis liturgiarum, quæ in ritibus & ceremoniis;* IV. *Item earum, quæ in præſcriptis & certis precationum formulis conſiſtunt.* V. *An in tribus primis ſæculis Eccleſia habuerit libros liturgicos?* VI. *Quid de liturgiis Apoſtolicis ſit ſentiendum?* VII. *De liturgiis Orientalis Eccleſiæ.* VIII. *Eccleſiæ Occidentalis.* IX. *De Miſſa Gelaſiana.* X. *Gregoriana.* XI. *Ambroſiana.* XII. *De Miſſa Mozarabum.* XIII. *De Miſſa Gallicana.* XIV. *De libris Eccleſiaſtico-Catholicis diverſi generis.* XV. *De liturgiis & libris Eccleſiaſticis Proteſtanticis.* XVI. *De Jure liturgico* XVII. *De regulis in re liturgica obſervandis.* XVIII. *De uſu* XIX. *& cultu imaginum.* XX. *De picturis & imaginibus, & quid in his liceat, vel non liceat.* XXI. *De Reliquiis Sanctorum.* XXII. *De regulis ad diſcernendas Reliquias obſervandis.* XXIII. *De ſanctis ignotis, eorumque cultu dirigendo.* XXIV. *De Studio liturgico.*

§. I.

Cum ad Jus Eccleſiaſticum vel maxime etiam pertineat Jus *Ceremoniale* & *Liturgicum* præſcribens certos Ritus, Ceremonias & formulas in Celebratione Divinorum, in Officio divino, præcipue in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio adhibendas, operæ pretium eſſe duximus, materiam liturgicam latius exponere, ea potiſſimum ex ratione, quod hodiernis temporibus ſtudium liturgicum maximi habeatur, in Academiis

(p) Lib. de Hierar. Eccleſ.

miis Theologia liturgica publice doceatur, & ab omnibus sublimioris eruditionis studiosis mirum in modum excolatur.

Liturgia satis decantatum in sacris vocabulum est, denotatque *Ministerium aliquod sacrum*, quatenus cultu externo peragitur, quod, scilicet, si late sumatur, significet omne *Ministerium* (q), usu tamen obtinuit, ut hoc nomine universus cultus sacer primario Liturgia appelletur, maxime apud primos Christianos, ubi adhuc cultus divinus in simplicitate, in Spiritu & Veritate magis, quam Ceremoniarum apparatu peragebatur. Postquam vero Ecclesia innumeros ritus tum novos tum antiquos ex lege Mosaica adoptatos introduxit, ut divina majori cum decentia, Majestate, & solemnitate celebrentur, atque hunc in finem Ritualia, variæque precum formulæ fuerunt collectæ, nomen istud adaptatum fuit solis Ritibus & Ceremoniis in celebratione divinorum adhibendis. Denique cum præcipuus DEI cultus in Celebratione Missæ consistere credebatur, ipsa *Missa* dicta fuit Liturgia, maxime apud Græcos, & ideo in hodiernum usque diem Ritus & Ceremoniæ pro Celebratione Missarum præscriptæ proprie functiones *Liturgicæ* appellantur. In ordine ad nostrum intentum Liturgia tripliciter sumi potest, vel pro libro *Liturgico*, vel pro ipso *cultu* DEI externo secundum certos ritus peragendo, vel pro certa *Norma*, secundum quam divina, & præcipue Sacrosanctum Missæ Sacrificium est peragendum. De his jam fusiori non nihil calamo, & ordinata methodo, præprimis vero de *cultu publico*, ad quem omnis Liturgia ultimato collimat, agamus

Quid sit Liturgia? sumitur late & stricte.

Missa dicta fuit Liturgia.

Hic sumitur tripliciter.

§. II.

Cum *Liturgia* potissimum ad cultum publicum supremo Numini in conventibus publicis exhibendum pertineat, priusquam ad ipsas liturgias, earumque originem, usum, incrementa & ipsum *Jus liturgicum* explanandum progredimur, quæstio præjudicialis excutienda est, cujus juris, naturalis, an Divini, vel Apostolici sit cultus publicus. Loquimur hic de cultu *externo* non qualicunque; sed *publico* in conventibus publicis: non enim cultus *externus* qualiscunque cum cultu *publico* est confundendus. Ad cultum *externum* pertinent omnia signa cultus interni contestativa, qualiacunque illa sint, sive in verbis e. g. precibus, formulis; sive in actibus externis e. g. elevatione manuum, genuflexione, thurificatione consistant.

Cujus juris sit cultus publicus?

 Neque

(q) Isaac Casaub. Exercit. 16. ad Annal. Eccles. Baron.

Quid sit cultus publicus? Neque cultus quiscunque *publicus* est *vere publicus;* sed ille tantum, qui Deo in conventibus publicis ad id singulariter deputatis a confluente cœtu juxta normam ab illis, ad quos *jus liturgicum* pertinet, præscriptam exhibetur.

Non est juris naturalis. Juris naturalis hunc esse cultum, quasi vero foret absolute ad Deum rite colendum necessarius, adeoque a supremo Numine absolute præcipi debuerit, vix & ne vix quidem erit demonstrabile. Quis enim dicere ausus fuerit, quod Deus condendo homines, illisque præscribendo certam colendi formam necessario præcipere debuerit, ut homines in cœtus publicos coirent, & non nisi in conventibus publicis debitum cultum exhiberent? An non ordinare & præcipere potuit, ut quilibet domi suæ & solus suæ devotioni vacet, & suo Numini debitum cultum præstet? Anne primi homines in cœtus confluxerunt, & Deo sua Sacrificia obtulerunt? Profecto nihil simile in Scripturis sacris legimus.

Est tamen juris Divini. Dubium esse posset de jure Divino: eo quod nullus in Scripturis novæ legis locus extet, in quo Christus cultum publicum, & conventus publicos præcepit. At vero legis instar nobis debent esse tum exempla Christi, & Apostolorum; tum & præcepta Apostolico-divina a continua traditione, praxi, & observantia inviolabiliter custodita & confirmata. *Hujus argumenta.* Utique Christus more Judæorum celebravit Pascha, Cœnam instituit, docuit in templo, constituit quosdam Doctores, Ministros, & Apostolos, ut docerent, prædicarent, conventus celebrarent. Sed quis non ex hac ipsa singulari vocatione optima ratione inferet præceptum conveniendi in conventibus publicis? Tollamus hujusmodi conventus publicos: qua arte omnes & singuli sine gravissima difficultate possunt instrui? aut si possint, numerus Doctorum in immensum excrescet, & munus docendi jam non erit singulare, non singulariter a DEO missis & vocatis proprium; sed ferme commune omnibus patribusfamilias. Et quomodo conservabitur uniformitas in docendo? Quæ & quanta non sunt pertimescenda schismata, hæreses, aliaque innumera mala, si conventus publicos tollamus? De Apostolis quid dicamus? quocunque perrexerunt, conventus ordinarunt, & Episcopos constituerunt: per hos vero in singulis Ecclesiis Presbyteros constitui præceperunt (r). Quid aliud erant conventus illi, in quibus tempore Apostolorum confluxere primi Christiani ad orandum, ad frangendum panem, & audiendum verbum divinum, de quibus loquuntur Acta

(r) Ad Tit. I. v. 4.

Acta Apostolorum, quam conventus publici ad cultum divinum peragendum ordinati? *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus* (s). Et iterum: *Una autem Sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati* (t). Item: *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis* (u). Et quidem Apostoli cum Judæis conveniebant vel in templo Jerosolymitano, vel in illorum Synagogis vel omnino Proseuchis domesticis; cum gentilibus vero in privatis ædibus: utpote qui a sacris Judæorum abesse jubebantur. Huc pertinet illud: *Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes & Evangelizantes Christum JEsum* (x). Quid jam dicamus de conventibus Apostolorum & primorum Christianorum ad celebrandum festum Paschale & Pentecostale (y). De conventibus nocturnis, de Agapis (z), de cœtibus Christianorum Antelucanis (a)? qui omnes ad cultum divinum rite exhibendum, ad audiendum verbum divinum, ad orandum & psallendum, ad sumendam Eucharistiam erant destinati. De continua traditione, praxi & observantia Ecclesiæ plura dicere supervacaneum fore existimamus: Ad quid enim Ecclesia usque nunc conventus publicos tantopere urgere voluit, ita quidem ut gravissimas pœnas statuerit in illos, qui se conventibus publicis subtraherent, aut privatos agerent? Nempe Ecclesia etiam in his suam unitatem demonstrare voluit, in qua tantum fiduciæ & roboris collocabat, ut argumento unitatis potissimum contra noviter enatas hæreses utendum, easque hoc modo confodi posse existimaverit (b). Hæc de cultu publico dicta sufficiant.

Nova

(s) Act. 2. v. 42. (t) Act. 20. v. 7.

(u) Act. 2. v. 46. (x) Act. 5. v. 42.

(y) *Festinabat autem Paulus, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis.* Act. 20. v. 16.

(z) De Agapis vid. Boehmer in suis Differt. ad Plinium Differt. II. & III.

(a) Item de Cœtibus Antelucanis ibid.

(b) Ad hanc unitatem demonstrandam collimabant *literæ formatæ*, *Eulogiæ*, quas invicem mittebant Episcopi; item disciplina Ecclesiæ ordinantis, ut in qualibet Ecclesia esset unum altare, una diceretur Missa, unus institueretur conventus in urbibus etiam amplissimis &c.

Utrum cultus publicus sit juris divini absoluti, vel hypothetici.

Nova super hoc jure divino mota fuit quæstio per Galliam, ubi Reformatis, quos Hugonotos vocant, omne exercitium publicum fuit interdictum, ita quidem, ut nec sua divina in conventibus publicis, iisque majoribus celebrare, nec Ministros Ecclesiæ seu Doctores publicos habere eis licuerit. Quærebatur nempe, utrum cultus publicus sit juris divini absoluti & indispensabilis, vel solummodo hypothetici? Rigidiores id juris absoluti esse volebant: Mitiores jus hypotheticum, & pro diversitate circumstantiarum dispensabile agnoscebant (c). Atque horum doctrina omnino sanioribus rationis & religionis principiis conformior esse comprobatur. Quid enim si ipsius Religionis & Ecclesiæ aut boni politico-publici intersit, ut quis inter Ethnicos & Gentiles aut alterius religionis Sectatores in illis locis e.g. in terris Chinensibus, in Anglia &c. in quibus exercitium Religionis Catholicæ publicum graviter interdictum, vel Missionarium ad convertendas gentes, vel Legatum pacis inter belligerantes conciliandæ causa missum agere debeat? Demus hominem in Religionis suæ principiis optime instructum, apud quem nullum perversionis periculum existit, num huic tali non licebit ex causa prorsus gravissima agere in exteris regionibus, in quibus nulli habentur conventus publici Catholici, aut omnino sub gravissimis pœnis sunt prohibiti & interdicti (d)?

Pariter priusquam de origine & incrementis liturgiarum agamus, amoliendæ sunt criminationes pessimæ, quibus hodierni Sectarii Ecclesiæ nostræ famam pessime proscindunt, eidemque vehementissime exprobrant, quod ingentem Ceremoniarum rituumque apparatum in celebrandis divinis adhibendorum introduxerit, illosque potissimum partim a Judæis; partim a Gentilibus mutuaverit (e).

Argumenta, quibus Sectarii ritus Catholicos impugnant.

Argumenta illorum sunt sequentia: Primo enim, ajunt, eo cultus divinus est sanctior & purior, quo est simplicior: cum enim ipse DEUS sit spiritus purissimus, immaterialissimus & simplicissimus, eo puriores & sanctiores erunt actiones nostræ, quo erunt simpliciores & purio-

(c) Mosheim Hauptſt. II. pag. 371.

(d) Passim e.g. in Anglia Legatis Catholicis sacra publica sunt interdicta, & non nisi privata exercere licet. Item hinc inde in Germania tolerantur Anabaptistæ sine exercitio Religionis publico.

(e) Sic enim Catholici ex Synagoga mutuarunt vestimenta Sacerdotalia, ornatum & dedicationem Ecclesiarum, thurificationes, impositiones manuum &c. a Gentilibus imagines sculptas DEI & Sanctorum, Sacrificia; formulas a Romanis, apud quos omnia concepta erant verbis solemnibus, & formulis.

puriores. Secundo: Ipse Christus nullas prorsus leges ceremoniales tulit, nullos ferme Ritus & Ceremonias etiam in institutione Sacramentorum præscripsit, & quidem pro collatione Baptismi elementum simplicissimum seu aquam; pro Cœna & Sacramento Eucharistiæ panem simplicem cum vino elegit: & dum cœnam Dominicam instituit, nullum prorsus ritum novum; sed solum quosdam ritus Judaicos adhibuit. Inspicere lubeat Scripturam & explorare Liturgiam divinam, quam Christus in institutione Sacramenti Eucharistiæ adhibuit. Hæc sane, prout a tribus Evangelistis perspicue describitur, nihil aliud continet, quam Symbolorum, id est panis & vini benedictionem; tum panis fractionem & utriusque speciei benedictionem (f). Tertio: Sed nec Apostoli in cultu DEI externo, in suis conventibus, in distributione Eucharistiæ, in celebratione Missarum (si tamen unquam Sacrificium celebrarunt) in administratione Sacramentorum ullos adhibuisse, vel præscripsisse Ritus leguntur. Nihil sane de unctionibus, exorcismis, insufflationibus in Sacramento Baptismi; nihil de vestimentis Sacerdotalibus, de aliis innumeris novis ceremoniis legimus. Quarto: DEUS jam vult adorari in spiritu & veritate magis, quam in Ceremoniis &c. Quinto: Innegabile est, quod Ecclesia primitiva fuerit sanctissima, ac purissima: atqui hæc omnem ceremoniarum pompam, Rituum splendorem, ac ornatum abhorruit, sed potius DEUM suum in simplicitate cordis, in puritate conscientiæ, in compunctione animæ, in spiritu & veritate coluit, adoravit, & divina peregit: illa vero Ceremoniarum ac Rituum multitudo, pompa, & ornatus non nisi corruptis Ecclesiæ moribus invaluit (g). Sexto: Imprudentissime prorsus argumentum ducitur a lege antiqua ad legem novam: constat enim ex Scripturis, populum Israeliticum per 40. annos in Ægypto fuisse commoratum: & quamvis veri DEI cultu imbutus esset, pedetentim tamen ad mores & regulas Ægyptiorum sese composuit, quo ipso factum, ut tum ad idololatriam; tum ad superstitionem proclivior redderetur, neque mores Ægyptiorum deposuerit, postquam DEUS potentissima sua manu eum in terram promissionis eduxit. Visum itaque fuit Deo obdurato illius genio aliquid indulgere, eique leges ceremoniales, quas anhelabat

Christus paucos admodum ritus instituit.

Etiam Apostoli.

Status Ecclesiæ corruptus introduxit pompam & multitudinem rituum.

A lege antiqua quoad ritus non bonum ducitur argumentum ad legem novam.

(f) Matth. 26. Marci 12. Luc. 22.

(g) Vid. Boehmer in Jure Eccles. Tom. 3. Prælim. de Jure Liturg. ubi textibus PP., & exemplis ostendit, modum colendi DEum fuisse simplicissimum, nullis Ceremoniis turgidum, potissimum in spiritu & veritate consistentem.

bat, præscribere, ut hac ratione a cultu idololatrico successive avocaret, atque paulatim ad verum DEI cultum perduceretur. Septimo: Ex hoc modo agendi cum Judæis manifestum est, quod DEUS hujusmodi cultum ritualem de se indifferentem (h) neutiquam absolute desideraverit, sed urgente necessitate permiserit, aut potius præscripserit, & præscribere voluerit, ne Judæi sibi ipsis ritus inanes eligerent, & ad veteres Ægyptiorum errores redirent, prævidens, populum hunc ab ejusmodi ritibus abduci non posse. Octavo: Erat lex antiqua lex rigida aspera & dura: gemebat populus Judaicus sub jugo legum Ceremonialium eum in finem sibi imposito, ut a superstitione, aliisque criminibus avocaretur. Nondum enim apparuit *plenitudo* illa gratiæ, quæ ad homines in omne malum proclives in suo officio continendos est sufficientissima: virga ferrea regendus erat populus nequam, sensualis, ac in omne vitiorum genus pronissimus. Econtra in lege nova aliam legem habemus: lex hæc est lex gratiæ, & superabundantissimæ gratiæ: auferendum ergo jugum legum ceremonialium: asserti sumus in libertatem filiorum DEI: tollenda itaque servitus: & nunquid ipsi Apostoli in Concilio Jerosolymitano congregati jugum istud auferendum existimarunt (i)? Nono: Et ad quid talis ac tanta Rituum, Ceremoniarum, ac solemnitatum multitudo, pompa, splendor, & ornatus? quippe qui devotionem internam magis turbat, quam inflammat, potius impedit, quam promovet, magis ad ostentationem, pompam, & vanam gloriam, quam ad cultum DEI genuinum ac sincerum facit & facile in superstitiones; aliosque abusus degenerat: Cor & affectum respicit, ac pensat DEUS; non inanes ritus, ac Ceremonias. Decimo: Hujusmodi Ritus & Ceremoniæ hactenus hæresibus, erroribus, multisque tumultibus in Ecclesia occasionem præbuerunt (k), & in abusus quamplurimos abierunt, atque ipsis Pontificibus Romanis necessitatem imposuerunt, ut de iis restringendis potius quam multiplicandis cogitarent

Et quare?

Ingens discrimen inter legem antiquam & novam.

Multitudo rituum plus nocet, quam proficit.

(h) Cit. Author inter Adiaphora refert ceremonias, aitque eas per se haud esse superstitiosas aut idololatricas, si ex mente superstitiosa non profluant; DEum vero in antiqua lege eas urgente necessitate introduxisse, & sic magis noluisse, quam voluisse. loc. cit. §. 11.

(i) Act. 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis nihil ultra vobis imponere oneris.*

(k) E. g. ex ritibus colendi imagines hæresis Iconoclastarum. & controversia de celebrando Paschate suum ortum traxerunt.

rent (l). Undecimo: Lustremus historias: quid populis potissimum moratioribus ingentem ceremoniarum pompam, ornatum & apparatum persuasit, nisi quædam superbia, vanitas ac ambitio? qui cum in Ritu Civili Decorum publicum quam maxime excolerent, id ipsum in sacris peragendis esse faciendum existimarunt: id quod fieri non posse facile perspexerunt, nisi omnia in sacris etiam ad pompam & ornatum adornarent, & Ceremoniis infinitis Religionem adimplerent: ex quo consequens est, quod hac ratione suæ ambitioni, vanitati, & Decoro publico magis, quam cultui divino & honoribus DEI consuluerint. An non id ipsum in Ecclesia Romana contingat, æquus rerum arbiter æstimet.

Multitudo & apparatus rituum suam originem ducere videtur ex superbia, vanitate, & ambitione.

Neminem ego futurum credo, cui non hæc argumenta magni esse ponderis prima facie videri possunt. Quapropter audienda etiam est altera Pars, Catholicorum nempe, qui fortioribus longe argumentis suam disciplinam a convitiis & contumeliis vindicant, quæ proin audire libeat. Ordiamur ab ipso jure, & instinctu naturæ, quem nobis religio naturalis in ordine ad colendum DEUM intime impressit.

Argumenta Catholicorum pro suis ritibus.

Quam rectissime judicavit S. Augustinus Lib. 9. contra Faustum, dum dixit: *Sine externis ceremoniis impossibile est servare Religionem.* Nam si omnem antiquitatem, omnium gentium, barbararum etiam mores lustremus, comperiemus, quod omnes & singulæ in colendo suo Numine ritus quosdam & ceremonias ex ipso naturali sanæ rationis dictamine observaverint: cum enim Numen illud (falsum sit an verum, ad hanc quæstionem parum vel nihil facere videtur) velut Ens quoddam supremum omni excogitabili cultu adorandum concipiamus, revereamurque, ipsa duce natura inclinamur, & sacro quasi impetu rapimur ad contestandam eidem non interne tantum & per affectum, sed signis etiam quibusdam externis, & in effectu summam illam æstimabilitatem, quam de ipso concipimus: ut adeo ritus illi ac ceremoniæ nihil aliud esse videantur, quam signa contestativa summæ æstimabilitatis, quam de DEO habemus, supremi cultus, quem ipsi deberi cognoscimus, affectus nostri exuberantissimi, quo in ipsum ferimur, promptitudinis nostræ, qua ipsum revereri, adorare, amare votis ardentissimis

Ritus & ceremoniæ in cultu divino ex ipso jure naturali suam habent originem.

F 2

(l) Hunc in finem Romæ erecta est Congregatio Rituum, e qua innumera promanant decreta, quibus ritus & Ceremoniæ restringuntur, & determinantur. Item jusserunt Patres Concilii Tridentini, ut quidam Viri selecti Missale ad SS. Patrum normam ac ritum restituerent, uti habet Bulla Pauli V.

ſimis cupimus (m). Quapropter ipſe Boehmerus, qui ritus eccleſiaſticos in Chriſtianiſmo introductos mirum in modum ſugillat, & Eccleſiæ vehementiſſime exprobrat, quod tot ceremonias, ritusque a Judæis non tantum, ſed etiam Gentilibus adoptaverit, illos inter res *adiaphoras* & indifferentes referre non veretur, dummodo omnis exceſſus præcaveatur: *Sunt enim ritus*, ait ille (n) *nihil aliud, quam honoris interni ſigna externa: ſunt reverentiæ DEO debitæ teſtimonia, & devotionis excitamenta.* Duos autem exceſſus principaliter eſſe præcavendos exiſtimat: primum eſſe debet, *ne potior cultus Divini ratio in ritibus & ceremoniis collocetur, ſed mediante hac Liturgia devotio interna excitetur, & ſpiritus a terra a DEUM elevetur.* Debent enim ceremoniæ eſſe adminicula devotionis; non impedimenta, nuda quædam accidentalis Pædagogia; non pars eſſentialis cultus Divini. Alterum eſt, ne cultus iſte externus in ſuperſtitionem degeneret, quæ ex multitudine rituum potiſſimum pertimeſcenda eſt (o). Hæc vero ſuperſtitio in eo præcipue conſiſtit, quod homines mutationem mentis, puritatem conſcientiæ, exercitium virtutis, cultumque internum negligentes Chriſtiani officium adimpleviſſe, ſuisque obligationibus ſatisfeciſſe exiſtiment, ſi ritus externos ad punctum obſervent, DEOque miniſterium externum exhibeant. Patet veritas hujus doctrinæ plerarumque Religionum, Gentilium præprimis exemplo, qui nihil non criminum commiſerunt, ac totam ſuam Religionem in Solennitatibus, Ritibus, Ceremoniis, Superſtitionibus, ſolennibus Formulis, Carminibus, Thurificationibus, & Sacrificiis externis collocabant (p); vere credentium dein, præcipue Judæorum. Nunquid enim Cain DEO offerebat Sacrificium cum Abele; ſed quam diſpari cultu, ille ritu externo; hic corde puro. Judæorum cultus ab ipſo Deo adornandus erat, ne temere in leges ceremoniales peccarent: & tamen hæc omnia in ſuperſtitionem abierunt, licet ſapienter ab ipſo Deo eſſent inſtituta, prout DEUS paſſim apud Prophetas conqueritur (q). En ipſe hic Author neceſſitatem, & utilita-

In ritibus duo exceſſus præcavendi.

Cultus externus ſæpe degenerat in ſuperſtitionem.

(m) Boehmer Tom. 3. Diſſert. Prælim. §. 3. (n) Idem ibid. §. 20.

(o) Idem loc. cit. §. 21.

(p) Patet hoc præcipue ex Hiſtoria Romanorum, apud quos ſolennes Deorum Precationes, Comprecationes, & Carmina ſolennia erant frequentiſſima.

(q) Iſaiæ 1. v. 11. Amos 5. v. 21. Jerem. 6. v. 20. 1. Reg. cap. 11. *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini.*

utilitatem Ceremoniarum Rituumque agnoscit, & non nisi excessum perstringit! qua igitur ratione præsumit universaliter Catholicis exprobrare assumptionem Rituum Judaicorum? Anne omnes hi Ritus sunt mortiferi, superstitiosi, in leges Christianismi peccantes? itaque abusus, excessus & superstitiones probandæ erunt: & ne tunc quidem, si probatæ fuerint, omnes ritus Judaici erunt eliminandi ex notissimo principio, quod *propter abusus bonus usus non sit tollendus*. Hactenus de ipso Jure naturæ, & instinctu illius, quo ab ipsa Religione naturali ad supremum Numen ritibus externis colendum incitamur, rapimur, & impellimur, egimus.

Gradum promoveamus ad Legem Divinam, & quid nobis DEUS per Scripturam loquatur, videamus: ***Cultus externus per ritus & ceremonias est juris divini ex lege antiqua.***

Mox a primo mundi exordio, antequam Israelitæ Ægyptum ingressi sunt, ac mores Ægyptiorum imbiberunt, priusquam DEUS leges ceremoniales per Moysen promulgari fecit, incepere credentes DEUM colere in Sacrificiis & Oblationibus, in quibus DEUS bene sibi complacuisse legitur. Exemplo sint Oblationes, & Sacrificia Abelis, Noemi, Melchisedechi, Jacob &c. (r). De legibus ceremonialibus quasi innumeris a DEO latis, & per Moysen promulgatis aliunde constat: sed num credibile aut verosimile est, quod DEUS tantam legum ceremonialium copiam, ac ceremoniarum pompam eum unice in finem præscribere voluerit, ut populum electum ab idololatria averteret, illius mores corruptos corrigeret, ac per tramitem rectum ad verum DEI cultum duceret? ubinam Scriptura hanc rationem sapientissimæ Ordinationis divinæ allegat? De Templo Jerosolymitano magnificentissime exstructo quid dicamus? equidem præceptum dedit DEUS Davidi, ut templum sibi exstrueret (s): sed ubinam præcepit, ut templum istud tam magnifice ingentibus sumptibus exstruatur, illius Dedicatio cum tanta & inenarrabili solennitate, pompa ac ceremoniarum apparatu fieret, tot & tantæ oblationes fierent? Num fortassis hæc omnia necessaria fuere ad populum Judaicum in suo officio ac debito DEI cultu continendum? Et nunquid DEUS ista omnia approbavit, ratihabuit, imo igne de cœlo descendente confirmavit, suumque divinum beneplacitum desuper demonstravit? Quare ergo magnificentiam templorum, Ornatum Ecclesiarum, vestimentorum Sacerdotalium, ac diver-

(r) Vid. Genes. 4. v. 5. Genes. 8. v. 19. & 20. ***Odoratusque est Dominus odorem suavitatis &c.*** Genes. 14. Genes. 25.

(s) Reg. 5. v. 5.

diverſorum Rituum contemptim habent, quem tamen DEUS ipſe approbaſſe legitur?

Etiam ex lege nova.

Leges ceremoniales a principio Ecclesiæ paucæ, & quare?

Ad Scripturam novæ legis ſtylum convertamus: Sane ultra fatemur, quod in Actibus Apoſtolorum, & Epiſtolis illorum pauciſſimas legamus leges ceremoniales præter eas, quæ ad rite adminiſtranda Sacramenta ex ipſo præcepto divino ſunt neceſſaria: ſed quid miramur? Non enim ratio temporum ac circumſtantiarum id permiſerat. Agendum erat cum Judæis & Gentilibus: Ambo aſſueti erant ſuis Ceremoniis ac Ritibus, quos Eccleſia ipſa ad tempus aliquod apud Judæos Oeconomiæ cauſa toleravit, ac demum abrogavit. Ut ergo Neoconverſi ſucceſſive a ſuis Ritibus ſeu ſuperſtitioſis ſeu cum Eccleſiæ diſciplina incompatibilibus averterentur, neutiquam præſtabat novos Ritus ac Ceremonias introducere, ac veluti obtrudere, & hac ratione ſeu ſuperſtitioni Gentilium, ſeu conſuetudini Judæorum in ſuis ritibus mire ſibi complacentium, fomentum ſuppeditare. Plura de hoc mox infra dicemus.

Ex Apocalypſi ducitur fortiſſimum argumentum pro majeſtate rituum.

Cæterum ſi Apocalypſin non nihil luſtremus, inde ſane fortiſſimum licebit ducere argumentum, DEUM in ſignis externis illius Majeſtatem Divinam conteſtantibus eſſe colendum, adorandumque. Inprimis enim miris coloribus nobis depingitur templum DEI ſeu cœlum empyreum, Majeſtas templi, ac Sedentis in throno: Seniores autem illi 24. *ſedentes procidebant ante Sedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum* &c. *turba illa magna*, quam Joannes vidit, & *dinumerare nemo poterat*, *ſtabat ante thronum, & amicta ſtolis albis, palmas tenens in manibus ſuis clamitabat: Salus DEO noſtro* &c. Ipſi etiam Angeli *ſtabant in circuitu Throni, & ceciderunt in conſpectu Throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum* &c. (t). Hæc & plura his ſimilia, quamquam plena ſunt Myſteriis, ac variis expoſitionibus obnoxia, nihilominus in rem Catholicam miro prorſus modo facere videntur. Quid enim hæ, & ſimiles viſiones *Cœli empyrei, Sedentis in Throno, Seniorum & Angelorum coram Throno procidentium* aliud ſignificare nobis volunt, quam Majeſtatem DEI noſtri ex una; ex altera vero parte ſervitutem & ſubjectionem noſtram, ac præcipue modum eandem erga DEUM conteſtandi?

Quare Eccleſia tot ritus inſtituerit.

Ex his facilis eſt tranſitus ad argumenta, quibus Eccleſia Catholica in ſuis Ritibus præſcribendis & augendis ducitur. Exſtruuntur templa magnifica, exornantur Eccleſiæ, & Altaria ſane non in alium finem,

(t) Apocal. 4. 5. 7. &c.

finem, quam ut Majeſtati DEI decentiſſimus impendatur cultus, ac eidem dignum habitaculum præparetur. Introducit Eccleſia tam varios Ritus & Ceremonias, ut in domo DEI omnia ordinate fiant, decenter celebrentur Divina, & ex tali ceremoniarum apparatu Majeſtas Domini, quem colimus, magis eluceat, atque devotioni noſtræ internæ quoddam veluti nutrimentum præbeatur. Neutiquam inficiamur, DEUM eſſe colendum *in Spiritu & veritate*, atque in immenſum errare illos, qui relicta devotione interna, & neglecta compunctione cordis, totum ſuum cultum DEO debitum in ceremoniarum obſervantia collocant, non niſi ſenſualem devotionem quærunt, ſeque in externas devotiunculas effundunt: Verum cum nemo ignoret, quod omnes ſimus homines ſenſuales, materiales, quorum actiones internæ mirum in modum a rebus ſenſibilibus dependent, & cum actionibus externis communicant, nihil prohibet, quo minus ad inflammandam devotionem internam quædam aſſumantur ſubſidia. An non (loquor expertis) in nobis ipſis, neſcio quem ſacrum horrorem ex Majeſtate & ornatu Templorum & Altarium, devotionem ex decentiſſimo ordine in peragendis Divinis, Gaudium Spiritus ex apparatu tot ſolemnium Rituum & Ceremoniarum excitari ſentimus? quamquam internis hujuscemodi ſenſualibus devotiunculis non nimis ſit fidendum, ne plus ſenſualitati noſtræ, quam DEI cultui litemus, ac meritum operum ſupernaturalium perdamus. Hæc fient clariora, ſi argumentis ſupra allatis pro modulo noſtro ſatisfaciamus.

Refutantur argumenta contraria.

Ita eſt, eo cultus Divinus eſt ſanctior quo purior, ſi puritatem emetiamur ex puritate intentionis, affectus interni, amoris &c. quam non modo non impedit, ſed promovet cultus externus. Utinam non eſſemus homines ſenſuales, infirmi, lutea vaſa portantes, pigri, infirmi, ſed ad inſtar Angelorum ab omni corporeitate depurati! ſed cum tales ſimus, & ferme omnes actiones, Ideæ, & conceptus noſtri ab externis, & rebus ſenſibilibus dependeant, indigemus profecto ſubſidiis quibusdam ab extra mutuatis ad erigendum ſpiritum, ad ſublevandas indigentias noſtras, ad inflammandam charitatem, promovendam devotionem, ad ſervitutem noſtram ſupremæ Majeſtati conteſtandam. Si ergo eo eſt ſanctior & gratior devotio & cultus, quo ſimplicior & purior, ad quid DEUS in lege antiqua inſtituit Sacrificia, circumciſionem; in lege nova Sacramenta in ſignis viſibilibus? quare non ordinavit pro remedio contra peccatum originale actum fidei, ſpei, charitatis? quare præſcripſit orationem vocalem? quare ipſi Adverſarii in ſuis Eccleſiis canunt, pſallunt, orant &c.? Quare S. Scriptura in Apocalypſi Majeſtatem

jestatem Divinam veluti tremendam; cœlum Empyreum veluti locum splendidissimum; Angelos ingenti clamore illud Trisagion *Sanctus, Sanctus, Sanctus* in honorem Trinitatis Personarum clamantes, Seniores coram Throno Majestatis prostratos verbis adeo magnificis describit, ac veluti depingit, nisi, ut sacrum horrorem de Majestate Divina concipiamus, ingenti desiderio ad supernam patriam anhelemus, supremum Numen non corde tantum sed etiam ore & opere, non cultu in-sed etiam externo, eoque decentissimo adoremus, debita servitia nostra impendamus, &, quantum in viribus nostris est, signis externis contestemur. Videantur, quæ diximus supra de ipso naturæ instinctu, quo ad DEUM tanquam Ens supremum colendum inclinamur, & rapimur.

Quare Christus paucas admodum leges ceremoniales tulerit?

Quantum ad Christum, profecto Christus instituit Ecclesiam visibilem, ipsa Sacramenta instituit in signis visibilibus, dedit caput visibile: & licet ipse leges ceremoniales tulisse non legatur, nihilominus ipse ad tempus aliquod legalia observavit, illorum observantiam, etiam postquam legem novam tulerat, Judæis potius permittere, quam mox prohibere voluit quasi in reverentiam Synagogæ, ut hæc *cum honore sepeliatur* (u), hacque ratione Rituum & Ceremoniarum usum suo exemplo approbavit: quamquam de cætero Legalium institutionem ex finibus altissimis suæ Ecclesiæ relinquere voluerit. Neque id mirum videri debet, quod Salvator noster a ferendis legibus ceremonialibus abstinuerit: voluit nempe suæ Ecclesiæ unice in necessariis consulere: cætera Apostolis illorumque successoribus pro rerum ac temporum circumstantiis determinanda reliquit.

Quoad Sacramentorum institutionem, cum aliqua eorum singulis necessaria essent, nec decuit nec oportuit (liceat etiam argumentum a decentia ducere, quod non adeo magni roboris esse in iis, quæ a divino beneplacito dependent, ultra fatemur: quis enim cognovit sensum illius?) illa instituere aliter, quam in signis externis simplicibus, ne quis eorum effectu frustretur: adeoque mirum non est, quod in Baptismo aquam simplicem; in Sacramonto Eucharistiæ panem communem selegerit. Noluit tamen Salvator Sacramentum Cœnæ sine ullis ritibus instituere, & hinc observavit quosdam Ritus Judaicos, celebravit Pascha cum Discipulis, eorum lavit pedes, & tandem suum corpus & sanguinem manducandum, bibendumque præbuit. Nullibi sane Christus Dominus vestimenta quædam Pastoribus propria; nullibi Psalmodiam

Ipsi AA. observant ritus & ceremonias.

(u) Vid. Quæst. 2. de font. Orig. cap. 11. §. 3.

diam & cantum in ecclesiis, aliosve ritus instituit, aut observandos præcepit, & tamen ipsi Adversarii eos non aspernantur, & in suis conventibus ecclesiasticis passim pro diversitate locorum observare consueverunt.

Quare in primitiva Ecclesia ritus fuerint pauci & simplices?

Sed nec illud diffitemur, quod neque Apostoli multas leges ceremoniales tulerint, aut Ritus & Ceremonias introduxerint, ac tota quanta disciplina primitivæ Ecclesiæ fuerit simplex, & recta, pura ac sancta: Sed quid inde? erat Ecclesia similis rivulo per meatus subterraneos decurrenti, & successive aliarum aquarum accessione in ingentium aquarum fluvium desinenti. Delituit Ecclesia tunc temporis quasi sub modio, gemebant Christiani sub jugo Imperatorum gentilium, conveniebant in cryptis subterraneis, Officium Divinum peragebant in domibus privatis, usus vasorum sacrorum erat simplex, prodire in publicum res erat periculo plena, incedere in vestibus & habitu distincto prorsus idem fuisset, ac se temerario ausu persecutoribus ad Martyrium offerre. Itaque, qua arte fieri potuit, edicant nobis Adversarii, ut Apostoli propria vestimenta sacerdotalia secum per omnem circumferrent orbem (x) primi Christiani templa magnifica exstruerent, eaque mirifice exornarent, sua Divina ingenti cum ceremoniarum apparatu celebrarent? Accedit, uti supra monuimus, quod aliunde Judæi ab observantia legalium difficillime abstrahi potuerint: quocirca invigilandum fuit Apostolis & Ecclesiæ, ne illis novum subministrarent fomentum, si multitudine Rituum ac Ceremoniarum ipsos obruerent.

A tempore Constantini incepit multitudo rituum, Majestas templorum, & ornatus Ecclesiarum.

Ast vix Constantinus Magnus Christianis libertatem exstruendi templa, publice celebrandi Divina, Religionem publice profitendi fecerat: Boni Superi! quanta ubivis locorum Majestas templorum, quantus illorum ornatus, quanta in peragendis Divinis modestia, & si ita dicere licet, magnificentia! Id ipsum in Lege antiqua contigisse docent nos sacræ Paginæ. Ante Legem Mosaicam cultus Religiosus consistebat in oblationibus & Sacrificiis simplicibus, quin Ritus quosdam speciales præscriptos fuisse legamus. Postea vero ubi populus fidelis jam mirum in modum augebatur, ac in terram promissionis ducebatur, DEUS ipse innume-

Etiam in lege antiqua primitus ritus erant pauci.

(x) Sunt non nulli ex Catholicis Doctoribus, qui habitum Clericalem, & vestimenta Sacerdotalia ad tempora Apostolorum referunt, quorsum etiam pertinet historia de baculo Pastorali S. Petri, quibus tamen multi etiam ex Doctoribus Catholicis contradicunt. Vid. Heineccius Syllog. Opusc. Exercit. 2. & 3.

innumeras leges ceremoniales tulit, & quibus ritibus debitum cultum exhiberi cuperet, determinavit. De Templo autem, in quo Sacrificia essent peragenda, ad tempora usque Salomonis non legimus.

Procul dubio adorandus est DEUS in spiritu, & veritate: & hoc modo adorari non tantum in lege nova, sed etiam antiqua debuit dicente Propheta: *Nunquid vult DEUS holocausta & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini? melior est obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum* (y). Nempe anima cultus religiosi est sancta intentio, interna devotio, fervor charitatis. Sed num propterea non liceat quædam quasi adjumenta assumere, ut spiritus ille excitetur, fervor promoveatur, charitas inflammetur? Ipsi profecto Adversarii hujusmodi Ritus ex supra dictis inter Adiaphora reponunt, eos adhuc hodie adhiberi posse, dummodo abusus præcaveatur, asserunt, & quod magis est, in suo cultu religioso adhibent (z). Interim non diffitemur, quod in ipso colendi modo seu per excessum, seu per defectum facile peccari possit, si aut ritus vani, otiosi, ac superstitiosi adoptentur, aut neglecto spiritu, & devotione interna præcipua cultus religiosi cura in externis ceremoniis collocetur.

Ratio A. de multitudine rituum in lege antiqua est falsa.

Neque abnuimus, quod a lege antiqua non semper bonum ducatur argumentum ad legem novam, neque omnes Ceremoniæ legis antiquæ ab Ecclesia in lege nova adoptari valeant, prout alibi fusius discussimus (a), id tamen constanter inficiamur, quod DEUS ideo solum tot ritus & ceremonias in cultu sibi debito observandas Judæis præscripserit, ut a cultu falsorum Deorum abstraherentur, & in moribus suis, quos ab Ægyptiis quasi imbiberunt, corrigerentur: Id enim nec Scriptura nec Traditio nos docet: potius ad voluntatem supremi Numinis confugiendum est, qui sibi cultum pro suo arbitrio ex causis sibi soli notis statuere potuit, & voluit.

Ita est: erat lex antiqua lex aspera, dura & rigida, erant Judæi homines sensualibus assueti, in Idololatriam proclives, atque frœno quodam

(y) 1. Reg. 21.

(z) E. g. Psalmodiam, cantum &c. nempe distinguendum est inter Ceremonias simpliciter *mortuas*, & *mortiferas:* illæ ab Ecclesia jure optimo adoptari possunt; non vero istæ: utpote quæ habent repugnantiam cum Ritibus Ecclesiæ Catholicæ: hinc Ritum Circumcisionis, aut esum Agni Paschalis assumere nefas esset: quia fortiora longe habemus remedia, Baptismum, & Sacramentum Eucharistiæ.

(a) Vid. dicta in Tom. I. Quæst. 2. Cap. II. §. 9.

quodam indigebant, ut in suo officio continerentur: Verum an nos desivimus esse homines sensuales, pigri, desides, ac in omne malum proclives, in actionibus nostris ab Ideis, quas a rebus sensibilibus mutuamus, liberi ac immunes? Est lex nova lex gratiæ, & quidem superabundantissimæ, & nos in libertatem filiorum DEI asserti sumus, quatenus a servitute peccati & diaboli liberati sumus: ergone nulla manet servitus ex pœnalitatibus a peccato originali relictis? ergo liberi sumus ab omni lege, & sumus quasi *Exleges:* ita est, sumus liberati a jugo antiquo legum ceremonialium circumcisionis, aliarumque: inde tamen non sequitur, quod ab omni jugo & servitute liberi simus, ipso Christo dicente: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Dicant autem Adversarii quid oneris, jugi, & servitutis importent leges ceremoniales ecclesiasticæ, quas nobis Ecclesia in cultu DEI exhibendo hactenus præscripsit.

Lex nova non omnem sustulit servitutem.

Ex multiplicatione Rituum ac Ceremoniarum haud paucos irrepsisse abusus e. g. in cultu Sanctorum, ac Imaginum ultro fatemur: Ex quo inferre non licet: ergo omnes Ritus & Ceremoniæ abolendi sunt. Potius valere debet illud: tollatur abusus, & servetur bonus usus. Alias usus Sacramentorum erit tollendus, sacri Codices eliminandi, ac proscribendi erunt: cum teste Hieronymo pleræque hæreses suum ortum ex sinistra Scripturæ interpretatione traxerint, & nulla fuerit exorta hæresis (loquimur phrasi Hieronymiana) *quæ non sibi ex Scriptura cervicalia consuerit.* Habuit sane Ecclesia in determinandis Ritibus intentionem purissimam ac sanctissimam, eamque non aliam, quam ut honori DEI, decori Ecclesiæ, ac devotioni suorum fidelium consuleret. Itane peccavit Salomon mortalium sapientissimus, quod supremo Numini templum extruxerit magnificentissimum, & in illius ornatum ingentem thesaurorum vim profuderit? Itaque penes Ecclesiam erit abusus tollere, excessus corrigere, superstitionibus viam præcludere, atque solicite cavere, ne ritus inanes, ridiculi & tales, qui Ecclesiam irrisioni, aut contemptui exponere, vel omnino scandalo esse possent, introducantur (b).

Propter abusus quosdam non omnes ritus sunt abolendi.

Ecclesiæ est abusus corrigere.

Cæterum injuriam Ecclesiæ faciunt Reformatores prætensi, dum eidem affingunt, quod suis ritibus etiam hæresibus occasionem præbuerit. Id longe majori jure in ipsos refundi potest: quippe qui non satis distin-

Potius reformatores quam Catholici hæresibus ansam præbuerunt.

(b) Vid. Ludov. Muratorius de Nævis Eccles. legantur etiam, quæ habet Van Espen Tom. 1. part. 2. Tit. 16. Cap. 1. de Ornatu Ecclesiarum, & usu sacrarum Imaginum.

distinguere valentes inter disciplinam, & Dogma non raro res disciplinares cum dogmate e. g. in cultu Sanctorum, & sacrarum Imaginum confuderunt, & una cum zizaniis triticum extirpaverunt. Nunquam Ecclesia docuit, cultum Sanctorum esse absolute necessarium, Imagines DEI & Sanctorum necessario esse pingendas; sed tantum posse pingi, & sacrarum Imaginum æque, ac Sanctorum cultum esse honestum, pium, laudabilem, ac utilem. Quando dicunt, quod Ecclesia ad Decorum publico-politicum respexerit, haud contradicimus: Nam si Domino terrestri magnifica extruantur palatia, flectantur genua, si inquam coram illo prosternamur, eundem nescio quibus obsequiis & servitiis demereri studeamus, quidni supremo cœli terræque Domino erigantur templa pretiosa, thus adoleatur, & ad contestandam eidem nostram servitutem in Ecclesiarum ornatum quasi prodigi simus, eumque non modo in spiritu & veritate, sed etiam in ritibus externis decentibus, innocuis & decoris colamus, & adoremus? Ex his ergo judicet æquus rerum arbiter, utrum Ecclesia bene vel male egerit, quod tot Ritus & Ceremonias &c. instituerit, easque saltem plures ex Gentilismo, aut Judaismo adoptaverit.

§. III.

Origo Liturgiarum.

Sunt duplicis generis.

De origine Liturgiarum, quæ in statis precum formulis consistunt, dubitatur.

In quo sensu hæc quæstio sumenda?

Quantum ad originem *Liturgiarum*, cum nomine *liturgiæ* latius sumptæ veniant ea omnia, quæ ad *ministerium sacrum* pertinent, duplicis generis distinguendæ sunt *liturgiæ:* quædam earum consistunt in ritibus & ceremoniis; quædam in certis precatiorum formulis: quales sunt e. g, forma baptismi, consecrationis, oratio Dominica, Lytaniæ, hymni, rythmi, psalmodia. Præcipua difficultas est quoad liturgiam secundi generis in statis precationum formulis consistentem, a quo tempore & sæculo nempe illius derivanda sit origo? Nos iterum hanc quæstionem in duplici sensu accipimus: Aliud enim est quærere, utrum in primitiva Ecclesia certæ, determinatæ, & fixæ precationum formulæ in usu Ecclesiarum fuerint; & iterum, an hæ ipsæ formulæ in Scripturam seu Codicem liturgicum fuerint redactæ, & in usum receptæ?

Aliud tempus donorum extraordinariorum; & aliud quando cessarunt.

In ordine ad hanc quæstionem recte dissolvendam optime animadvertit Josephus Bingham, esse distinguendum inter tempora extraordinariorum donorum Spiritus sancti; & inter tempora, quando hæc dona miraculis plena cessarunt. Priora illa fuere tempora Apostolorum, & primitivæ Ecclesiæ, ubi Spiritus sanctus exuberantioribus donis diffundebatur per corda fidelium, mediantibus quibus hi pleno ex pectore fundebant suas preces extemporenas, quo tempore precationes a Spiritu

Spiritu ſancto dictatæ partem officii ordinarii eccleſiaſtici effecerunt (c): poſteriora ſunt illa, quibus hæc dona defierunt, jamque Epiſcopi eorum defectum ſupplere volentes varias precandi formulas præſcribebant. In hunc ſenſum (nempe pro precibus extemporaneis dono precum ubique ſe diffundente) Boehmerus accipit illud Tertulliani: *ſine monitore, quia de pectore* (d). Et illud Juſtini M. de precibus Chriſtianorum loquentis: *Præpoſitus itidem, quantum pro virili ſua poteſt, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauſte acclamat dicens: Amen* (e).

Explicantur textus SS. Patrum. Contradicit Bingham, & exiſtimat, nec unum nec alterum textum de precibus extemporaneis publicis debere intelligi; non primum: tum quod inde ſequeretur, plebem omnes ſuas preces ſine monitore peregiſſe, & ita omnis religioſus cultus in preces privatas abibit: tum quod verbis *ſine monitore, & de pectore orare* alius ſenſus prorſus opportunus poſſit accommodari, ita ut verba: *ſine monitore* idem dicant, ac quod fideles memoriter precati fuerint, quin præmonitore & veluti præcinente opus habuerint; verba autem: *de pectore* idem ſignificent, ac ſincere ex animo libere & ex fidelitate cordis ſine coactione ulla orare (f); Non alterum textum Juſtini: *Quantum pro virili ſua poſſit:* utpote quod hæc verba non tam ſpiritum ſupernaturalem in preces extemporaneas ſe effundentem; quam fervorem & intentionem animi ſignificare videantur, quæ non minus in præſcriptis orandi formulis, quam immediate conceptis verbis locum habere poteſt (g). Hæc præmonere placuit, quia ſunt neceſſaria pro recta intelligentia eorum, quæ infra de origine liturgiarum in ſtatis precum formulis diſſeremus.

De origine liturgiarum quoad ritus. Agamus jam primitus de origine liturgiarum quoad ritus & ceremonias ad cultum Divinum publice exhibendum pertinentes, & videamus, an, & quales ritus jure Divino, Apoſtolico & Eccleſiaſtico ſint inſtituti?

G 3 Quantum

(c) Orig. Eccleſ. Volum. V. Lib. XIII. Cap. V.

(d) Lib. 2. ad uxor. cap. 6. loquitur de precibus Chriſtianorum pro Imperatoribus: *Illuc ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, quia capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore oramus, precantes ſumus pro omnibus Imperatoribus.*

(e) Apolog. II. pag. 98.

(f) Loc. cit. §. V. pag. 137.

(g) Ibid. pag. 131.

Christus paucos instituit ritus. Quantum ad jus Divinum ab ipso Christo institutum, paucos admodum vel nullos ritus a Christo determinatos in Scripturis legimus, si ritus sacramentales eosque substantiales excipiamus, quos vel Christus immediate determinavit; vel Apostoli nomine Christi qua Ministri & Legati præscripserunt. De Christo si loquamur, in institutione Baptismi instituit ablutionem cum verbis: in ultima cœna more Judæorum celebravit Pascha, lavit pedes, panem & vinum benedixit, & discipulis manducandum, bibendumque porrexit (h). In cæteris sacramentis ritus determinarunt nomine Christi, & ex illius mandato & præcepto adhibuerunt Episcopi e. g. impositionem manuum in ordinatione Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum; in confirmatione baptizatorum probabilius unctionem cum impositione manuum &c. (i).

Plures ritus sunt juris Apostolici. Quantum ad Jus Apostolicum, plures sunt ritus & ceremoniæ, quarum origo ignoratur, & hoc ipso ad institutionem Apostolicam referri debent. Praxis Apostolica, uti optime animadvertit Binghamius (k) duplici modo spectari potest: Primum quidem *ratione adcommodationis sui ad statas formas inter Judæos observatas; & deinde ratione novarum formarum in cultum christianum inductarum*, sunt verba citati Authoris. *Apostoli observarunt quosdam ritus Judaicos & novos induxerunt.* Nihil minus dubium & controversum inter Viros doctos, quam quod Judæi statas formas adorationis in omnibus Divini cultus partibus adhibuerint; & quod Apostoli libere his usi fuerint in suis supplicationibus, in quibus ut cum illis conjungerentur, vel necessitas exegit, vel decentia suasit, sive dein ministerium templi, sive Synagogæ Judæorum respiciamus (l). Si vero ministerium Apostolorum separatum spectemus, quamplurimi sunt ritus, quorum originem ad institutionem Apostolorum referunt Scriptores non tantum Catholici, sed etiam Acatholici. *Recensentur plures ritus ab Apostolis introducti.* Juvat hujusmodi ritus plures in compendio referre: Huc pertinet institutio Dominicæ in locum Sabbathi, celebratio Paschatis, trina immersio, formula profitendi fidem, renuntiandi Sathanæ in baptismo, institutio jejunii quadragesimalis, Agapæ, mixtio aquæ cum vino

(h) Vid. omnes Evangelistæ in locis, in quibus agunt de Paschate a Christo celebrato.

(i) Vid. potissimum Acta Apostolorum, in quibus frequentissima fit mentio de impositione manuum, non qualicunque, sed cum datione Spiritus sancti conjuncta: non enim omnis impositio erat sacramentalis. Vid. Cabassut. Differt. de multip. impositione manuum.

(k) Loc. cit. §. VI.

(l) Idem Auth. loc. cit. ubi accurate describit *Ministerium Templi & Synagogæ.*

no in ſacrificio Miſſæ, mos ſumendi aquam luſtralem, ſigno crucis ſe muniendi, conventus Chriſtianorum &c. Alios ritus plures & innumeros præterimus.

Plures ritus jure Eccleſiaſtico ad Sæc. usque IV. introducti.

Quantum ad Jus Eccleſiaſticum duo diſtinguamus tempora, nempe ab ævo Apoſtolico ad Sæc. usque IV.; & ab hoc ad noſtra usque tempora. A tempore Apoſtolorum per ſubſequentia tempora quampluri-mos fuiſſe introductos ritus & ceremonias dubitare non ſinunt Patres & Scriptores illorum temporum, Irenæus, Juſtinus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Origenes, Hippolytus Martyr, Cornelius Epiſcopus Romanus aliique. Ex his omnibus ſufficiat ſolus Tertullianus, qui plurimorum rituum meminit in ſuis operibus, quales ſunt ſumptio Euchariſtiæ in conventibus antelucanis, datio mellis & lactis Neophytis, oblatio pro defunctis, & natalitiis, porrectio ſacri ſanguinis infantibus, modus orandi per integrum tempus Paſchale non per geniculationem, ſed ſtando (m). Sed quis ille erit, qui omnes ritus jam eo tempore uſurpatos, & vel ab Epiſcopis introductos, vel moribus aſſumptos in numerum coget?

Plurimi a Sæc. IV. usque ad noſtra tempora.

Veniamus ad Sæc. IV., quo Conſtantinus libertatem fecit exercendi publice Religionem Chriſtianam, exſtruendi templa, & Eccleſias. Immenſus eſſe deberem, ſi omnes ritus & ceremonias ſucceſſive ad nos usque introductas recenſere vellem. Eo nempe ventum eſt, ut Eccleſia potius de reſtringendis, quam ampliandis cogitare debuerit. Quis enim neſcit, ex multiplicatione hujusmodi rituum exortas fuiſſe hæreſes (n) ſcandala, aliaque quam plurima mala? quæ recenſere ſupervacaneum foret. Quare mirum videri non debet, quod Pontifices ſibi reſervaverint jus introducendi ritus & ceremonias pro univerſali Eccleſia; & pro abolendis abuſibus, & approbandis ritibus ſingularem erexerint Congregationem, quam vocant *Congregationem rituum.* Nimis delicata hæc res eſt; quare ſatius ducimus ſilere, quam ulterius de ea diſſerere.

§. IV.

De liturgiis, quæ conſiſtunt in certis formulis. An fuerint in uſu Eccleſiæ primis tribus ſæculis?

Ad alterum genus liturgiarum illarum nempe, quæ conſiſtunt in certis, ſtatis, fixis, & præſcriptis precum formulis prolabimur, de quibus ingenti animorum contentione diſceptatur, an fuerint in uſu Eccleſiæ tribus primis Sæculis: e.g. an in ritu adminiſtrandi Sacramenta Mini-

ſtri

(m) De coron. Milit. cap. 3.

(n) E. g. hæreſis Iconoclaſtarum ex cultu imaginum.

ſtri Sacramentorum certas determinatis verbis conceptas adhibuerint formulas; an Præfecti Conventuum Eccleſiaſticorum, quales fuere Epiſcopi & Presbyteri in Divinis peragendis, in functionibus ſuis ſpiritualibus & publicis, e. g. in ſacrificio Miſſæ, in precibus publicis perſolvendis, ſive eas privatim perſolverint; ſive quaſi Monitores & præcentores fuerint, ita ut plebs illorum verba & vocem ſequi, vel alternatim per hymnos & rythmos reſpondere debuerit; ſive plebs ipſa orationes publicas more fortaſſis in Eccleſiis recepto peregerit, an inquam Præfecti conventuum certis precandi formulis fuerint adſtricti?

Quæ noſtra ſit doctrina in hac delicatiſſima quæſtione, diſtinctim dabimus, id præprimis animadvertentes, eam vix tuto & ſine confuſione poſſe examinari, niſi in ſubſidium vocemus quosdam modos loquendi ſcholaſticos ex philoſophia & theologia ſcholaſtica mutuatos e. g. quoad formam Sacramentorum, eam eſſe determinatam in *genere*, *in ſpecie*, *& individuo &c.*

Paucæ formulæ ſunt inſtitutionis divinæ.

Auſpicemur a jure divino & inſtitutione Chriſti. Si totam luſtremus ſacram Scripturam, vix ullam determinatam quoad verba reperiemus formulam adminiſtrandi Sacramenta, vel orandi, ſi formulam conſecrationis: *Hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis meus &c.* & *orationem dominicam* excipiamus. Quoad formam conſecrationis aliunde ſcimus, adhuc ultimis temporibus fuiſſe diſputatum, an illa verba mox recitata; vel an oratio antecedens & benedictio panis & vini formam eſſentialem conſtituat (o). Quoad orationem dominicam, illam utique apud Evangeliſtam Matthæum deſcriptam habemus (p). Inſtituit quidem Chriſtus baptiſmum, juſſitque, ut Apoſtoli baptizarent *in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti:* ſed quibus verbis determinatis hæc forma exprimatur, non edixit: & ideo mirum non eſt, quod aliis verbis uſi fuerint Græci; & aliis Latini (q). Aliam formulam a Chriſto determinatam vix reperiemus. Sane in Sacramento Pœnitentiæ nullam præſcripſit formulam, ſed unice dixit: *Quorum remiſeritis peccata &c.* (r).

Ad

(o) Vid. Tournelius, & Carolus Witaſſe, aliique Theologi Dogmatici, ubi agunt de forma conſecrationis.

(p) Matth. 6.

(q) E. g. latini: *Ego te baptizo &c.* Græci: *Baptizatur ſervus Chriſti &c.*

(r) Joan. 20. v. 23.

Ad Apostolos gressum promoveamus, de quibus diximus, quod nomine Christi ritus substantiales sacramentorum confirmationis, Episcopatus, Presbyteratus; vel etiam Diaconatus, & extremae Unctionis determinaverint, vel promulgaverint. Ast nullibi certam certis verbis determinatam formulam praescripsisse leguntur. Id solum legimus, quod *manus imposuerint*, & *oraverint:* quibus autem verbis suam orationem expresserint, non legimus: e. g. *orantes imposuerunt eis manus*, dicitur in Actib. Apostolorum, dum agitur de ordinatione Diaconorum (s): item *imponebant manus super illos*, *& accipiebant Spiritum sanctum* (t). Et de Sacramento Unctionis apud Catholicos saltem legitur in Epistola Jacobi (u): *Orent super eum*, *ungentes &c.* Utrum revera Apostoli in sacrificio Missae certas adhibuerint precationum formulas, dependet a quaestione mox dilucidanda, an nempe Codices liturgici ipsis adscripti revera sint genuini, & sinceri. Profecto si qui fuere, tunc certe Apostolis, per quos donum prophetiae, & orationis extemporaneae per Spiritum sanctum copiosissime fuit diffusum, non opus fuisset certis ac determinatis precum formulis. Ad haec ipsi certo certius inhaeserunt institutioni Christi, qui in instituenda ultima coena non prolixis & amplioribus usus fuit formulis. Neque illorum munus praedicandi, labores apostolici, rerum ac temporum circumstantiae indulserunt, ut liturgias protraherent, aut concipiendis precum formulis multum indulgerent. Consideremus dein Apostolos, quatenus egerunt in conventibus cum primis Christianis, & cum eis supremo Numini cultum publicum per preces, orationes, & psalmodiam exhibuerunt. Jam vel egerunt cum Judaeis in templo & eorum synagogis: vel separatos celebrarunt conventus in domibus privatis cum gentilibus noviter conversis? Si primum: Id dari posset Binghamio, quod se vel maxime accommodaverint ritibus & formulis precandi Judaeorum, quales Binghamius plures recenset (x). Si secundum: tunc procul dubio praedicarunt, & certo certius orationem dominicam a Christo institutam, aut formulas hymnorum ac Psalmorum & glorificationem DEI e scripturis depromptas in usu habuerunt, more a Christo instituto memoriam ultimae coenae celebrarunt, S. Eucharistiam distribuerunt. Utrum vero aliis precibus usi fuerint, neque ex scripturis, neque traditione demonstrari potest. Quare non ex omni parte refragamur Binghamio

Formulas determinatas in administratione Sacrarum Apostoli non instituerunt.

Neque in Sacrificio Missae.

Habuerunt donum orationis extemporaneae.

An & quales habuerint precandi formulas?

(s) Act. 6. v. 6. (t) Act. 8. v. 17.
(u) Jac. 5. v. 14. (x) Loc. cit. §. IV. p. 119.

hamio ita concludenti: *Hæc sufficiunt ad demonstrandum, quod ipsi Apostoli, non obstante extraordinario inspiratarum precum dono, non nunquam vel in materia vel in methodo vel in verbis vel in linguis ad certas formulas se adstrinxerint, nullo vel donorum suorum, vel coarctationis spiritus vel inopiæ ædificationis auditorum suorum habita ratione. Quæ omnia si recte ponderentur, quædam certe evincent, bene selectarum & bene institutarum formularum usum nulla ratione cum praxi apostolica pugnare: siquidem Apostoli ipsi tum ad formulas in templo & synagoga judaica usitatas se se conformarunt; tum alias christianæ institutionis formulas adhibuerunt* (y).

Quod certæ precandi formulæ tempore Apostolorum in usu fuerint, sufficienter non probatur.

Ex his tamen nondum evincitur, quod tempore Apostolorum aliæ precum formulæ fuerint in usu præter illas, quæ vel sunt institutionis divinæ & in sacris literis contentæ; vel apud Judæos ad glorificandum Deum fuerunt in usu. Et sane mira res, quod hæ orationum formulæ ad nos usque per codices & scripturas non pervenerint! Dicit Binghamius, factum esse ideo, quod fuerint memoriæ potius mandatæ, quam in scripturam redactæ (z): Sed unde hoc probat? Dat insuper rationes, propter quas factum est, ut ad nos usque per scripturas non pervenirent. Lectoris prudentis arbitrio relinquimus, an illius argumenta conjecturis innixa sint sufficientia ad extorquendum consensum. Equidem Apostolus Paulus mandat Timotheo, ut fiant *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* (a). Sed quis inde inferre potest formulas precationum certas & fixas? Aut enim populus orabat præcinente suo Præposito & in publicis conventibus, aut suæ devotioni privatim vacabat? In Præpositis tempore Apostolorum tuto supponere possumus donum orationis extemporaneæ; & quidni etiam in primis fidelibus? Aut si istud non supponamus, quilibet orabat juxta doctrinam a Christo & Apostolis traditam, prout nempe Spiritus S. eloqui & orare eis dabat, haud secus, ac nos facimus, dum privatis devotionibus pro nostro modulo vacamus. Id saltem ex his demonstratum manet, quod liturgiæ in statis precum formulis consistentes neque ex S. literis, neque ex aliis argumentis convincentibus ab ævo Apostolorum demonstrari queant. Hæc argumenta maxima ex parte redibunt, & clariora fient in quæstione mox dilucidanda de liturgiis Apostolicis.

Progre-

(y) Ibid. pag. 125.
(z) Ita refert Bingham pag. 116. ex Renaudot. Collect. Liturg. Orient. Differt. I.
(a) Ad Timoth. 2. v. 1.

An Sæc. II. & III. in usu fuerint certæ formulæ.

Quomodo Bingham probet usum certarum precandi formularum ex Sæc. II.?

Progrediamur ad II. & III. Sæculum, & an non in his hujusmodi formulæ occurrant, videamus. Provocamus hic ad celeberrimum Binghamium, & quid de illius argumentis sit sentiendum, Sapientiorum arbitrio committimus. Incipit hic author a Sæc. II., & in vim sui argumenti provocat ad Plinium Proconsulem Romanum, qui in sua epistola de rebus Christianorum ad Trajanum scripta refert, quod *Christiani stato die ante lucem conveniant, carmenque Christo quasi Deo invicem dicant* (b): quæ locutio *carmen dicere* utique solennem precum æque ac laudum formulam significat; Item ad S. Ignatium M., qui, teste Socrate (c), cantum Antiphonarum, id est, rationem hymnis alternatim decantatis sanctam Trinitatem celebrandi in Ecclesiam Antiochenam induxisse dicitur. Neque hæc de more psalmos Davidicos alternatim cantandi, sed de ratione canendi hymnos ad divinitatem Christi declarandam compositos intelligi debent: siquidem Author quidam antiquus teste Eusebio (d), qui contra hæresin Artemonis Sæc. II. scripsit, testatur, quod hymni & cantica jam pridem a fidelibus conscripta Christum Verbum DEI concelebrent. Appellat ulterius ad Lucianum scriptorem quidem ethnicum; rerum christianarum tamen haud ignarum, qui in quodam suo Dialogo (e) refert, se in conventibus christianis audivisse precationem quamdam *a Patre* incipientem, & in multorum nominum hymno finientem: sed hymnus iste nunquid formula quædam orandi certa ac fixa fuerit? Ipsum etiam Justinum Martyrem in suum auxilium vocat, nempe locum illum supra explicatum: *Quantum pro virili sua possit.* Veruntamen simul fatetur, hunc textum esse dubium, & a neutra parte tuto in vim argumenti demonstrativi assumi posse. Etiam Irenæus Binghamio patrocinari videtur, utpote qui mentionem facit cujusdam formulæ precatoriæ in christiano cultu usitatæ, ipsis Valentinianis tam bene cognitæ, ut illa tanquam argumento ad fabulosam doctrinam suam de *Æonibus* demonstrandam uterentur (f). Pariformiter Clemens Alexandrinus, de Ecclesia loquens, eam esse dicit congregationem eorum, qui intenti sunt orationibus, *habentem unam quodammodo vocem communem, & unam mentem* (g): Id quod argumento est, preces Christianorum fuisse tales, ut voce communi in illis aut universas recitando, aut certe alternatim respondendo se se potuerint

(b) Vid. Eusebius lib. 2. Hist. cap. 17.

(c) Lib. 6. Cap. 8. (d) Lib. 5. Cap. 28.

(e) Luciani Philopatr. pag. 1128. prout citatur a Binghamio.

(f) Irenæus lib. 1. cap. 1. (g) Stromat. VII. Cap. 6.

tuerint conjungere. Demum testis hujus rei omni exceptione major sit Tertullianus, qui testatur, quod suo ævo non ritus duntaxat substantiales a Christo in collatione baptismi instituti; sed etiam alii ab Ecclesiis assumpti e. g. trina immersio, renuntiatio diaboli, interrogationes & responsiones in certa forma ad articulos Symboli, datio lactis & mellis Neophytis, psalmodia, cantilatio specialiorum psalmorum fuerint in usu Ecclesiæ (h): Et alio in loco declarat, quod in omnibus conventibus non tantum sermones ac precationes fiant, sed scripturæ etiam legantur, & in gloriam DEI canantur psalmi (i). Insuper alio loco ad probandam fidelitatem Christianorum ita fatur: *Coimus in cœtum & congregationem, ut ad DEUM quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis DEO grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris & potestatibus, pro statu Sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Et iterum: *Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt* (k). Quis jam sibi persuadeat, has preces sine certis formulis fuisse peractas, aut potuisse peragi? Superaddit Binghamius quasdam observationes ex Actis Perpetuæ, & Felicitatis Martyrum Africanarum depromptas, quas cum parum ad rem hanc facere videantur, silentio prætermimus (l).

Ex Sæc. III. Ad Sæc. III. progreditur Binghamius, & in rem suam producit plures Patres & Scriptores, & ante cæteros S. Hippolytum Martyrem, qui scripsisse fertur librum, qui inscribitur: *Apostolica traditio de officiis Ecclesiasticis*, quem Viri quidam eruditissimi non esse alium existimant, quam octo libros Constit. Apostol. Profecto liber hic nihil est aliud, quam collectio formularum, quæ vel in usu fuerunt, vel in imitationem earum factæ sunt, quæ tunc in Ecclesia obtinuerunt (m). Alios etiam scripsisse fertur libros idem Hippolytus, nempe de *Odis*; & illum qui inscribitur: *Canon Paschalis*, ex quibus multa in hanc rem facientia continentur. Quoniam vero de Authentia horum librorum multum inter eruditos disceptatur, satius duximus illos præterire (n). Post Hippolytum vixit Origenes illius discipulus. Jam vero Scriptor hic in suis homiliis alicujus precationis, quæ tunc constantis usus in Ecclesia fuerat, disertam

(h) De Coron. Militis Cap. III. (i) De Anima Cap. IX.
(k) Apol. Cap. XXXIX. (l) Lib. XIII. Cap. V. pag. 139.
(m) Vid. Bingham Lib. XIII. Cap. V. §. VI.
(n) Idem ibid.

disertam facit mentionem: *Frequenter*, inquit, *in oratione dicimus: Da omnipotens, da nobis partem cum Prophetis, da cum Apostolis Christi tui, tribue ut inveniamur ad vestigia Unigeniti tui* (o). Istud testimonium Centuriatoribus Magdeburgensibus tam clarum visum fuit, ut hinc concludere non dubitaverint, quod Ecclesia tempore Origenis formulas quasdam precationum habuerit (p). Alibi idem Origenes dicit: *Nos illud pro certo adfirmamus, experti, quod, qui ritu Christiano per JEsum colunt DEUM universorum Dominum, vivuntque juxta ejus Evangelium, solennibus precibus utentes noctu & interdiu nec Magis, nec Dæmonibus sint expugnabiles* (q). Pro causa vero, cur Origenes hæc scripserit, dat Binghamius animum calumniandi Christianos (r). Summi ponderis argumentum suppeditant varia loca ex S. Cypriano deprompta, qui expressam formularum mentionem facit, earum præcipue, quæ in administratione tam baptismi, quam Eucharistiæ in usu fuerunt Ecclesiæ, e. g. in renuntiatione Diabolo & Mundo facienda; in responsionibus ad certam formulam fidei; imo etiam in interrogationibus; item in ministerio Eucharistico, dum sacerdos populum ad fervorem devotionis excitabat dicens: *sursum corda:* Et plebs respondebat: *Habemus ad Dominum:* Sacerdos iterum se vertens dicebat: *Gratias agamus Domino DEO nostro:* & populus respondebat: *Dignum & justum est:* Tum sequebatur consecratio, oratio Dominica, & osculum pacis. Inter alia Cyprianus sic habet: *Sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo: sursum corda, ut, dum respondet plebs: habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere* (s). His accedat Firmilianus Cæsareæ Episcopus, qui de fœmina sæpius in extasin rapta testatur, quod non raro baptizaverit, & baptizandos ad propositos fidei articulos & solitas ab Ecclesia præscriptas formulas respondere jusserit, hoc est, *num renuntient diabolo & angelis ejus, pompæ & operibus ejus?* Et, *num Christo se se adscribant, fœdusque cum eo faciant* (t)? De Gregorio Thaumaturgo Neocæsareensi Episcopo testatur S. Basilius, quod licet *per Spiritum* oraverit, nihilominus in sua Ecclesia certam precandi formam, nempe cantandi psalmos non alternatim, sed communi voce & conjunctim instituerit, cui Clerici Neocæsareenses adeo tenaciter inhæserunt, ut, cum Basilius modum psallendi alternis

H 3 vicibus

(o) Homil. XI. in Jerem.
(p) Centur. III. Cap. VI.
(q) Contra Celsum Lib. VI.
(r) Loc. cit.
(s) De orat. Dominica.
(t) Epist. 57. ad Cyprian.

vicibus inducere vellet, se se vehementer opposuerint. Unde Basilius ad praxin suam defendendam necesse habuit ad illos epistolam apologeticam scribere, qua rationem canendi alternatim praxi omnium Ecclesiarum orientalium, excepta Neocæsareensi, conformem esse demonstrabat (u). Unum adhuc observat Binghamius ex epistola Cornelii ad Fabium, quæ ex omnium confessione sincera esse creditur, quod nempe eo tempore minister Ecclesiæ, quando carnem & sanguinem in Eucharistia communicantibus exhibuit, hac verborum forma usus dicere consueverit: *Corpus Christi*, vel: *Sanguis Christi*, populo ad hoc semper respondente: *Amen.*

Dubium est, an usus formularum ex tribus primis sæculis sufficienter probetur.

Atque hæc sunt argumenta præcipua, quibus Bingham, aliique usum formularum ex tribus primis Ecclesiæ sæculis demonstrare contendunt. Hæc an sint demonstrativa, & invicti roboris, aliorum sapientiorum judicio dijudicandum relinquimus: Nobis sufficit unam alteramve desuper annotationem facere. Ut verum fateamur, hæc argumenta, si ad accuratiorem tutinam vocentur, aliud vix demonstrabunt, nisi quod *Oratio Dominica*, quam Christus ipse docuit; *Psalmodia*, quam ex ipsis Scripturis sacris abs dubio primi Christiani peragere solebant, sive conjunctim sive alternatim; quædam formæ in administratione & susceptione sacramentorum baptismi & Eucharistiæ; & aliæ quædam breviores precandi formulæ, quas seu per Spiritum dicere, seu memoriter recitare solebant, fuerint in usu Ecclesiæ. Utique carmen vel hymnum dicere intelligi potest de Psalmodia & Canticis Scripturarum. Id fortassis addi potest, quod si quæ prolixiores precum formulæ obtinuerunt, illæ ab Episcopis & Clericis vel per Spiritum S. se se in preces extemporaneas diffundentem fuerint suggestæ; vel a Clericis memoriter pro fervore suæ devotionis recitatæ, & a plebe aut conjunctim, aut alternatim repetitæ. Hæc sufficiant.

§. V.

Utrum formulæ precandi in codices fuerint redactæ?

Utrum Ecclesia certum ritum offerendi sacrifi-

Altioris indaginis quæstio est, an ex supposito, quod singulares precandi formulæ in cultu divino publico obtinuerint, hæ in Codices & scripturas fuerint redactæ. Quæstio hæc est præparatoria ad quæstionem infra discutiendam, utrum videlicet libri illi liturgici, qui sub nomine SS. Apostolorum & quorumdam Patrum Apostolicorum circumferuntur, sint genuini & sinceri. Nemo, opinor, cui nota sit sacrificii cum religione certo modo inseparabilis & velut intrinseca connexio, inficias

(u) Lib. de Spiritu S. Cap. XXIX.

ficias ierit, quod Ecclesiæ ab Apostolis institutæ formam aliquam & ritum offerendi sacrificium ab iis obtinuerint. Utrum vero illam per solam acceperint traditionem, vel per librum quemdam liturgicum; singulariter, an libri illi liturgici, quos Apostolis Petro, Matthæo, Marco, & Jacobo sub nomine *liturgiæ* adscribunt, revera extiterint, haud immerito dubitatur. Quæstionem generalem primitus discutiamus, &, an revera primitivæ ecclesiæ ritum aliquem in re divina peragenda *scriptum*, vel non nisi traditum habuerint, videamus. Illud prius plures Scriptores Catholici (x); istud non modo Acatholici, sed quidam etiam rei criticæ peritiores affirmant (y): ita quidem, ut eorum aliqui existiment, liturgiæ ordinem per solam traditionem ad Sæc. usque V. fuisse servatum (z).

cium; & an illum per librum vel traditionem habuerit?

Afferre liceat argumenta prioris opinionis ex eruditissimo Cardinale de Bona, quæ, nisi vehementer fallamur, in eo consistunt: Inprimis enim innegabile est, quod nihil sublimius, nihilque sanctius in Religione habeamus, quam sacrosanctum Missæ Sacrificium: Istud ergo ut uno ordine, unoque ritu & forma in Ecclesia celebretur, non nisi ex certis præscriptis ceremoniis & orationibus uniformiter recitandis peragatur, ipsa Religio suadet, ipsa fides ostendit: maxime quod Apostolus Paulus moneat, ut omnia in Ecclesiis honeste, & secundum ordinem fiant (a). Qua autem arte ex sola vocali traditione absque ullo scripto per manus tradito in tot diversis provinciarum ecclesiis uniformitas actionum, rituum ac ceremoniarum in rebus divinis peragendis haberi potuit, quin ulla varietatis & discrepantiæ interveniret perturbatio? Credemusne ecclesiam Christianorum ipso sui ortus initio huic ingruenti malo non occurrisse, exemplo maxime Synagogæ Judæorum, quæ suos rituales & ceremoniales libros, quibus eorum sacra dirigebantur, habuisse vel ab Apostolorum ævo manifestum est. Et quoniam Ecclesia nonnullos ritus, & ceremonias in proprium & sanctiorem usum adhibendas ab eadem Synagoga mutuavit, dicemusne, quod hujusmodi tam opportunos codices tunc inducere noluerit? Sani profecto consilii non est ita imprudenter de antiqua Ecclesia sentire. Et

Ratio Sacrificii Missæ videtur exigere formam constantem, eamque scriptam.

(x) Card. de Bona rer. Liturg. Lib. I. Cap. VII. Cajet. Maria Meratus Comment. in Gavantum. Andreas Bocquillot de Sac. Liturg. Baronius, Bellarm. Honorat. a S. Maria Lib. V. Differt. 3. art. 2.

(y) Spanheimius, Dallæus, Pfaffius, Tenzelius. Ex Catholicis Tillemont, le Brun, Elias Dupin &c.

(z) Mox cit. le Brun. Tom. II. Differt. I.

(a) 1. Corinth. 14. v. 40.

Saltem in Sæc. II. Ecclesia debuit habere codicem scriptum.

Et demus Ecclesiam hujusmodi codicem in Sæculo primo non habuisse, eum tamen habere debuit Sæc. II., quo Liturgia sacra quam plurimis precationibus, orationibus, obsecrationibus, gratiarum actionibus, Epistola, Evangelio, aliisque multis Missæ partibus e sacris Literis depromptis constabat: Non enim perceptibile est, quomodo sine Liturgiis in usum Ministrorum & officii publici exemplar conscriptis Divina hoc modo sine confusione celebrari, aut æqualitas in servandis ritibus observari potuerit (b). Porro ipso ævo apostolico hujuscemodi Obsecrationibus, & Postulationibus rem divinam fuisse peractam ex ipsis Apostoli verbis colligimus, jubentis, ut in Ecclesia fierent *Obsecrationes, Postulationes, Gratiarum Actiones pro omnibus hominibus* (c). Quo in loco Apostolum loqui de Oratione publica, ut communi, qualis est *Missa*, *Litania* &c. testes sunt præter Ambrosium, & Chrysostomum Augustinus præcipue, qui has precationes omnes refert ad Missæ Liturgiam, ita ut *Obsecrationes* sint Orationes illæ, quæ fiunt ante *Consecrationem; Orationes* vero sint eæ, quæ *sub Consecratione; Postulationes*, quæ post *Consecrationem* fiunt, quando populus benedicitur (d). Testis etiam est S. Justinus, qui inter cætera sic ait: *Deinde ei, qui Fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Spiritus S. offert, & Eucharistiam, sive Gratiarum Actionem prolixe exequitur* &c. (e). Et sane ipsos Apostolos prolixas sacrificandi formulas, Lectiones videlicet, Preces & Ceremonias adhibuisse cit. Card. Bona ex Patribus, aliisque magni nominis Scriptoribus fusius demonstrat (f). Quomodo vero talis Gratiarum Actio, prolixæ Orationes, Precationes sine ullius scripti Codicis subsidio sine defectus aut variationis periculo fieri potuerunt?

Multo magis Sæc. III. & IV.

Ad III. & IV. Sæculum si progrediamur, queruntur Patres contra edictum Diocletiani & Maximiani de tradendis, cremandisque sacris Christianorum Codicibus; contra Donatistas, & Arianos, qui libros sacros ecclesiastico usui destinatos igne consumere non erubuerunt. Accedunt testimonia Patrum maxime Augustini, & Cœlestini I., qui Obsecrationes sacerdotales ab Apostolis traditas fusius enarrant, atque in orbe catholico observatas asserunt, quarum sane formulæ sine codice scripto

(b) Card. Bona Lib. 1. Cap. 8. pag. 24. (c) 1. Timoth. Cap. 2. (d) Epist 59. ad Paulinum. (e) Apologia 2. (f) Lib. 1. cap. 5. §. 3.

ſcripto vix memoriæ mandari, aut ſine confuſione ac difformitate obſervari poterant (g).

His tamen ſequentia obſtant. Primo, quod hactenus Codex aliquis Liturgicus genuinus & authenticus in medium afferri non potuerit, ſicut infra dicetur. Secundo ex Scripturis conſtat, quod Chriſtus modo ſimpliciſſimo ultimam cœnam peregerit, neque ullos ritus, aut formulas præſcripſerit. Tertio. Ex tribus Evangeliſtis manifeſtum eſt, quod Apoſtoli ſimpliciſſimam Liturgiam adhibuerint, nempe panis & vini Benedictionem, Myſterii breviſſimam exegeſin, Panis fractionem, & utriusque ſpeciei diſtributionem (h). Hanc a ſuo Magiſtro acceptam ſanctiſſimi Myſterii formam integram, incorruptam ac illibatam Apoſtolos conſtanter tenuiſſe, & ſuis optima fide tradidiſſe, nemo ſanus dubitaverit; & Apoſtolus Paulus verbis teſtatur manifeſtiſſimis, qui, dum de Sacramento euchariſtiæ ad ſuos Alumnos loquitur, mox in limine ſuæ exhortationis ait, *Se tradidiſſe, quod acceperat* (i). Quidnam vero acceperit, mox exponit, & eadem illa, quæ apud Evangeliſtas leguntur, recenſet, quin quidquam aliud adjiciat: atque hac ratione Dominicam inſtitutionem omnibus ſuis partibus & numeris abſolutiſſimam eſſe definit, ac cæteris Chriſtianiſmi Magiſtris obſervandam præſcribit, eum in finem, ut ſuo exemplo docti a violanda integritate abſtineant, & neque eidem aliquid addere, vel detrahere præſumant.

Argumenta, quibus codices liturgici priorum ſæculorum impugnantur.

Liturgia Chriſti & Apoſtolorum fuit ſimpliciſſima.

Non ſinit autem nos dubitare ſumma Apoſtolorum in curando DEI opere concordia, quin cæteri Apoſtoli ſuis Eccleſiis tradiderint, quæ Paulus ſuis Corinthiis ſe tradidiſſe teſtatur. Ipſe ſane Card. Bona ſuæ ſententiæ ob diſſidentia Patrum & Scriptorum teſtimonia non fidit, & ulterius docet, quod Apoſtoli pro rerum & temporum circumſtantiis nunc prolixiores, nunc breviores formulas adhibuerint, ac denique ſubdit: *Credo autem ab initio breviſſimum fuiſſe Liturgiæ Ritum ita exigente primæ Chriſtianitatis inter procellas adverſantium naſcentis conditione: poſtea vero creſcente fidelium numero cœperunt Apoſtoli Lectiones, Preces, ceremonias adjicere, quibus & Sacrificii dignitas clarius eluceſceret, & major*

Card. Bona ſuæ ſententiæ non ſatis fidit.

(g) Uti teſtantur Optatus Milevitanus contra Parmenianum, Arnobius Lib. 4. contra Gentes, Lactantius de Mort. perſec. Hieronymus in Catalog. Script. Eccleſ. Auguſtinus in variis locis. Vid. cit. Card. loc. cit.

(h) Idem Card. loc. cit. & Lib. 2. Cap. 5. §. 4. Math. 26. v. 26. Marc. 14. Luc. 22. v. 17. (i) 1. Cor. 11. v. 23. & ſeq.

jor ipsi veneratio conciliaretur, pietasque fidelium, ac fervor magis accenderentur (k). Sed quis non videt, hæc omnia inniti meris conjecturis? profecto illæ rerum ac temporum circumstantiæ, persecutionum procellæ, & turbines aucto etiam fidelium numero non desierunt: imo Apostolis fortasse ob multiplicatos labores necessitatem fecerunt abbreviandi liturgiam. Tertio. Altum silent Patres & Scriptores primorum trium sæculorum de Liturgiis, & libris liturgicis: illi vero, qui circumferuntur, ex infra dicendis sunt dubiæ fidei, & scatent notis suppositionis sat apertis. Ex Sæc. II. prodeat S. Justinus, quem supra pro opinione adversa citavimus, qui loc. cit. (l) perspicue describit liturgiam, quam Ecclesia suo ævo in celebranda Eucharistia observavit: ubi refert, quod fideles die solis convenerint, in eo conventu lecta fuerint commentaria Apostolorum; postea Præpositus orationem habuerit, qua populum instruebat. Sequebantur preces, quæ omnibus consurgentibus atque consistentibus dicebantur. His peractis celebrabant Eucharistiam hoc ordine: *Panis & vinum & aqua offertur, & Præpositus preces similiter, & gratiarum actiones fundit, quantum pro sua virili potest, & populus fauste acclamat: Amen. Tum ex iis, quæ benedicta, sive gratiarum actione consecrata sunt, unicuique distributio fit & participatio* &c. In hoc loco Justinus refert Liturgiam simplicem, modestam, Institutioni Christi, & Apostolorum conformem, a Liturgia latina toto cœlo diversam, ubi notari merentur verba: *Quantum pro sua virili potest*, quæ verba satis clare indicare videntur, quod Præpositi suas preces & gratiarum actiones neutiquam secundum formulam sibi præscriptam, sed potius secundum modulum, prout ipsis datum erat desuper, peregerint (m). Justino accedat Tertullianus Sæculi tertii scriptor celeberrimus, qui satis accurate recenset ea, quæ præter traditam a Christo & Apostolis formam Sacramentis baptismo & Eucharistiæ accesserunt: & tamen nullius ritus singularis ab Ecclesia præscripti meminit, multo minus cujusdam Codicis liturgici mentionem fecit (o). Sed nec Cypriani tempore eodem ævo viventis quidquam innovatum fuisse in ordine Eucharistiæ ipse innuere videtur (p), dum dicit: *Ad radicem, atque originem Traditionis Dominicæ revertendum, sic ut aliud non fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit: non observari a nobis,*

Patres & Scriptores primorum sæculorum altum silent de libris liturgicis.

(k) Card. Bon. loc. cit. (l) Apolog. 2.
(m) Vid. Dallæus de cult. Latin. Relig. lib. 9. cap. 1.
(o) Lib. de Coron. cap. 3.
(p) Epist. 63. ad. Cæcil.

a nobis, quod mandatum eſt, niſi eadem, quæ Dominus fecit: ab Evangelicis præceptis omnino recedendum non eſt & eadem, quæ Magiſter docuit, & fecit, diſcipuli quoque obſervare & facere debent. Hæc quid aliud probant, niſi quod Euchariſticæ Liturgiæ forma fuerit ſimplex, & talis, quæ prope ad Apoſtolicam accederet? Quarto. Subſequentium etiam ſæculorum ſcriptores, quibus jam ingens facta erat in hac Religionis parte rerum, verborum, & ordinis mutatio, teſtantur, quod Apoſtoli, eorumque ſucceſſores Miſſæ Sacrificium ſumma cum ſimplicitate celebraverint. Audiatur S. Gregorius Sæc. VII. Scriptor: *mos*, inquit (q) *Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem dominicam oblationis hoſtiam conſecrarent.* Huic adjungatur Valafridus Sæc. IX. Author, quo tempore jam ingens facta fuit in hac chriſtiani cultus parte mutatio, qui ſui temporis Miſſam cum Synaxi apoſtolica comparans ita ſcribit: *Quod nunc agimus multiplici orationum, cantilenarum, & conſecrationum officio, totum hoc Apoſtoli, & poſt ipſos proximi, ut creditur, orationibus, commemorationibus Paſſionis Dominicæ, ſicut ipſe præcepit, agebant ſimpliciter: proficiente dehinc Religione amplius acta ſunt a Chriſti Cultoribus officia Miſſarum* (r). Gregorii & Valafridi judicium plerique ſcriptores ſubſequentium temporum unanimi ferme conſenſu ſecuti ſunt: Sæc. IX. Remigius Altiſſiodorenſis; Sæc. X. Stephanus Eduenſis, Berno Augienſis; Sæc. XII. Gregorius Tuitienſis, Hugo a S. Victore; Sæc. XIII. Honorius Auguſtodunenſis, Guilielmus Durantes; Sæc. XIV. Radulphus Tungrenſis; Sæc. XV. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, quos omnes citat Elias Dupin (s), & Dallæus (t). En utriusque ſententiæ fundamenta! Seligat prudens Lector illam, quæ ſibi probabilior viſa fuerit, aut veroſimilior. Si ſecunda præplacuerit, ſubminiſtramus quædam reſponſa ad fundamenta prioris ſententiæ: profecto neceſſitas referendi in ſcripturam quosdam ritus liturgicos in celebratione Divinorum adhibendos nobis nondum eſt demonſtrata; hoc ipſo quod Liturgia primæva fuerit ſimplex, brevis, modeſta, inſtitutioni & exemplo Chriſti conformis. Similiter preces illæ, orationes, gratiarum actiones, de quibus mentionem facit Apoſtolus & SS. Patres, fuere paucæ, breves, arbitrariæ, & extemporaneæ, dono orationis ubique ſe diffundente; vel uti dicit Athenagoras

Scriptores ſubſequentium ſæculorum ad Sæc. usque XV. teſtantur de ſimplici forma in celebratione Sacrificii Miſſæ primis temporibus adhibita.

Argumenta poſterioris ſententiæ explicantur, & prioris ſolvuntur.

I 2

(q) Lib. 7. Epiſt. 63. (r) De Reb. Eccleſ. cap. 22.

(s) In Bibliotheca Eccleſ. Auth. Tom. 1. pag. 12.

(t) Dallæus loc. cit. lib. 9. cap. 2.

ras (u), & poſt ipſum Tertullianus: *ſine monitore, de pectore.* Poſt diceſſum Apoſtolorum ſucceſſive quemdam publicarum precum ordinem in variis eccleſiis fuiſſe introductum, quem ſequerentur, qui rem ſacram facerent; hunc vero poſtmodum præſcriptas formulas evitandæ confuſionis gratia generaſſe, admitti poſſet. Nullibi certe Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus dicunt, quod orationes illas, deprecationes, & obſecrationes Apoſtoli ſcriptis conſignaverint, illorumque Liturgiæ ſcripto ad eccleſias pervenerint. Eatenus nempe ab Apoſtolis ſuam traxerunt originem, quatenus ipſi etiam orationes faciebant, dum divina celebrabant: quin tamen eas ſcripto reliquerint. Ipſe Cardin. Bona fatetur, Patres non eſſe concordes in ſtatuenda formula, qua Apoſtoli ſacrum peregerunt: dum quidam ſola oratione dominica additis procul dubio verbis conſecratoriis totum ritum fuiſſe peractum; alii prolixiores orationes adhibitas exiſtimant (x). Quocirca ipſe Bona mediam amplectitur ſententiam, exiſtimans, ſicut ſupra monuimus, pro rerum ac temporum circumſtantiis nunc breviorem, nunc prolixiorem formulam fuiſſe in uſu Apoſtolorum. Cæterum mera eſt conjectura, quod a Donatiſtis, Arianis, ac Imperatoribus igne combuſti fuerint Codices liturgici: quare enim dici nequeat, fuiſſe codices Canonum, quos Synodi particulares ſtatuerunt; vel libros SS. Patrum, aliorumque Scriptorum, quibus eccleſiæ abundarunt? in quo ſenſu Patres illas orationes ſacerdotales dixerint Apoſtolicas, mox antea diximus: eatenus nempe, quatenus Sacerdotes more Apoſtolorum ad Sæculum usque quartum & quintum obſervato, certas precum formulas & orationes fuderunt, quando divinis vacarunt. Utrum vero illæ ipſæ precandi formulæ fuerint, quibus utebantur Apoſtoli, & hæ per ſcripturam ad nos pervenerint, nullibi aſſerunt. Nihil profecto frequentius apud Scriptores eccleſiaſticos antiquiores, quam quod ea, quæ in eccleſia ſemper fuere obſervata, etſi per decurſum ſæculorum varias viciſſitudines & mutationes ſubierint, inſtitutiones apoſtolicæ dicantur; non quidem ſcriptæ ſed traditæ.

Quomodo factum ſit, ut ritus & ceremoniæ in codicem redigerentur?

Itaque ſucceſſive factum eſſe exiſtimandum eſt, quod ritus & ceremoniæ in codicem fuerint relati, diverſi in diverſis eccleſiis recepti. Et quidem a tempore naſcentis Eccleſiæ per Apoſtolos, illorumque Succeſ-

(u) De Leg. pro Chriſtiani prout citat Boehmerus in Diſſert. de Jure Liturg. §. 31.

(x) Lib. 1. cap. 5. §. 3. pro brevitate Liturgiæ citat S. Gregor. M. Honorium, Walfridum Strabonem; pro contrario Proclum Conſtantinop. Chryſoſtomum &c.

Invaluere successive varii & plures ritus.

Successores diversos fuisse ritus introductos, dubitare non sinunt ea, ea, quæ §. antecedenti diximus, ex quo simplicem ecclesiæ disciplinam immutari omnino necessum erat. Inceperunt nempe inspirante Numine fideles sublimius cogitare, atque ut DEO gratum exhiberent obsequium, signis externis suam servitutem contestari, & in hunc finem nescio quas ceremonias introducere. Jam tempore Apostolorum de die dominica, quam diem solis vocabant; de Paschate celebrando; de dando osculo pacis; de velandis fœminis in ecclesia; de conventibus fuit cogitatum, quidni de aliis ritibus liturgicis? prævaluere in primis ecclesiæ sæculis mores, observantiæ, & consuetudines, quæ instar legum in defectum scriptarum serviebant, & plurimum authoritatis in omnibus ecclesiis habebant: quis vero dubitet, ex moribus populi plures profluxisse leges disciplinares? Exemplo sint causæ rebaptizantium, & quartodecimanorum: utraque credebatur pertinere ad disciplinam, & in his ecclesiæ inter se dimicantes ad antiquas traditiones & consuetudines provocabant (y). Variæ autem Synodi potissimum in Sæc. III. & IV. tam particulares quam respective generales fuere celebratæ, & in his non ea tantum, quæ dogmata fidei, sed etiam varia alia, quæ ad disciplinam ecclesiasticam spectant, fuerunt determinata: sic in Concilio Eliberitano multa ad Liturgiam spectantia fuisse determinata legimus; quædam etiam prohibita, veluti Can. 36. *ne picturæ in Ecclesiis fierent*, addita ratione: *ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*; in Can. 43. de celebratione Pentecostes agitur, & omnes eodem tempore illud celebrare jubentur. In Concilio Generali Nicæno I. non nulla etiam Jus liturgicum spectantia fuere constituta: sic in Can. ult. prohibitum, ne die dominico genua flectantur, sed ut omnes stantes ad DEUM orationes funderent. In reliquis Conciliis infinita alia determinata sunt. Ex quibus consectarium est, Jus liturgicum tam moribus, ac observantiis fidelium, quam ordinationibus Episcoporum, ac Conciliorum canonibus suam debere originem, mutationem, & incrementum, illudque postea in scripturam seu codices liturgicos authoritate seu privata seu publica fuisse relatum, quod idem canonibus diversarum Synodorum particularium factum esse scimus, qui in solis Ecclesiis particularibus observabantur, ac custodiebantur, donec in unum fuerint collecti, & authoritatem publicam obtinuerint.

Ex moribus populi profluxere leges ceremoniales.

In Synodis varii Canones ad disciplinam ritualem spectantes conditi.

Hi successive in codicem relati.

I 3 §. VI.

(y) Quantum valuerint mores & consuetudines in tribus primis Sæculis vid. in Quæst. 1. de Jure Canonico in genere cap. 5. §. 2.

§. VI.

Liturgia Petri apertas præsefert suppositionis notas.

Jam de Liturgiis apostolicis paucis dispiciendum, an sint vere Apostolicæ, genuinæ ac sinceræ: quarum prima est, quæ nomen S. Petri præsefert, & ex Codice quodam manuscripto Cardinalis Sirleti in lucem fuit edita ac notis illustrata an. 1589. a Guillelmo Luidano Episcopo Gandavensi. Liturgia hæc adeo apertas præsefert suppositionis notas, ut vix ullus amplius eruditorum illam in numerum operum genuinorum recensere audeat (z). Inprimis enim ultra mille quingentos annos ab omnibus Scriptoribus ecclesiasticis hæc Liturgia fuit ignorata: ubi ergo delituit, unde emersit, quare vel qua occasione fuit occultata? respondet Lindanus, latuisse in Apulia pulcherrima Calagraphia descriptam. Verum hoc ipsum est, quod illam suspectam facit: ipse character indigitat, illam non esse antiquam; recentiori manu, & fortassis illius, qui eam conscripsit, scriptam. Sed mittamus argumentum negativum: longe fortiora ad manus sunt.

Plures adhuc referuntur.

In hac Liturgia referuntur impossibilia, & incredibilia: nam fit mentio Sixti, Cornelii, & Cypriani, qui longo tempore vixerunt post S. Petrum: item Beatissima Virgo vocatur *Mater DEI*, verbum post Nestorii damnatum errorem duntaxat vulgare. In ea oratur pro Patriarchis, quæ vox ante Sæc. IV. saltem in Ecclesia catholica fuit ignota; item pro piissimis Imperatoribus &c. Refertur integer Canon Missæ latinæ, prout hodie in usu est, quem a quodam Scholastico, hoc est V. Sæculi Viro docto compositum testatur Greg. M. (a) & ab aliquot Pontificibus fuisse auctum demonstrat Card. Bona (b). Sunt in ea quædam orationes ex libro Sacramentorum Gregorii deprompta: estque consarcinata ex Missa Latina, & Liturgiis Jacobi, & Chrysostomi. Demum si Petri hæc fuisset Liturgia, quomodo Ecclesia Romana, quæ ejus Lipsana & Epistolas inter tot persecutionum procellas usque in præsentem diem solicite conservavit, hanc egregiam sacrificandi formulam neglexisset, illam in suo cultu non adhibuisset? aut qua arte factum esse putamus, ut eidem fuerit subtracta, ac in magnam usque Græciam translata, ibidemque usque ad ultima tempora abscondita? His argumentis prorsus fortissimis ducuntur Eruditi, ut hanc Liturgiam explodendam & tanquam spuriam esse rejiciendam existiment. Quisnam

(z) Inter hos sunt Card. Bona, Natalis Alexander, Cotelerius, Gravefon, Dupin, Nicolaus Nourisius &c. Dallæus, Cave, Pfaffius, Boehmer &c.

(a) Lib. 7. Epist. 64. (b) Card. de Bona lib. 2. cap. 11. §. 2.

nam illius Author fuerit, compertum non habetur. Haud improbabilis eſt conjectura eruditiſſimi Card. de Bona, exiſtimantis, illam eſſe confarcinatam a quodam Clerico Græco, vel Monacho Baſiliano communioni romanæ addicto. Conjecturæ hujus argumentum inde depromit, quod ſit conflata tum ex Liturgia Græca S. Baſilii; tum ex Canone Romano: ut ergo ſuæ Liturgiæ majorem authoritatem conciliaret, illiusque receptionem Eccleſiæ Romanæ perſuaderet, eidem nomen *Liturgiæ S. Petri* præfixit, & ex Liturgia Græca & Canone Romano eandem conflavit (c). Utrum autem Liturgia hæc vel uni, vel pluribus eccleſiis quondam uſui fuerit, res eſt incerta: cum illius unicum non niſi exemplar reperiatur. Illud addendum eſſe exiſtimamus, quod Orientales D. Petro duas omnino Liturgias adſcribant; ambæ nihilominus ejusdem valoris, nempe nullius, eſſe exiſtimentur, & ab Eruditis rejiciantur (d).

Idem dicendum de liturgia S. Matthæi, ſub nomine Miſſæ Æthiopum.

Altera Liturgia S. Matthæi ſub nomine *Miſſæ Æthiopum* non minus ab Eruditis tanquam ficta, & ſpuria exploditur: nam etiam hæc plura commentitia, falſa, abſurda, & in fide erronea continet: In ea enim Chriſtus dicitur filius & Patris, & Spiritus ſancti, quod aperte erroneum eſt in fide, oratur pro Pontificibus, pro Regibus, pro Patriarchis, pro Archiepiſcopis in Domino dormientibus: cum tamen nomina Patriarcharum, & Archiepiſcoporum ante Sæculum V. non fuerint in uſu Eccleſiæ, & non conſtet, vel unicum Regem præter Regem Æthiopum Iphigeniæ Virginis Patrem a S. Matthæo converſum ſuſcepiſſe religionem catholicam, & nemo Pontificum præter ipſum S. Petrum in rerum natura extiterit. Nonaginta novem Angelorum chori recenſentur: cum Eccleſia tunc temporis de numero illorum ſtatuendo ne quidem ſomniaverit, & ex poſt facto non niſi novem choros Angelorum eſſe cum S. Gregorio probabiliter exiſtimaverit (e). Recenſentur & invocantur duodecim Apoſtoli, & quatuor Evangeliſtæ, quos inter utique ipſe fuit S. Matthæus, adeoque ſe ipſum invocavit: id quod eſſe ridiculum, abſonum, & abſurdum nemo non facile perſpexerit. Mentio etiam fit Synodorum Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, & Epheſinæ, quæ longo poſt tempore ſunt coactæ: Athanaſi etiam, Gregorii,

(c) Vid. Card. de Bona lib. 1. cap. 8. §. 1. Elias Du Pin Bibl. Auct. pag. 12. Natalis Alex. Hiſt. Eccleſ. Sæc. I. Art. 3.

(d) Cotelerius in PP. Apoſt. pag. 343.

(e) Cum diverſæ ſint PP. ſententiæ quoad hunc numerum, Eccleſia nullibi definivit, eſſe novem Angelorum choros.

gorii, Cyrilli, Basilii, & Chrysostomi nomina referuntur tribus sæculis ab Apostolorum ætate posteriorum: præterea Epactæ, & aurei Numeri injicitur mentio, & monetur Sacerdos declarare utrumque; sicut etiam festa mobilia & immobilia: quæ omnia certe temporibus apostolicis non conveniunt, & recentioris esse instituti dignoscuntur. Hæc, & plura alia sunt, ex quibus constat, hanc liturgiam nec Matthæi Apostoli esse; nec probati alicujus Scriptoris ecclesiastici; nec admodum antiquam.

Item de liturgia Marci. Idem de Liturgia Marci pro Ecclesia Alexandrina conscripta ferendum est judicium, quæ obstetricante manu Cardinalis Sirleti ex vetusto codice Monasterii Rossanensis in Calabria Ord. S. Basilii in lucem educta, & Parisiis græce & latine fuit edita. Etiam in hac leguntur varia paradoxa: occurrunt verba *Consubstantialis*, & Trisagii; preces pro Rege & ipso S. Marco: calicum, Diaconorum, Subdiaconorum, Cantorum, Monachorum, Monacharum fit mentio, quæ illam aperte novitatis convincunt (f).

Et liturgia Joan. Evang. Hisce adjungenda est alia non melioris fidei Liturgia, quæ sub nomine Joannis Evangelistæ circumfertur, de qua videatur Robertus Sala in notis ad Cardinalem de Bona (g).

Sed nec desunt, qui vel ipsi Christo, ac Beatissimæ Virgini Liturgias tribuunt: utraque usurpatur apud Æthiopes, prout refert citatus Author (h).

Majus dubium de liturgia S. Jacobi. Majus dubium est de Liturgia S. Jacobi, quam plures magni nominis Authores eidem vindicant, non pauci etiam ex Catholicis abnegant (i). Juvat utriusque sententiæ argumenta saltem referre: *Argumenta pro illius authentia.* Vindices hujus Liturgiæ sequentia afferunt argumenta, & quidem primo perpetuam Ecclesiæ Græcæ traditionem, quæ illam semper ut legitimam agnovit. Secundo Syrorum quoque consensum, asserentium, hanc traditionem ad ipsos per manus deductam a tempore Apostolorum. Accedunt tertio exemplaria in vetustissimis codicibus exarata. Quarto

(f) Vox *Consubstantialis* est verbum IV. Sæculi, *Trisagion* V. Sæculi. Regem Christianum tempore S. Marci Alexandriæ non fuisse, aliunde certum est. Subdiaconi ante Sæcul. III. probabilius non fuerunt in Ecclesia, neque Monachi ante Sæc. IV.

(g) Ad lib. 1. cap. 8. §. 2. (h) Loc. cit.

(i) Liturgiam hanc S. Jacobo adscribunt Leo Allatius, Baronius, Card. Bona, Bellarminus &c. denegant Natal. Alexander, Elias Du Pin, Samuel Basnage &c.

Quarto plura hinc inde leguntur in antiquissimis documentis ex hac Liturgia deprompta: Sic enim Synodus Trullana cap. 32. illius utitur testimonio, ut refellat errorem illorum, qui solam aquam in sacrificio offerebant. Item Cyrillus Hierosolymitanus multa ex ea transtulit in quintam Catechesin Mystagogicam: Illius etiam meminit Proclus *in Tract. de Traditione divinæ Liturgiæ*.

Hisce opponunt Censores accuratiores illud inprimis, quod in hac ferme eædem, ac in anterioribus Liturgiis suppositionis notæ, & ferme simillima paradoxa occurrant: nam primo in ea Beatissima Virgo nuncupatur *Mater DEI:* Filius & Spiritus S. dicuntur Patri *Consubstantiales*, vocabula tempore S. Jacobi inaudita. Leguntur secundo Trisagion, & Doxologia, hoc est, *Sanctus, & Gloria Patri*, in ecclesia Sæculo duntaxat quinto usitata. Tertio in ea pro iis oratur, qui in monasteriis inclusi sunt: Sed quis de Monachis tempore Jacobi audiit? Quarto Confessorum sit mentio, quæ vox in officio divino diu post Jacobum vel Authore Bellarmino fuit usitata. Quinto de templis, Altarium suffumigationibus loquitur hæc Liturgia, quæ Jacobi tempore usu venisse vix est probabile. Sexto ætate Jacobi simplicissimum fuisse ritum celebrandæ Eucharistiæ ex Justino Martyre & supra dictis certum ferme, & exploratum est: In hac Liturgia vero præscribuntur ritus & ceremoniæ tales, quales tunc viguisse vix est verosimile. Septimo. Quid opus fuisset Græcis Basilii, Chrysostomi Liturgiis, si Jacobi Apostoli habuissent? instar omnium certe fuisset apostolica, divina, canonica illa Jacobi Liturgia, atque in omnes orbis Ecclesias emanasset: cum primo Sæculo summa Ecclesiæ Hierosolymitanæ utpote Matris omnium ecclesiarum fuerit authoritas. Octavo Quid causæ fuit, cur Patres ad hanc liturgiam non appellaverint, dum voce *Consubstantialis* Paulum Samosatenum, Arium, Macedonium; voce *Deipara*, *Mater DEI* Nestorium tanquam fulmine percusserunt? Nono. Liturgia hæc tota scatet citationibus epistolarum Pauli, quarum pleræque Jacobo mortuo scriptæ sunt. Decimo vix est credibile, quod Eusebius Cæsareensis, & Hieronymus hanc liturgiam ignorare potuerint, si unquam in rerum natura extitisset: aut quæ causa, cur fuerit abscondita? Ajunt quidem Bellarminus, & Card. Bona, plura huic liturgiæ successu temporis addita: sed inprimis id probare, & ostendere deberent, quænam pars Jacobum authorem habeat; quid sit additum: & non est verosimile, tot in locis quidquam fuisse adjectum: maxime, quod tenor ac totius Liturgiæ ritus Apostolorum tempori dissonent. Undecimo illa Traditio a parte adversa tantopere jactata est vulgaris; non Apostolica

Argumenta contra illius authentiam.

lica, non vere ecclesiastica: utpote quæ non dimanat a temporibus Apostolorum, & ad summum in uno, alterove Doctore, Proclo nempe, & Cyrillo Hierosolymitano (k), nec non in Synodo Trullana (l), quæ non est tantæ authoritatis, fundatur. Quod si quis hæc argumenta diluta videre cupiat, adeat Card. de Bona, illiusque Commentatorem: nobis utriusque sententiæ fundamenta attulisse sufficiat. Ex his id consequi necessum est, quod ad has liturgias non sat tuto provocari valeat.

Dantur aliæ plures & similes liturgiæ minus celebres, & quales?

Prætermittimus alias liturgias minus celebres & vix notas, quales sunt Apostolorum duodecim, & Barnabæ, quarum non nisi unus alterve Author meminit; Item illam, quæ in Clementis constitutionibus extat; & eam, quæ legitur in libris Dionysio Areopagitæ afflictis: quia cum illi libri dicantur esse suppositi, nihil est dubii, quin eæ, quas complectuntur, Liturgiæ fictæ sint. Qui plura de Origine, Antiquitate, Diversitate, Authoritate, & Scriptoribus scire desiderat, opera Liturgica Edmundi Martene, Mabillonii, Card. de Bona, Bellarmini, Dallæi, Pfaffii, aliorumque legat.

§. VII.

Liturgiæ celebriores.

Juvabit itaque in subsidium eorum, quibus adire Corinthum, id est, ipsos libros liturgicos, & horum Scriptores prolixiores legere non licet, præcipuas Apostolorum, Patrum Orientalium, & Occidentalium liturgias in compendium conjicere, unaque determinare, quænam ex his falsæ, spuriæ, suppositititiæ; & authoritatis sint vel certæ, vel dubiæ.

Apostolorum, & Patrum Apostolicorum.

Ordiamur a liturgiis Apostolicis, & Patrum Apostolicorum, de quibus §. præced. jam egimus. Primum profecto locum meretur liturgia duplex, quæ sub nomine Domini nostri & Dominæ nostræ circumfertur (m). Quoniam vero de hac liturgia tam ex S. Scripturis, quam ex unanimi sensu Catholicorum conclamatum est, supervacaneum foret prolixiorem de ea facere sermonem.

Liturgiæ,

(k) Quorum primus Sæc. IV. alter Sæc. V. scripsit.

(l) Dicitur hæc Synodus *Trullana:* quia fuit celebrata in Trullo, nempe in Secretario sacri Palatii. Item *Quinisexta:* quia fuit quasi appendix Synodorum quintæ, & sextæ. Græci hanc Synodum magni æstimant; Ecclesia Romana illam nunquam agnovit.

(m) Hanc edidit Joa. Michael Wanslebius Dominicanus, & post ipsum Jobus Ludolfus, quorum tamen sententia hodie exploditur. Vid. Car. Bona, Rer. liturg. lib. I. cap. VIII.

Liturgiæ, quæ ſub nomine Apoſtolorum circumferuntur, ſunt potiſſimum ſequentes: S. Petri ſuppoſititia; Matthæi Æthiopum dicta ſuppoſititia; Joannis Evang. ſuppoſititia; Marci Alexandrina dicta, eo quod fuerit Epiſcopus Alexandrinorum, ſuppoſititia: Barnabæ Apoſtoli, & demum Jacobi ſunt dubiæ fidei (n). His accedunt liturgiæ S. Clementis, & Dionyſii Areopagitæ; ambæ probabilius ſuppoſititiæ, de quibus infra.

Liturgiæ Orientalium. *Liturgia S. Baſilii.* Ad liturgias Orientalium progrediamur: inter quas eminent liturgia S. Baſilii, & S. Joannis Chryſoſtomi. Primam eſſe S. Baſilii apud Catholicos in confeſſo eſt, quidquid unus alterve Acatholicorum, Oudinus præcipue, contradicat (o), cui etiam non nulli ſectarii contradicunt (p). Cauſam, cur Baſilius novam liturgiam confecerit, tradit tam Proclus (q) quam author vitæ S. Baſilii, quæ inter opera Amphilochii reperitur (r). Hæc Baſilii liturgia in tribus, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, Anaphoris integra continetur. Ex his illa purior habetur, quæ ex Græca non interpolata a ſancto Ephrem Syro Syriace fuit reddita. Inter varias hujus liturgiæ editiones eminet illa, quam Jacobus Goar Dominicanus edidit in Euchologio Græcorum (s).

Liturgia S. Joan. Chryſoſtomi. Altera non minus S. Joan. Chryſoſtomi liturgia ferme indubitatæ eſt fidei (t): Etiam hanc elegantiſſime edidit citatus Goar. Atque hæ ſunt duæ illæ liturgiæ celeberrimæ, quibus potiſſimum utuntur Eccleſiæ Orientales (u).

Liturgiæ Orientales ſunt diverſæ. Quemadmodum Eccleſia Orientalis in diverſa regna nationes & provincias ſe diffundit: ita etiam Eccleſiæ particulares diverſis utuntur linguis, & in diverſas abeunt ſectas, quæ tamen ferme omnes Græcis utuntur ritibus; ſimul autem diverſas habent liturgias: quare haud inepte celeberrimus Pfaffius diſtinquit inter liturgias *Græcas*, & *Orientales*: *Aliæ Græcæ, aliæ Orientales.* *Græcas* idem recenſet ſequentes, Gregorii Theologi, Cyrilli Alexandri-

K 2

ni,

(n) Vid. dicta §. præced.

(o) Tom. I. Comment. de ſcriptor. cap. V.

(p) Guiliel. Cave de Script. Eccleſ.

(q) Opuſc. de tradit. divin. Miſſæ, Nempe quod liturgia S. Jacobi prolixior viſa fuerit.

(r) Amphilochio eruditi hodierni omnes vitam S. Baſilii ſcriptam abjudicant.

(s) Vid. cit. Bona loc. cit.

(t) Idem Oudinus id negat: econtra Caveus affirmat cum pluribus aliis Sectariis Fabricio, Pfaffio &c.

(u) Pfaffius de liturg. §. II.

ni, Gregorii I., & II. & Germani Constantinopolitani, quas solis nominibus indigitasse sufficiat. Harum Editiones & Editores recenset laudatus Pfaffius (x).

Orientales sunt innumera. De liturgiis *Orientalibus* videamus. Has ferme esse innumeras testis est Nicephorus Callistus dicens: *Valde mihi laboriosum & difficile esset variantes per urbes & Regiones omnes Ecclesiarum consuetudines enumerare, & perscribere: id enim omnino fieri nequit.* Et Abraham Echellensis apud Card, de Bona (y) testatur, apud Christianas Orientis gentes supra quinquaginta liturgias partim communes, partim proprias diversarum gentium numerari; penes se autem triginta & unam ex his extare, quas idem Cardinalis recenset (z). Nos celebriores recensebimus.

Celebriores recensentur. Primo loco veniunt liturgiæ Nestorianorum: & sunt tres potissimum, nempe una Theodori Mopsuesteni, qua ab Adventu usque ad Pascha; altera duodecim Apostolorum a Paschate usque ad adventum; tertia Nestorii, qua quinquies per annum utuntur. Hæ autem tres liturgiæ paucis inter se differunt (a).

Secundo loco veniunt liturgiæ Monophysitarum, qui etiam Jacobitæ vocantur, quos ad quadraginta usque habere liturgias inter se admodum diversas, testantur passim Scriptores. Præter alios amplissimam de Syriacis Melchitarum & Jacobitarum liturgiis dissertationem, earumque collectionem longe accuratissimam luci publicæ exhibuit Eusebius Renaudotius (b), inter quas variæ conspiciuntur, quæ Apostolorum Jacobi, Petri, Joannis, Marci, Clementis Romani, Dionysii Atheniensis, Joan. Chrysostomi, Cyrilli, & Dioscori nomen præferunt.

Tertio loco veniunt liturgiæ Copticæ seu Jacobitarum Ægyptiorum, quos etiam Cophitas vocant. Hi ex pluribus liturgiis, quas reliqui habent Jacobitæ, tres duntaxat in suum usum receperunt, videlicet S. Basilii, quam in dies recitant; S. Gregorii, quam in festis Domini, aliisque solemnioribus festis usurpant; & S. Cyrilli, quam per quadragesimam, jejunium Natalis Domini, & in commemoratione Defuncto-

(x) Loc. cit. (y) Lib. I. Cap. IX. §. VI. (z) Loc. cit.

(a) Præter has tres liturgias habent Nestoriani plures alias, quarum tamen usus apud eos vel rarus, vel nullus est. loc. cit.

(b) In Collect. liturg. Orient. Tom. II. quem tamen hinc inde castigat Robertus Sala in annot. ad Card. de Bona, specialiter lib. I. cap. IX. §. V. pag. mihi 156.

functorum adhibent. De Missali Coptico Josephi Scaligeri, aliisque Scriptoribus liturgiarum Copticarum videatur Mathæus Pfaffius (c). Has Cophtitarum liturgias venerandam præseferre antiquitatem teste Card. de Bona communi Eruditorum calculo comprobatur.

Atque hæ sunt præcipue Orientalium liturgiæ, quarum tamen authoritas tanta esse non potest: partim quod a Græcis multum sint interpolatæ: partim quod authores ferant, quorum aliqui ne quidem in rerum natura extiterunt; aliqui hæreticis accensentur; aliqui in orbe christiano parum fuere celebres. *Earum authoritas non est tanti momenti.*

Præter suas liturgias habent Græci quamplurimos libros ecclesiasticos, quibus, dum divinis operantur, utuntur. Hos, aut saltem plerosque in unum collegerunt Leo Allatius (d), & Guilielmus Cave (e) qui proin videri possunt, & merentur (f). *Habent Græci etiam suos libros liturgicos.*

§. VIII.

Ad liturgias, quas communius *Missas latinas* vocare consueverunt, aliosque libros ecclesiasticos Occidentales antiquiores transitum faciamus.

Principaliores liturgiæ Occidentalium potissimum sunt sequentes: Romana, Africana, Ambrosiana, Mozarabum Hispana, Gallicana. Auspicemur a liturgia Romana. Liturgiæ Romanæ, ut optime animadvertit Joan. Mabillonius (g), triplex veluti ordo & status considerandus est. Unus primigenius ab Ecclesiæ nascentis exordio ad Gelasium usque receptus; alter Gelasianus Authorem seu Amplificatorem habens Gelasium Papam ejus nominis primum; tertius Gregorianus ita dictus ex nomine Gregorii Magni, qui Gelasianum ordinem correxisse memoratur. Qualis fuerit ille primigenius, non adeo constat. Ritum quemdam a Divo Petro per traditionem accepisse Romanam Ecclesiam, illumque postea continuatum, & ad Successores Petri continua traditione pervenisse, plurimorum Authorum est sententia (h). Qualis vero *Quæ sint liturgiæ Occidentalium principaliores?*

(c) De liturg. §. IV. ubi plures Scriptores recenset.

(d) In Differt. de lib. Eccles. ad Gabrielem Naudæum.

(e) In Differt. de lib. Eccles. quam Histor. liter. Script. Eccles. adjecit.

(f) Plures recenset cit. Pfaffius loc. cit.

(g) De Liturg. Gallic. lib. V. cap. II.

(h) Vid. Honorat. a S. Maria lib. 5. de usu Crit. Differt. III. art. II. §. II. Edmundus Martene de antiq. Eccles. ritib. Tom. I. cap. 3. art. 1. §. 7. Petrus le Brun Tom. 2. Explic. Missæ Differt. II. art. 2.

vero ille ordo Romanus, ille ritus in sacrificio Missæ potissimum adhibitus fuerit, nemo hactenus determinare ausus fuerat (i).

§. IX.

De Missa Gelasiana.

Ad Missam Gelasianam seu Codicem sacramentarium Gelasii veniamus. Scripsisse Gelasium Sacramentorum formulas, testes sunt Anastasius in ejus vita & Joann. Diaconus in vita S. Gregorii, & quidam Juniores Hugo de S. Vict. & Rupertus Tuitiensis. Interim dici nequit, quod Gelasius novum codicem liturgicum combinaverit, vel ordinem Missarum composuerit; sed potius solennes precum & sacramentorum formulas, quæ in Ecclesia Romana in usu erant, novo ordine digestas, pluribusque de suo additis in unum codicem compegerit: siquidem testatur Anastasius in ejus vita, quod nihil aliud quoad Missarum ordinem composuerit, quam *sacramentorum præfationes & orationes cauto sermone*. Hunc Codicem primus edidisse sibi visus fuerat Joseph. Maria Thomasius Clericorum Regularium Presbyter, postea Cardinalis. Eundem postea impugnavit Jacobus Basnage Hollandus Calvinianæ sectæ Minister, & probare contendit, Codicem Gelasianum Gelasio posteriorem esse, & ad Sæculum X. referendum esse (k). Idem tentavit Pfaffius; sed alia longe ratione ductus, hac nempe: quod Gregorius Magnus (l) de se testetur, quod canoni Missatico adjecerit orationem Dominicam, quæ in eo hactenus non extitit, Quia igitur in codice Gelasiano hæc oratio reperitur, hoc ipso Gelasii esse non potest (m). Utrumque hunc authorem egregie refutavit Robertus Sala in annotationibus ad res liturg. Cardinalis de Bona (n). Desuper etiam meretur legi Guilielmus Cave, qui hunc codicem Gelasio egregie vindicat (o).

§. X.

De Gregoriana.

De Missa Gregoriana, seu Sacramentario, vel si placet, libro Sacramentorum Gregorii M. paucis dispiciamus. Refert Joan. Diac. in vita Gregorii M., quod sanctissimus hic Pontifex *e codice Gelasiano multa subtraxe-*

(i) Suspicantur eos fuisse ritus, quos Justinus Martyr sub finem Apolog. II. describit, & expressius refert Tertul. vid. supra dicta.

(k) Tom. II. histoire Eccles. lib. XVI. cap. X.

(l) Lib. 7. epist. 64.

(m) De liturg. §. IV.

(n) Tom. III. lib. II. cap. V. pag. 102.

(o) Histor. Script. Eccles. pag. 464.

subtraxerit, pauca converterit, non nulla adjecerit, atque illum in tres libros distinctum uno volumine coarctaverit, & librum Sacramentorum prætitulaverit (p). Quin conferri in hanc rem poteſt ipſe Gregorius, qui ipſe rationem reddit, cur liturgiam mutandam cenſuerit (q). Liber iſte primitus in Eccleſia Romana tantum uſum obtinuit; poſtea vero per omnes ferme Eccleſias Occidentales diffuſus, & in Eccleſiis Anglicana, Gallicana, Hiſpanica; quin etiam Germanica receptus fuit. De Anglicana teſtatur Concilium Cloveshovienſe II. Can. XIII. in quo definitum, ut *Miſſæ juxta exemplar Romanum celebrentur.* De Gallica Mabillonius (r): dicens: *Liturgia Romana poſt medium Sæc. VIII. in locum Gallicanæ apud nos recepta. Galli ſiquidem ab initio receptæ fidei, ut loquitur Hilduinus Abbas in epiſtola præfixa libris Areopagiticis, alium Miſſæ ordinem ſervabant, dum ritum Romanum ſuſceperunt; quod factum putat Hilduinus hortatu Innocentii, Gelaſii, & Gregorii M. &c. At ſerius depoſitum fuiſſe priſcum ordinem liturgiæ Gallicanæ intelligitur ex reſponſis Gregorii M. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum &c.* De Hiſpanica teſtes ſunt Hugo Menardus, & Mabillonius; ille in ſua præfat. ad lib. Sacrament. Greg. M., poſtquam oſtendit ordinem Romanum ad tempus fuiſſe in uſu Eccleſiæ Hiſpanicæ, eidemque poſteà per liturgiam Mozarabum derogatum, ſic concludit: *Cui tamen conſtitutioni* (loquitur de decreto Concilii Bracarenſis an. 561. celebrati) *per Miſſam Mozarabum derogatum eſt, quæ fuit in uſu per totam Hiſpaniam usque ad tempora Gregorii VII., qui eam abrogavit, juſſitque Hiſpanos ſequi ordinem Miſſæ Romanæ:* Iſte vero ſic habet: *Gregorius VII. miſerat in Hiſpaniam Richardum Cardin. & Abbatem Maſſilienſem, ut ritum Mozarabicum abrogaret* (s). De Eccleſia Germanica eo minus dubitari poteſt, quo certius eſt, quod eo potiſſimum tempore efflorefcere cœperit, quo in Eccleſiam Gallicanam fuit introducta. Hujus rei teſtis omni exceptione major ipſe Carolus M., dum dicit, ſe ritum Romanum in Germaniam nuper abs ſe converſam

Fuit recepta ferme per omnes Eccleſias.

Anglicana'n.

Gallicam.

Hiſpanicam.

Germanicam.

(p) Lib. II. cap. XVII.

(q) Lib. VII. Epiſt. 64. dicens: Orationem vero Dominicam idcirco mox poſt precem (id eſt Canonem) dicimus: quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent. Et valde mihi inconveniens viſum fuit, ut precem, quam ſcholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam orationem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus & ſanguinem taceremus.

(r) In Annal. Benedict. ad Sæc. I.

(s) Annal. Bened. Tom. 5. lib. 65. §. 81.

Gregoriana liturgia parum distat a Gelasiana.

versam induxisse (t). Cæterum liber hic sacramentarius Gregorianus a Gelasiano parum differt. Totum discrimen est in varietate & numero orationum seu collectarum: nam cætera utriusque eædem omnino partes sunt. In Gelasiano duæ aut tres ante epistolam orationes extant, unica secreta ante Præfationem, atque post Communionem: At in Gregoriano tres tantum ad singulas Missas assignantur orationes, quarum una ante epistolam; altera secreta; tertia post communionem (u). Extant diversæ hujus sacramentarii Editiones, Angeli Rochæ e Biblioth. Vatic. Pameliana; Hugonis Menardi ex codice Corbeiensi, quam secuti sunt Patres Mauriani in editione Operum S. Gregorii. Quænam ex his sit optima, inter eruditos disputatur (x).

§. XI.

De Missa Ambrosiana.

Varia de authore illius scribuntur non satis certa.

Ad Missam Ambrosianam convertamur, de cujus origine & authore non satis constat. Sunt, qui nobis persuadere volunt, Missale Ambrosianum a S. Barnaba primo, ut volunt, Mediolanensium Archiepiscopo, ejusdemque Ecclesiæ Fundatore fuisse adornatum, a S. Miroclete auctum, tandem a S. Ambrosio in hodiernam formam redactum, ab eoque nomen traxisse: cumque de illo abrogando post Ambrosii discessum ex hac vita actum fuisset, illum miraculis fuisse confirmatum. Hæc narrat Author sat clarus Josephus Vice-Comes (y), eaque confirmat testimonio duorum testium Galvanei & Beroldi: quoniam vero ambo hi testes non satis noti, nec sufficientis authoritatis, multo minus antiquitatis, sed recentioris ævi sunt (z); imo scriptores, quibus hæc miracula nota esse deberent, altum de illis silent (a), irre-

(t) Lib. 1. cap. 6. textum exhibet Pfaffius de liturg. §. VII.

(u) Vid. supra cit. Joan. Diaconus, Joan. Georg. Eccardus Corp. Hist. medii ævi Tom. I. Card. de Bona rerum liturg. Tom. I. Cap. VII. §. V. pag. 117.

(x) Vid. Caveus loc. cit. Pfaffius, Card. de Bona, & citati Patres Mauriani.

(y) Lib. II. de Ritibus Missæ.

(z) Audiatur primitus ipse Card. Bona, qui lib. I. rer. liturg. cap. X. sic habet: *Sed isti ignoti Scriptores sunt, quorum authoritas quanti ponderis sit, aliis discutiendum relinquo. Nescio enim, qua ætate vixerint, & quo nixi fundamento ea scripserint, quæ Vice-Comes ex illis refert.* Et quidem Galvaneus teste Vossio anno 1340.; Beroldus circa annum 1130. vixisse creditur. Vid. Robertus Sala ad cit. cap. Card. de Bona.

(a) Tales sunt, qui ritus Greg. M. Hadriani I. & Caroli M., sub quibus hæc contigisse afferunt, scripserunt. Item Sala.

refragabilem authoritatem facere nequeunt. Utrum vero huic historie fidem faciat antiqua Mediolanensis Ecclesiæ, imo totius Italiæ traditio, quam Robertus Sala prætendit, dependet a veritate ipsius traditionis, quæ potius vulgaris, quam authentica, & hoc ipso sublestæ fidei esse videtur (b). Profecto ipse Robertus Sala loc. cit.; quin etiam ipsi Critici Mediolanenses huic traditioni ex omni parte non fidunt. Quidquid ergo de S. Barnaba, de Miroclete, de miraculis in fidem hujus liturgiæ factis sit, saltem majori probabilitati innititur doctrina, quæ hanc Missam Ambrosio tanquam legitimo authori adscribit: quamquam neque id omnino certum haberi possit (c). Primus fortassis, qui Ambrosio ante annos octingentos Missæ Ambrosianæ institutionem adscribit, fuit Walafridus Strabo his verbis (d): *Ambrosius Mediolanensis Episcopus tam Missæ, quam cæterorum dispositionem officiorum suæ Ecclesiæ & aliis liguribus ordinavit:* quæ & usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia. Straboni, ut ait Card. de Bona, suffragatur illius Ecclesiæ, & totius Italiæ traditio, a qua sine evidenti ratione recedendum non est. Verum mox antea animadvertimus, jure optimo dubitari posse, utrum hæc traditio sit vera, genuina, & sincera; vel potius vulgaris: maxime quod de hac Missa Ambrosiana ante Strabonem nemo illius mentionem fecisse legatur. Interim antiquissimam esse hanc Missam Ambrosianam ferme concors est Authorum sententia, & ex eo patet: quod a Romana subinde plurimum diffideat, & veterem Italicam sequatur (e). Sed & istud certum est, quod Missalia Ambrosiana recentiora a vetustoribus plurimum differant: eo quod Archiopiscopis Medio-

Verosimiliter adscribitur S. Ambrosio.

Id tamen non ex omni parte certum est.

Est Missa antiquissima & a Romana differt hinc inde.

(b) Muratorius Tom. IV. Antiq. Italiæ. Differt. 57.

(c) Id esse incertum, videtur ipse Card. Bona innuere lib. I. cap. X. §. I. *Sive Ambrosius, sive alius antiquior eos ritus instituit, id pro certo habendum &c.* Patres quoque Mauriani editionem operum Ambrosii adornantes id certo affirmare non ausi sunt. Id ipsum in dubium vocavit Nicolaus de Nourry. Item Caveus Hist. Script. Eccles. ad Sæc. Arian. pag. 464.

(d) Lib. de Rit. Ecclesiæ cap. 22.

(e) Guiliel. Cave loc. cit. pag. 65. per hæc verba: *Missa Ambrosiana tum rituum ordine, tum ritibus ipsis precumque dispositione tum a Romana, tum ab aliis admodum discrepat: in psalmis & lectionibus ex S. Scriptura depromptis antiqua versione Italica, non, quæ hodie obtinet, Vulgata utitur.*

Mediolanensibus hinc inde aliqua innovare, mutare, demere, vel addere placuerit (f). Ordinem Missæ, ejusque ritum describit Card. de Bona aliique (g), eumque adhuc, saltem aliquoties, in Ecclesia Mediolanensi celebrari Authores testantur (h). Profecto ex ipsisSectariis aliqui Missam Ambrosianam Ambrosio adscribere non verentur (i).

§. XII.

De Missa Mozarabum.

Unde dicatur Mozarabum?

Jam de Missa Mozarabum apud Hispanos quondam usitata dicendum. Habuit videlicet aliquando Ecclesia Hispanica Missam peculiarem, quæ a Regibus Gothicis per Hispaniam dominantibus *Gothica*; a Christianis vero, qui utpote mixtim inter Arabes post occupatam ab iis Hispaniam viventes dicebantur *Mixtarabes*, vel *Mozarabes*, dicta fuit Mozarabica: quamquam non desint, qui Christianos a Muza Arabe Toletum expugnante Muzarabes dictos autument, quorum fundamente suse exponit Robertus Sala (k).

De illius Authore certo non constat.

Jam Sæc. V. in Hispania obtinuit.

Non conveniunt eruditi in designando hujus Missæ primo Authore. Baronius Isidorum Hispalensem hujus fœtus Parentem esse existimat (l): Guilielmus Cave illum Leandro Hispalensi Fratri Isidori vindicat (m): Card. de Bona, ejusque Notator Robertus Sala utramque sententiam susius refellunt, & officium Gothicum jam a Sæculo V., quo tempore Gothi summa rerum potiti Hispanias occuparunt, ibidem usum obtinuisse, argumentis validissimis tum ex cultu publico jamjam secundum liturgiam orientalem a Gothis secum allatam instituto; tum ex variis Synodis particularibus per Hispaniam celebratis commonstrant, adeoque Missam Mozarabnm diu ante Isidorum, & Leandrum usu receptam contendunt, id duntaxat aliorum sententiis tribuentes, quod Leander Hispalensis ritum Mozarabicum illustraverit; Isidorus, Ildefonsus aliique eundem auxerint (n). Huic opinioni subscribunt Natal. Ale-

(f) Card. de Bona loc. cit. cap. X. §. 1.
(g) Loc. cit. §. II. & Caveus pag. 65.
(h) Bona ibid. §. III.
(i) Chemnitius in Exam. Concil. Trident. part. 2.
(k) In res liturg. Card. de Bona lib. I. Cap. XI. §. I.
(l) Annal. ad an. 633.
(m) Hist. Script. ad Sæc. Eutychianum pag. 541.
(n) Loc. cit. pag. 197. & seq.

Alexander (o), Pagius in Critica Baronii (p): Joannes Pinius (q), Josephus Blanchius, aliique (r).

Quamvis autem hoc Officium a Viris sanctis & orthodoxis compositum fuerit: Hispania tamen ab infidelibus devastata, ita erroribus refertum est, ut Elipandus Toletanus Episcopus ex hoc officio depravato plura acceperit testimonia ad suam hæresin adstruendam. Diu viguit hic ritus in Hispania & Gallia etiam Narbonensi, aliisque regionibus Gothorum regno subjectis, donec authoritate Gregorii VII. Sæc, XI. substituto Romano abrogatus fuit. Qua arte id factum fuerit, fuse exponit Card. de Bona, ejusque Notator (s). *Multis erroribus fuit infecta.* *A Gregorio VII. fuit abrogata.*

Ne autem tantæ antiquitatis ritus omnino interiret, eundem e Gothicis tumulis suscitatum novis characteribus Franciscus Ximenes Archiepiscopus Toletanus recudi jussit, & in illius venerationem Sacerdotum collegium instituit, eisque obligationem injunxit, ut divina officia, & Missarum solemnia in sacello, quod in Ecclesia Toletana majori ædificavit, ritu Mozarabico peragantur. Idem ritus observatur Salmanticæ in sacello Doctoris Talabricensis, & quibusdam Toleti parœciis (t). Amplissimos ritus hujus liturgiæ fuse recenset & exponit Card. de Bona, qui omnino videri meretur. *Fuit de novo recusa.* *Juxta illius ritum in sacello quodam peraguntur divina.*

§. XIII.

Reliquum est, ut de liturgia seu Missa Gallicana agamus, de qua fusiori calamo agere vel ideo supervacaneum ducimus, quod Scriptores Gallici ea omnia, quæ ad hanc liturgiam explicandam, exornandamque pertinent, ferme exhauserint. Supra diximus ex Mabillonio, quod liturgia Romana in locum Gallicanæ in Gallia jussu piissimorum Regum Pipini, & Caroli M. fuerit recepta. Itaque in eo cardo difficultatis vertitur, quænam fuerit illa liturgia, quæ apud Gallos ante tempora Pipini, & Caroli M. obtinuit. Olim liturgiam Gallicanam a Romana fuisse diversam, ex Historiis Sæculi VI. & VII. facile comprobabatur: cujus luculento testimonio est responsum, quod Gregorius M. dedit S. Augustino Cantuariensium Episcopo, dum ab eo interrogatus, cur *cum una sit fides, Ecclesiarum consuetudines tam sint diversæ, & altera con-* *De liturgia Gallicana.* *Fuit diversa olim a Romana.*

(o) Hist. Eccles. Sæc. VII. cap. 4. art. 8.
(p) Critica Baronii ad an. 633. N. 29.
(q) Differt. de liturg. Mozarabum cap. 3.
(r) Annot. XXXI. ad libellum Orat. antiq. Ritus Goth.
(s) Loc. cit. §. II. (t) Card. de Bona lib. 1. cap. XI. §. 3.

consuetudo Missarum sit in Romana Ecclesia; atque altera in Galliarum Ecclesiis retineatur? respondit: *Mihi placet, ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet alia Ecclesia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti DEO potest placere, solicite eligas* (u). Sæc. VIII. specialem Missæ ritum in Gallia viguisse probat epistola Zachariæ Pontificis ad Bonifacium scripta, in qua reprobat benedictiones, quas Galli in Missa faciebant (x). Antiquiora documenta vix habentur, quam *S. Hilarii Pictaviensis*, qui teste S. Hieronymo de Script. Eccles. composuit *librum hymnorum; & alium Mysteriorum*, quod idem est ac liturgiarum; *Musæi* Ecclesiæ Massiliensis Presbyteri, qui teste Gennadio de Script. Eccles. (y) præter *Lectionarium & Responsiale* insuper *egregium Sacramentorum, & non parvum volumen composuisse fertur; Salviani* Massiliensis, cui idem Gennadius quemdam Sacramentorum codicem tribuit; Claudiani Mamerti Viennensis Presbyteri, quem simile opus scripsisse testis est Sidonius (z). Huic ipsi librum quemdam Missalem adscribit Gregorius Turonensis (a).

Quis olim fuerit ordo Missæ Gallicanæ, ignoratur.

At vero hi omnes Missarum codices temporum cursu perierunt, neque illorum aliquod superest vestigium, ex quo Missæ veteris Gallicanæ ordo dignosci posset: quin & Sæculo XI. eundem ipsimet Galli ex tanta apud illos superinducta divinorum officiorum varietate fere omnes penitus ignorarunt.

Variæ liturgiæ Gallicanæ hodie circumferuntur.

Missale Gothicum, Francorum, Gallicanum, Gallicanum vetus, Luxoviense.

Orationes Missales.

Porro autem indefesso suo labore Viri studio antiquitatum addictissimi nihil non fecerunt, ut ex antiquissimis documentis hinc inde in Archiviis, Bibliothecis & Scriniis latentibus quædam eruerent. Idcirco diversas habemus liturgias Gallicanas, quas Viri quidam eruditissimi luci publicæ commiserunt, inter quos primus est Thomasius Cardin., qui tria Missalia Gallicana edidit sub diversis nominibus, nempe *Missale Gothicum*, quod proprium fuisse Gallis Visigothorum imperio subjectis existimat; *Missale Francorum*, & *Missale Gallicanum* (b): Alter est Mabillonius, qui tribus prioribus *Gallicanum vetus*, idque *Luxoviense* adjecit (c). Tertius jure optimo habetur Margarinus de la Bigne Thologus Sorbonicus, qui *Orationes Missales* ex vetustissimo quodam codice, *Gothicum Missale* exhibente, Bibliothecæ Patrum Parisiensi

(u) Robertus Sala in annot. Lib. I. Cap. XII. §. I.

(x) Ibidem. (y) Idem loc. cit. (z) Lib. 4. epist. 31.

(a) Vid. Bona loc. cit. pag. 225.

(b) In Codicibus sacramentorum nongentis annis vetustioribus. Vid. Pfaffius in Differt. de liturg. §. IV.

(c) *Libri tres de Liturgia Gallicana.*

ensi inseruit (d). Quartus accedit Edmundus Martene Benedictinus Parisiensis Vir de re literaria longe meritissimus, qui in suo thesauro Anecdotum exhibuit expositionem brevem antiquæ liturgiæ Gallicanæ ex manuscripto codice S. Martini Augustodunensis depromptam, in quo ea, quæ ad chorum pertinent, enarrantur, & nec a Card. Bona, nec a Mabillonio sunt edita (e). Præ his omnibus singularem laudem meretur Cardin. de Bona, illiusque Notator. Ambo improbum sibi dederunt laborem, ut liturgiæ Gallicanæ vestigia ex antiquis Scriptoribus eruerent. In eo singulariter desudavit industria eruditissimi Notatoris, ut quorumdam desuper sententias, præcipue Honorati a S. Maria, qui liturgiam Gallicanam ab Hispanica haud esse diversam contra Thomasium, Card. de Bona, & Mabillonium acriter defendit, confutaret, & de hallucinationibus convinceret (f). Hisce necessario adjungi debet Matthias Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgesium, ac rigidorum Lutheranorum Princeps, qui Missam latinam ex antiquo codice manuscripto Argentinensi typis mandavit, eamque veterem liturgiam Gallicam esse falso existimavit. In hunc scriptorem calamos strinxerunt Card. de Bona (g), & Joan. Mabillonius (h), eumque plurium falsitatum reum agunt (i). Refert Mabillonius loc. cit., hanc Missam a Lutheranis primitus pro sua causa esse allegatam, & propterea a Philippo II. Hispaniarum Rege instinctu Ducis Albani interdictam, & à Sixto V. Pontifice Romano in indicem librorum prohibitorum relatam; postea vero ab ipsis Lutheranis, cum animadverterent, eam in rem suam verti non posse, sed potius pro Catholicis militare, ferme suppressam; a Catholicis vero approbatam, recusamque fuisse (k). Juvat in hanc rem audire Cardinalem de Bona, cujus verba singularem merentur attentionem, & sic habent: *Ex quo destruitur falsa Illyrici opinatio existimantis, unicam olim fuisse Missæ celebrandæ rationem absque ullo discrimine temporum, & festivitatum. Hujus autem Missæ evulgatione credidit Vir improbus, se plurimum detrimenti Ecclesiæ Catholicæ allaturum; ac si illa antiquos sacrificii ritus perperam innovasset. Sed excæcavit illum malitia sua: nam e contrario Orthodoxæ fidei dogmata, receptique*

Expositio brevis liturgiæ Gallicanæ.

Utrum Gallicana ab Hispanica sit diversa?

Error Matthiæ Flacci Illyrici notatur.

L 3 *Ecclesiæ*

(d Tom. VI. (e) Tom. V. fol. 85. Pfaffius loc. cit.

(f) Loc. cit. §. V. pag. 236. & seq.

(g) Lib. I. cap. XII. §. II. (h) De liturg. Gall. lib. 1. cap. 17. §. 4.

(i) Vid. de Bona loc. cit.

(k) Sicut refert ipse Pfaffius sectæ Lutheranæ addictus, quin hæc negare audeat. Differt. de liturg. §. V.

Ecclesiæ ritus ex ea passim confirmantur, Sanctorum scilicet, & B. Virginis invocatio, realis præsentia in Eucharistia, confessio auricularis, oratio pro vivis & defunctis, & alia ejusdem generis multa. Quòd cum Lutheri asseclæ statim animadvertissent, omnia edita exemplaria, quotquot reperire potuerunt, in unum congesta igne protinus concremarunt: & hinc factum est, ut codex ille rarissimus sit, quem nec Cassander nec Pamelius viderunt.

Liturgiam Mathiæ Flacci ipsi Lutherani execrantur, & quare? Sed nec apud suos Illyricus bene audit: imo ab illis crudelissime vapulat, & veluti malorum incentor, blasphemus, hæreticus & hæresiarcha, furiosus Theologus, monstrosarumque opininoum adinventor traducitur (l). Utrum vero hæc liturgia Gallicana fuerit communis omnibus Ecclesiis Gallicanis, nondum decisum habemus. *Utrum liturgia Gallicana fuerit communis, jure dubitatur.* Non fuisse communem inde colligitur, quod ferme singuli Episcopi, Ecclesiæ, & Monasteria diversas habuerint liturgias. Aut si quæ fuit communis & universalis, nullum tamen ejus exemplar amplius exstare potest: cum quilibet sibi libertatem assumpserit liturgias determinandi, mutandi, interpolandi, corrumpendi. Plura videantur in citatis Authoribus.

§. XIV.

De libris Ecclesiasticis. Cum nomen *Liturgia* latissime pateat, diversimode accipiatur, & totum officium sub se complectatur, opportunus hic foret locus agendi de aliis libris ecclesiasticis, quibus Ecclesiæ in suo cultu & officio publico utuntur. Et quis hos omnes in numerum coget? plures per decursum hujus materiæ occurrent, & inter collectiones recensebuntur: plurimorum notitia discenda est ex Scriptoribus ecclesiasticis, liturgicis præsertim, de quibus infra agemus. Nemo nobis vitio vertet, si illos quasi in cumulum conjiciamus, & brevissime ex Authore quodam Protestantico celeberrimo recenseamus; hinc inde notis historicis illustremus, & ex nostra penu quædam adjiciamus. Est hic Matthæus Pfaffius orbi literario notissimus, qui in sua Dissertatione de liturgià integrum hujusmodi catalogum contexuit, & omnes hos libros suis propriis nominibus insignivit: cum enim hic liber non omnibus ad manus sit, profecto rem non ingratam nos legentibus facturos credidimus, si, quæ hic habet author, communicemus, & ex aliis Scriptoribus haud pauca addamus.

De Missalibus, quid sint. Ad rem igitur liturgicam latius sumptam pertinent præprimis Missalia ita dicta a Missa (m), quæ nihil sunt aliud, quam libri, in quibus liturgia in sacrificio Missæ observanda, & totus ordo Missæ continetur. Et

(l) Bona ibid. (m) Pfaffius in cit. Differt. §. IX.

Et ſunt vel antiqua; vel nova: illa ſunt illæ ipſæ liturgiæ, de quibus ſupra egimus, & plures aliæ nobis incognitæ: Noviora ſunt, quæ temporibus novioribus in commodum Clericorum ſunt edita. Inter hæc eminet Miſſale Romanum ex decreto Concilii Tridentini reſtitutum, Pii V. Pontificis juſſu editum, & Clementis VIII. authoritate recognitum, & in tota Eccleſia Romana, qua qua illa patet, receptum. Habent vero etiam Eccleſiæ particulares & magis principales, potiſſimum Epiſcopales, peculiaria Miſſalia ad ſuum uſum accommodata, quæ quo-ad ſubſtantiam a Miſſali Romano non recedunt, & non niſi quibusdam acceſſionibus pro exigentia Eccleſiarum ſunt referta (n). Habent etiam ferme omnes Ordines Religioſi ſua Miſſalia peculiaria ſuo uſui accommodata (o).

Sunt antiqua & nova.

De Miſſali Romano.

Eccleſiæ particulares habent ſua Miſſalia particularia.

Miſſalibus adjungi debent *Ritualia*, in quibus ritus in adminiſtratione ſacramentorum aliisque functionibus eccleſiaſticis e. g. in ſepulturis adhibendi continentur; *Gradualia*, in quibus cantus in ſolennioribus Miſſis conſuetus; & *Ceremonialia*, in quibus Ceremoniæ ſolenniores in officiis ſolemnioribus adhibendæ deſcribuntur. Inter hæc iterum eminent Romana, in quibus non ii duntaxat ritus & ceremoniæ, quæ Pontifici ſolemniter celebranti, ſed etiam cæteris Prælatis majoribus potiſſimum Epiſcopis in ſuis functionibus ſolennioribus e. g. in conſecratione Epiſcoporum, benedictione Abbatum & Abbatiſſarum, in ordinatione Clericorum ſunt propriæ, continentur. Præter Pontificale Romanum datur nihilominus Ceremoniale Epiſcoporum ſæpiſſime editum, Clementis VIII. primum, & poſt Innocentii X. authoritate recognitum. Item dantur *Sacerdotalia* pro uſu Sacerdotum vel e ritualibus deprompta ad inſtar breviſſimi compendii, vel opera privata confecta; & *Paſtoralia*, quæ vel ſunt ipſa ritualia, vel ſaltem ex iis deſumpta; vel ſunt inſtructiones quædam Epiſcopales in uſum ſuorum Clericorum, vel in ordine ad rite obeunda ſua officia, vel informandos mores ab ipſis Epiſcopis, eorumque authoritate editæ. His addantur *Benedictionalia* aut *Manualia* Exorciſmorum, variarum rerum benedictiones & exorciſmos complectentia (p), quæ tamen non raro in ipſis ritualibus inveniuntur. Huc etiam pertinent *Proceſſionalia* & *Exequialia*, in quibus ritus in proceſſionibus publicis, vel ſepulturis adhibendi deſcribuntur (q). Vel

De Ritualibus.

Gradualibus.

Ceremonialibus.

Romano.

Epiſcoporum.

De Sacerdotalibus.

Paſtoralibus.

De Proceſſionalibus.

(n) Sic ferme ſingulæ Diœceſes habent ſua Miſſalia.

(o His inſerta ſunt feſta Ordinum.

(p) Multa hujusmodi circumferuntur, quæ ab Epiſcopis non ſunt approbata.

(q) Talia habent ſingulæ Diœceſes.

Pœnitentialibus. Vel maxime huc referenda sunt varia *Pœnitentialia* Gregorii Magni, Theodori Cantuarienſis, Rabani Mauri, Iſaaci Lingonenſis, Burchardi Wormatienſis, Ivonis Carnotenſis aliaque; præcipue vero Romana, de quorum Editoribus & Editionibus in compendio ſcribit Pfaffius (r).

De Pſalteriis, Breviariis, & Lytaniis. Demum huc præcipue etiam ſpectant Pſalteria, Breviaria & Lytaniæ. De his ſingularia quædam addere libuit. Quantum ad Pſalmodiam, de illius origine, uſu, ritibus &c. fuſe agit Card. de Bona (s), Joſephus Bingham (t) & Thomaſſinus (u). *De origine Pſalmodiæ. Uſu illius.* Binghamius illam ex prima & apoſtolica ætate derivat, unaque oſtendit, illam ſemper fuiſſe habitam partem divini cultus, & uſum habuiſſe in proceſſionibus, in conventibus, in exequiis, in deductione Monachorum ad ſua habitacula (x). Thomaſſinus omnes temporum periodos decurrit, illiusque uſum ſive quoad horas, ut vocant, Canonicas, ſive quoad ritus de ſæculo ferme ad Sæculum fuſiſſime deducit (y).

Quid ſit Breviarium? Quantum ad Breviarium, hujus nomine juxta hodiernos mores venit liber, in quo continetur officium eccleſiaſticum quotidie in honorem ſupremi Numinis juxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum a Clericis perſolvendum. *Quæ origo hujus nominis.* In originem hujus vocabuli ſi inquiramus, illa teſte Thomaſſino ab illo tempore, quo PP. Dominicani, & potiſſimum Franciſcani apoſtolicis laboribus deſungebantur, & veluti per omnes orbis partes dividebantur, derivanda eſt. Cum enim incommodum ipſis fuiſſet integros cantus eccleſiaſtici & divinorum officiorum libros ſecum portare, aut integrum officium eccleſiaſticum ſatis prolixum ſecundum normam ab eccleſia præſcriptam perſolvere, libros quosdam compendioſiores, in quibus decurtatum erat officium divinum, ſecum in exteras provincias deportarunt, & ex iis ſuum officium perſolverunt. Breviarium iſtud Franciſcanos a Magiſtro Capellæ Pontificiæ accepiſſe refert Radulphus Eccleſiæ Tungrenſis Decanus: cum enim Canonici Eccleſiæ Lateranenſis in plurima negotia & cauſas maximi momenti diſtenti eſſent, propter graviſſimam earum molem, qua & Pontifex, & Cardinales quotidie obruuntur, officium divinum in breviorem formam contrahere neceſſum habuere. Verba Radulphi ſunt ſequentia: *Clerici Capella-*

(r) Loc. cit. (s) Tract. de Pſalmodia.
(t) De Orig. Eccleſ. Tom. IV.
(u) De vet. & nov. Eccleſ. diſcip. Part. I. lib. 2.
(x) Orig. Eccleſ. vol. 2. pag. 39. volum. 6. pag. 1. volum. X. pag. 37. & alibi.
(y) De Diſcip. vet. & nova. Part. I. lib. II. a cap. 71. usque ad cap. 89.

Capellares sive de mandato Papæ, sive ex se officium Romanum sæpe breviabant, & sæpe alterabant, prout Domino Papæ & Cardinalibus congruebat observandum. Et istud officium breviatum secuti sunt Fratres Minores. Inde est, quod Breviaria eorum libros officii intitulant secundum consuetudinem Romanæ Curiæ. Breviarium istud exeunte Saec. XIII. approbavit Nicolaus III., & in urbis ecclesias invexit, donec successive in reliquam transierit ecclesiam (z). Ab illo tempore prodiere innumera Breviaria, inter quæ præcipuum est Romanum, quod non modo usum habet apud Clericos sæculares; sed etiam apud multos Regulares, saltem secundum ordinem substantialem. Quidam religiosi Ordines habent peculiaria Breviaria quoad ordinem variantia, uti Benedictini, Cistercienses &c. Quin imo cætera omnia Breviaria, si Romanum excipiamus, pro locorum & ordinum ratione variant. ***Breviaria sunt innumera.***

Quantum ad *litanias*, nomen istud originaliter est Græcum λιτανείας, & latine significat supplicationes & rogationes; & ideo ex suo nativo significatu denotat preces quascunque seu publicas, seu privatas, quo in sensu, nempe pro precibus privatis, etiam aliquoties ab antiquis Scriptoribus fuit usurpatum, uti ab Eusebio, prout legere est apud Josephum Bingham (a). Frequentius tamen apud priscos Scriptores litaniæ significant preces publicas qualescunque nulli certæ precandi formulæ alligatas. In hoc certe sensu intelligenda est l. 30. Cod. Theodos. de Hæret., in qua Arcadius Arianis interdixit, ne seu de die, seu de nocte ad litanias, id est ad preces communes, convenirent: eo quod tales conventus turbis & cædibus in civitate occasionem semel atque iterum dedissent (b). Sane hoc in loco preces communes qualescunque, non vero certas precandi formulas fuisse interdictas vix aut ne vix quidem dubitari potest. Successu temporis litaniæ accipiebantur pro precibus publicis peculiaribus, quæ a christianis instituebantur ad exorandam divinam clementiam, & deprecandam imminentem, vel præsentem calamitatem publicam: & demum illæ potissimum preces, quæ in diebus rogationum hinc inde institutis, vel in processionibus publicis in usum Ecclesiæ introductis persolvebantur, litaniæ vocabantur: Inde adhuc ***Quid sint litaniæ.*** ***Apud veteres significant preces publicas.*** ***Hodie significant preces publicas non qualescunque, sed singulares, & quales?***

(z) Vid. Thomassinus Part. I. lib. II. cap. 84.

(a) In Orig. Eccles. Volum. V. lib. XIII. cap. I. §. X. ubi citat. Euseb. in vita Constantini lib. II. cap. XIV. dum preces a Constantino in suo tabernaculo ad Deum fusas, antequam prælium iniret, vocat *litanias*.

(b) Cit. Bingham. loc. cit.

adhuc hodie in more positum est, ut in processionibus publicis, maxime in diebus rogationum, quales sunt dies festivus S. Marci, & tres dies ante festum Ascensionis Domini, litaniæ hodiernæ, de quibus mox plura dicemus, canantur: quin & ipsas Processiones olim nomine litaniarum fuisse appellatas testantur Scriptores. Rem hanc non nihil ex antiquitatibus illustremus.

Quis author [lita]narum?

Dubitant, quisnam primus Author litaniarum, in quantum sumuntur pro precibus peculiaribus ad avertendas calamitates sive in conventibus publicis, sive in processionibus peragi consuetis? Plures earum authorem faciunt Mamercum Episcopum Viennensem in Gallia, qui circa annum 450, in Ecclesiam suam eas invexisse scribitur. At vero opinionem hanc refellit Binghamius existimans, quod litaniæ jam antea in Ecclesia Orientali usum habuerint: idque ostendit testimonio S. Basilii, qui in epist. 63. ad Eccles. Cæsareensem suis fidelibus nocturnas preces, psalmodiam, & vigilias admittere nolentibus, eo quod tempore Gregorii Thavmaturgi non fuerint in usu Ecclesiæ, opponit, quod neque litaniæ eo tempore usu fuerint receptæ, & tamen jam ab illis sint admissæ: quod utique signo manifesto est, jam tempore Basilii litanias obtinuisse in Oriente. Utrum Mamercus primus earum Author in occidente fuerit, dubio non caret: cum Sidonius Apollinaris, qui tempore Mamerci vixit, aliud non testetur, quam quod Mamercus *dierum rogationum*, id est dierum festorum ante Ascensionem Domini, author fuerit, & his dein litanias applicuerit, quæ idcirco jam antea in Ecclesia obtinuisse videntur: etsi antea, ut loquitur Sidonius, illæ preces quodammodo fuerint *vagæ, tepentes, infrequentes, oscitabundæ, quæ sæpe interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maxime aut imbres aut serenitatem deprecaturæ. In his autem, quas suprafatus summus Sacerdos nobis & protulit pariter, & contulit, jejunatur, oratur, psallitur, fletur* (c). Itaque eatenus Mamercus est author litaniarum, quatenus ille instituit, ut majori & singulari solennitate celebrarentur. Inde factum est, ut mos iste celebrandi dies rogationum cum litaniis in alias quoque ecclesias diffluxerit, cujus testes sunt Cæsarius Arelatensis, Eucherius Lugdunensis Junior, Gregorius Turonensis, aliique (d).

Originem habuere in Ecclesia Orientali.

Quis author earum in Occidente.

Duplicis generis litaniæ: statæ, & imperatæ.

Quapropter duplicis generis litaniæ, sive antiquiora, sive noviora tempora consideremus, distinguendæ sunt; *statæ*, & *imperatæ*: priores sunt, quæ statis temporibus singulis annis recurrunt; posteriores, quæ pro re nata ob ingruentem publicam calamitatem e.g. invasionem

(c) Lib. V. Epist. XIV. (d) Bingham. loc. cit. §. X.

sionem hostilem, bellum, pestem, terræ motus indicuntur. Utrius- *Quænam*
que exempla occurrunt in historiis antiquis, & nostris temporibus. *fuerint, & hodie sint statæ?*
Hujusmodi litaniæ erant rogationes, quæ triduo ante Ascensionem Dominicam fiebant, & adhuc fiunt, quarum author habetur supra laudatus Mamercus Viennensis; supplicationes, quæ aguntur in festo S. Marci, quas instituisse fertur S. Gregorius (e); Item litaniæ triduanæ in Idibus Decembris in Concilio Toletano V. Can. 1. decretæ, & in Calendis Novembris apud Hispanos usitatæ, & in Concil. Gerundensi anno 517. Can. III. statutæ (f); litania septena, quina, & terna in vigilia Paschæ; & triplex in vigilia Pentecostes (g). *Imperatæ* erant il- *Quænam*
læ, de quibus supra ex Basilio egimus; & illa litania *septiformis* dicta *Imperatæ?*
S. Gregorii, quam sanctissimus hic Pontifex ob grassantem pestilentiam *Quæ litania*
instituit, & dicitur *septiformis:* quia fideles per septem classes ad cele- *septiformis?*
brandam hanc festivitatem exire jusserat; primum quidem Clericos; deinde laicos; dein Monachos; postea Virgines; post has fœminas conjugatas; dein viduas; postremo pauperes & infantes (h). Adinstar hujus septiformis litaniæ adhuc hodie in urbe Turonica in festo S. Marci institui processionem, testis est Edmundus Martene (i), utpote in quo ad Basilicam S. Martini per diversos aditus confluunt septem Ecclesiarum collegia, ut simul omnes suis in locis propriis constituti litanias decantent. Hujusmodi litanias imperatas frequentissime apud nos Catholi- *Imperatæ*
cos institui e. g. tempore belli, pestis, ad obtinendam serenitatem, im- *sæpe instituuntur.*
brem &c. aliunde scimus. Etiam apud Protestantes in usu sunt litaniæ *Etiam apud*
tam *statæ*, quam *imperatæ*, quas vocant allgemeine Fast- Buß- und *Protestantes*
Bett- Täge, prout testatur Boehmerus (k). Talis litania fortassis est *dantur litaniæ statæ,*

(e) Vid. Edmund. Martene de antiq. Eccles. discip. cap. XXVII. ubi monet, valde probabile esse, hunc morem jam ante Gregorium fuisse introductum. Monet etiam Bingham, a Gallis vix admittendam fore distinctionem inter litanias *majores* & *minores*, quam aliqui authores faciunt, existimantes, litanias Romanas distinqui a litaniis Mamerci, quod illæ *majores*; hæ *minores* dici debeant.

(f) Vid. Martene pag. 587. & pag. 555. (g) Idem pag. 413. & pag. 541.

(h) Gregorius lib. XI. epist. II. Vid. Martene loc. cit. pag. 512. & Bingham. loc. cit. §. XI. (i) Loc. cit.

(k) Differt. de jure Liturg. Eccles. §. 83. *Statæ sunt, quæ certis anni temporibus recurrunt, quales in nostris Ecclesiis etiam sunt usitatæ vel in quatuor temporibus vel paulo ante illa tria festa summa.* Ubi jus indicendi litanias Principibus vindicat.

& imperatæ. das Friedens-Fest, nempe dies illa solennis, quam in memoriam initæ Pacis Westphalicæ celebrant. Tales litanias seu solennes supplicationes sæpius in processionibus publicis usum habuisse, jamque antiquissimis temporibus in usu ecclesiarum fuisse, ne quidem Protestantes negare audent. Sane testatur Bingham, illas jam ævo S. Chrysostomi obtinuisse, & moris fuisse, ut crux tanquam Professionis illorum tessera præferretur, Hujus rei ulterius testimonium habemus in Novellis Justinianeis, v. g. in Novella CXXIII. Cap. XXXII., in qua ordinat Imperator, quomodo Processiones institui debeant, & sic habet: *Omnibus laicis interdicimus litanias facere sine sanctis Episcopis, & qui sub eis sunt Reverendissimis Clericis - - sed & ipsas honorandas cruces, cum quibus & in litaniis ingrediuntur, non nisi in venerabilibus locis reponi.* De diversissimis Processionibus in Ecclesia usitatis e. g. in die Dominica, Sabbatho, Natali Domini, in Quadragesima, Dominica Palmarum, Paschate, Parasceve, Hebdomada majori, per Hebdomadam Paschæ, in diebus Rogationum scribit Martene (l).

Litaniæ seu solennes supplicationes publicæ sunt antiquissimæ.

Processiones in Ecclesia sunt diversæ.

Nostro & jam a longiori tempore litaniæ sunt supplicationes quædam in certam formam redactæ, quæ incipiunt a *Kyrie eleison*, & continent invocationes Dei, B. V. Mariæ & Sanctorum. Quandonam hæ lytaniæ inceperint, ignoratur. Pfaffius earum originem refert ad tempora Caroli M., illiusque successorum; non quod antea non fuerint in usu Ecclesiarum, sed quod antiquiores hactenus non fuerint repertæ (m). Videtur hic orandi modus successive fuisse introductus, & auctus. Initium lytaniarum, id est, formulam Kyrie eleison, in Psalmis & Evangeliis esse fundatum, aliunde certum est: ut adeo necesse non sit illius originem a Gentilibus derivare, prout Scriptores quidam fecere (n): Esto enim illius usus apud Gentiles viguerit, exinde tamen non sequitur, quod Ecclesia ritum hunc a Gentilibus mutuaverit, dum eundem in sacris literis expressum invenit (o). Aliter tamen illud orarunt Græci; & aliter Latini: Græci plerumque dicebant: Κυριε ελεησον, *Domine miserere nostri* prætermissa altera parte: Χριστε ελεησον, *Christe miserere nostri:* Latini autem utramque adhibebant, repetebantque alternatim,

Litaniæ sunt supplicationes in certam formam redactæ.

Quandonam inceperint?

(l) De antiq. Eccles. discip. passim.

(m) Academische Reden über das Kirchen-Recht cap. 15. §. 4.

(n) Nominatim Bosius & Moshemius ad Gudworthum, & ipse Card. Bona de div. Psalm. cap. 14.

(o) Hanc quippe supplicationem commendat Epictetus Stoicus apud Arrianum lib. 2. cap. 7. de Epictet.

alternatim, uti nos hodie; primum quidem Minifter Ecclefiæ; deinde populus univerfus: cum econtra apud Græcos fupplicatio communi omnium voce fimul fieret (p). In Ecclefia Græca additum fuit notiffimum *Trifagium*, quod poftea etiam in Ecclefia latina receptum, & fupplicationibus publicis, quæ pro avertendis calamitatibus imminentibus fiebant, infertum fuit, donec fucceffive hæ preces in dies magis per novas additiones auctæ eam formam receperint, quam hodie habent Litaniæ communiter fic dictæ. *De Trifagio.*

Succeffive numerus litaniarum mirum in modum excrevit, & diverfi generis litaniæ adinventæ: unde dantur diverfi generis litaniæ, *Gallicanæ*, *Alemannicæ*, *Anglicanæ &c.* Antiquiores litanias edidere Mabillon, Baluzius, Martene (q). Inter litanias cæteras eminent litaniæ Sanctorum omnium ita dictæ, quarum origo pariter ignoratur. Etiam hæ fucceffive fuere auctæ, & in dies per infertionem novorum Sanctorum augentur. Interim Romani Pontifices non facile novos Sanctos inferi concedunt. Sane non nifi ad potentiffimas preces Imperatoris, aliorumque nomen fancti Jofephi litaniis infertum fuiffe, refert ipfe Pontifex Benedictus XIV. literatorum Pontificum ferme Princeps (r). Noftris temporibus non nunquam privati homines poteftatem faciendi litanias diverfi generis fibi arrogant, easque libellis precatoriis inprimi curant, id quod merito ab Epifcopis interdicendum. *Numerus litaniarum auctus.* *Quænam principaliores?* *Non eft permiffum pro libitu novos Sanctos inferere.*

De Editionibus, & Scriptoribus litaniarum, quorum fupra nonnifi obiter mentionem ingeffimus, pauca fuperaddamus. Itaque litanias Anglicanas veteres & Carolinas edidit Mabillon (s), unaque alibi agit de litaniis Romanis (t). Veteres litanias Ecclefiæ Bellovacenfis exhibet Baluzius (u), & in appendice Actorum veterum ad Capitularia Regum Franciæ alias litanias veteres ex libro precum Caroli Calvi Regis Francorum defcribit. Litaniæ veteres Alemannicæ Francofurti anno 1606. prodiere. Authores veteres, qui de litaniis egere, refert *De Editionibus & Scriptoribus litaniarum.*

M 3 Card.

(p) Teftis eft Gregorius M. lib. VII. Epift. 64. dicens: *Kyrie eleifon nos neque diximus, neque dicimus, ficut a Græcis dicitur: in Græcis fimul omnes dicunt: apud nos autem a Clericis dicitur, & a populo refpondetur, & totidem etiam Chrifte eleifon dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur.*

(q) Vid. Pfaff. loc. cit.

(r) In Opere de Beatif. & Canoniz. Sanctorum, prout refert Pfaffius loc. antea citato.

(s) Analect. Tom. II. fub finem.

(t) In Comment. ad Ordin. Roman. n. 5. Tom. 2. Mufæi Ital.

(u) Mifcell. Tom. 2.

Card. de Bona, & Carolus Du Fresne. Recentiores sunt præcipue sequentes Menardus, Mabillonius, Martenius, Card. de Bona, Morinus, quibus addatur Goldastus, Fabricius, & Pfaffius. Hactenus de liturgiis & libris ecclesiasticis Catholicorum.

§. XV.

De liturgiis & libris ecclesiasticis Protestantiorum, quos vocant ordinationes ecclesiasticas.

Agamus jam de liturgiis & libris ecclesiasticis Protestanticorum, quos illi communi nomine vocare solent Kirchen-Agenda, seu *Ordinationes ecclesiasticas*. Esto enim Lutherus, illiusque Commilitones nihil magis in votis habuerint, quam ut ea omnia, quæ Papatum saperent, ex integro eliminarent, fieri tamen non potuit, quin plura ad cultum divinum pertinentia retinere debuerint. Sane retinuere non pauca ex Missa Catholica, prout formula Missæ Wittenbergensis ab ipso Luthero confecta commonstrat. Retinuere litanias, eliminata tamen invocatione Sanctorum, & quasdam etiam preces apud Catholicos in calamitatibus publicis recitari consuetas e.g. oratiunculam, quæ incipit: *DEUS qui contritorum non despicis gemitum &c.*, quam in quibusdam locis ante concionem recitare solent, & integrum refert Pfaffius (x).

Multa retinuerunt ex liturgiis Catholicorum.

Et quoniam Protestantes habent cultum publicum, habent suos conventus, in quibus divina celebrant, habent suos Ministros ecclesiasticos, suos cantus, suam cœnam, suam qualemcunque exomologesin, publice contrahunt sua Matrimonia, solenniter baptizant, celebrant diem dominicam, festa Domini, aliosque dies festivos, in quibusdam locis suas etiam habent Missas, suas item litanias statas, & imperatas, Buß- und Bett-Täge: suas quoque liturgias, & ordinationes ecclesiasticas habeant, necesse est, ut decenter, ordinate & conformiter regulis ecclesiasticis omnia fiant. Et quis ille erit, qui omnes Protestantium liturgias, libros ecclesiasticos, Ordinationes & Agenda in unum congerat cumulum? maxime si de illorum etiam symbolis, confessionibus, catechismis, statutis synodalibus, & homiliariis agere velit? *Hoc enim mare si ingredi vellemus*, ait Pfaffius (y), *jam nova dissertatio foret incipienda, qui tamen jam portum, ubi vela contrahere, ubi per hyemare nobis detur, anhelamus.*

Habent libros ecclesiasticos innumeros, & quales?

His ergo prætermissis unice illorum liturgias præcipuas, libros, & ordinationes ecclesiasticas, quas ex variis authoribus nominatim Pfaffio

(x) Academische Reden über das Kirchen-Recht cap. 15. §. 4.

(y) De Liturg. cap. 3.

Pfaffio (z), Jacobo Mofer (a), & Joan. Ern. Floerckio (b) non fine multa induftria collegimus, recenfebimus. Inter liturgias Proteftantium, ait Pfaffius, agmen ducit *Formula Miffæ Wittebergenfis* ab ipfo Luthero anno 1523. confecta. Sequitur liturgia, quam adjuvante Martino Bucero Hermannus Colonienfis compofuit, cui Canonici Colonienfes *Antididagma* oppofuerunt. Item liturgia Thomæ Münzeri, Rituale Ecclefiafticum Daniæ & Norwegiæ, liturgia Suecica Joan. III., liturgia Finnica, Illyrica & Serviana, Sclavonica & Anglicana. Sunt autem liturgiæ Anglicanæ potiffimum tres: prima Regis Eduardi VI. anno 1549. edita; altera Guil. Laudi Archiopifcopi Cantuarienfis Ecclefiæ Scoticæ anno 1638. obtrufa, Edimburgi edita; tertia communis illa, & hodie ufitata in hanc formam aufpiciis Martini Buceri & Petri Martyris redacta (c). ***Præcipuæ illorum liturgiæ recenfentur.***

Ordinationes ecclefiafticæ fpeciales feu Kirchen-Agenda ferme tot funt, quot funt Ecclefiæ nobiliores: cum quilibet Princeps pro fuo libitu eas facere poffit. Principaliores, & notiores noftris potiffimum novioribus temporibus, atque in lucem publicam editæ funt fequentes: præprimis ordinationes Saxonicæ, quarum variæ fucceffive evulgatæ funt, & poftea conjunctim editæ anno 1710. fub titulo: *Corpus Jur, Ecclef.* Chur fürftl. Sächf. Kirchen-Schul-wie auch andere darzu gehörige Ordnungen, cui addatur *Manuale Ecclefiafticum* oder Kirchen-Handbuch, ubi totius liturgiæ ecclefiafticæ ratio exhibetur. Item Ducum Saxoniæ Joan. Ernefti, Adolphi Wilhelmi, Joan. Georgii & Bernardi verbefferte Kirchen-Ordnung auf Ihre Fürftl. Durchl. gefamte Fürftenthüme und Lande gerichtet anno 1664. Item Fürftl. Sachfen-Gothaifche revidirte und wieder neu aufgelegte Kirchen-Agenda de anno 1682. Item Coburgif. Kirchen-Ordnung 1733. Cum Saxonicis fere convenit Ordinatio Magdeburgenfis Churfürftl. Brandenburgif. im Herzogthum Magdeburg publicirte Kirchen-Ordnung de anno 1685. Accedit Fürftl. S. Erneftinifche Verordnungen das Kirchen-und Schul-Wefen betreffend, Gotha 1720. ***Ordinationes illorum ecclefiafticæ funt innumeræ: & quæ fint principaliores?***

Qui plura fcire defiderat, legat Scriptores Proteftanticos, qui de Ordinationibus ecclefiafticis tam in genere quam in fpecie fcripferunt, inter quos eminent fequentes: Erneftus Salomon Cypriani in Bericht von Kirchen-Ordnungen, feu de Ordinationibus ecclefiafticis in genere; ***Scriptores illarum præcipui.***

Joan.

(z) Loc. cit. (a) Corpus Jur. Ecclef. Proteftant.

(b) Prænot. Jurisprud. Ecclef. §. 49. & Obfervat. 29. & 30.

(c) Pfaffius de liturg. cap. 3.

Joan. Andreas Schmid Differt. de ordin. eccleſ. cum earum apparatu Helmſt. 1728.; Joan. Paulus Hebenſtreitus Diſſert. de leg. Eccleſ. Jenæ 1698.; Hermann. Caſpar Koenigius *Bibliotheca agendorum* Zelle, 1726.; Jacobus Moſer *Corpus* Jur. Eccleſ. Proteſtantium. Hiſce addatur Boehmerus Jur. Eccleſ. lib. I. Tit. II. §. 92. & Pfaffius in Diſſert. de liturgiis. Hæc pro aliquali ſaltem notitia lectoris in hac materia, quam omnino ſcire juvat, ſufficiant.

§. XVI.

Quid ſit jus liturgicum?

Jam ad id, cujus gratia ferme omnia, quæ hucusque diximus, dicta ſunt, nempe ad *Jus liturgicum* veniamus, inquiramusque, ad quem pertineat *Jus liturgicum:* cujus nomine venit *Jus determinandi modos, ſecundum quos cultus publicus eſt peragendus.*

Apud Catholicos competit Eccleſiæ. *Apud Proteſtantes Principi.* *Utrum ad Jura Majeſtatica, vel collegialia pertineat, quod illos controvertitur.*

Catholici omnes Jus iſtud Eccleſiæ, illiusque Præſulibus vindicant: Proteſtantes Principibus territorialibus veluti appendicem *Juris in ſacra* adſcribunt. Proteſtantes tamen iterum inter ſe ipſos digladiantur: dum plures ex Jure-Conſultis, maxime Thomaſianis, quibus ſine injuria Boehmerum annumerare licet, etſi in quibusdam ab illorum principiis recedat, illud inter jura *Majeſtatica* Principum, & quidem cum excluſione plebis; alii inter jura *collegialia* per ſe cœtui propria, hic & nunc tamen una cum *jure in ſacra* in Principes translata reponunt (d).

Intereſt, an juribus Majeſtaticis vel collegialibus annumeretur.

Ne quis autem exiſtimet, poſt translationem *Juris in ſacra* in Principes nihil intereſſe, utrum *Jus liturgicum* ad jura *Majeſtatica* vel *Collegialia* referatur, celeberrimus Moſhemius hujus rei notabiliſſimum oſtendit effectum ex Meditationibus de orig. & indole, effectibus atque hiſtoria Juris reformandi Zechii Francof. 1728. editis, in quibus pag. 58. ſic legitur: *At, inquis, cui bono hæc tam ſolicite conquiruntur? Reſpondeo: ſi nulla alia eſſet ratio, hæc unica ſufficeret, quod Princeps abſolutus in juribus Majeſtatis ſtricte ſic dictis exercendis omnia jure agat ex ſuo arbitrio, ne quidquam ſolicitus de ſubditorum opinionibus, modo divinis legibus ea haud contraria judicet: quod ſi vero jura exerceat non Majeſtatica, tantum abeſt, ut jure agat, ſi ſuum unice ſequatur arbitrium, ut ſtatim imperium in ſacram tyrannidem degeneret, niſi ratio habeatur ſubditorum perſuaſionum &c.* Jam, ait Moſhemius, nemo hactenus fuit, qui horum argumentorum vim infregit, aut infringere potuit. Poſtea dilaudat ſuum, ſuorumque ſequacium *Syſtema collegiale*, gloriaturque, quod jam paſſim Jure-

Syſtema Collegiale laudatur.

(d) Kirchen-Recht der Proteſtanten. Cap. II. pag. 374.

Jure-Consulti Protestantici, etsi alias jurium majestaticorum dilatandorum studiosissimi illud assumere non reformident (e).

Utrum Principi competat jus liturgicum irrestrictum? In eo iterum inter se differunt Protestantes, quod eorum plures Principi *Jus liturgicum* irrestrictum vindicent cum exclusione plebis, ita, ut Princeps sine consensu plebis, Magistratuum inferiorum, & Ministrorum ecclesiasticorum, qui apud ipsos in similibus causis vices plebis sustinere creduntur, liturgias pro suo libitu determinare possit (f). *Vel an requiratur consensus plebis?* Alii econtra non nihil mitius sentientes hujusmodi consensum requirunt, & *jus liturgicum* ad jura *collegialia* referentes sapienter inter *Jus liturgicum collegiale*, & *Jus circa liturgias Majestaticum* cum Moshemio distinguunt: *Aliud est jus liturgicum collegiale & aliud circa liturgias Majestaticum.* Illud ex mente Moshemii est ipsum *jus liturgicum* supra explicatum determinandi modos, exercendi cultum publicum: istud est jus prohibendi in rebus adiaphoris ad cultum publicum pertinentibus ea omnia, quae Reipublicae politicae praejudiciosa esse possunt: Illud prius est proprium coetui; istud posterius Principibus (g). *Utrum Princeps sine consensu plebis possit mutare liturgias?* Postea ulterius quaerit Moshemius, utrum, casu quo Princeps similes liturgias, vel ritus liturgicos prohibere, & in eorum locum vult substituere alios, id facere possit sine consensu plebis, vel econtra illum requirere debeat? Moshemius illum omnino requirit (h): Boehmerus omnem prorsus consensum excludit, & in hoc sustinet principia Thomasianis longe deteriora (i): Siquidem ipse Thomasius in participium hujus juris plebem admittit, dicens: *Sed exercitium hujus curae ac potestatis soli Magistratui competere inficias imus non ad gustum quorumdam Principum, qui membra Ecclesiae reliqua ab hoc plane exclusa volunt, reformationem pariter cultus divini & ceremoniarum sibi solis arrogantes, vigore nimirum jurium episcopalium, & territorialium, a quibus subditi & status provinciales merito arcentur*

(e) Das von uns angenommene System findet in unseren Zeiten immer mehreren Beyfall unter den Herren Rechts-Gelehrten, wie dann noch vor kurzem der berühmte Herr Geheim-Rath Flörke, der sonst die Kirchen-Rechte, welche unsere Fürsten besitzen, sämmtlich aus der Landes-Hochheit hergeleitet hat, dieses Thomasische System verlassen, und sich zu denen gewendet, welche das Jus Collegiale annehmen pag. 376.

(f) Es ist die Frage entstanden, ob ein Fürst bey der Uebung des Juris circa liturgiam die Geistlichkeit zu fragen habe? Herr Böhmer untersuchet diese Frage, und bestreittet den Carpzov, so es bejahet. loc. cit.

(g) Loc. cit. (h) Loc. cit. pag. 376. & seq.

(i) Dissert. de jur. liturg. §. 21.

tur (k). Quibus autem argumentis uterque suum Systema fulfulciat, infra videbimus.

De historia & origine Juris liturgici quam aliter Catholici, & aliter Protestantes discurrant. Moshemius illam ad tempora Christi & Apostolorum refert, & jus liturgicum adscribit Apostolis. Transiit ad cœtus. Innumeræ desuper ortæ controversiæ, illudque Episcopi & dein Pontifices sibi vindicarunt. Reformatores in Principes illud transtulerunt, a quibus cum ex-

Interea in historiam & originem *Juris liturgici* inquiramus. Iterum historiam hanc aliter dilucidant Protestantes; & aliter Catholici. Ex Protestantibus duos audiamus, Moshemium (l), & Boehmerum (m): Ille totam Historiam paucis absolvit: hic fusiori calamo illam prosequitur. Moshemius haud inficiatur, quod illius origo a Christo & Apostolis sit derivanda, & Apostoli *Jus liturgicum* exercuerint. In hanc rem provocat ad Apostolum Paulum, de quo ex Scripturis liquet, quod varias regulas in cultu publico & conventibus Christianorum observandas præscripserit (n). Postquam vero Apostoli certum quemdam ordinem instituerunt, jus liturgicum transiit ad cœtus fidelium: cum id jus sit in omni Societate æquali, ut ipse cœtus sibi præscribat ordinem & normam in suis conventibus & rebus agendis observandam, dummodo ipsa Religio, illiusque leges fundamentales alium ordinem non constituerint, a quo ex notis principiis recedere nefas foret. Hoc vero tempore Clerici cœtui proponenda circa cultum divinum proponebant, cum plebe consilia inibant, & quidquid plebi placuerat, in vim ordinationis ecclesiasticæ assurgebat. Ex quo autem factum est, ut cœtus Christiani in majores societates coalescerent, super rebus liturgicis innumeræ controversiæ, litesque oriebantur: dum & Episcopi, & earum Ecclesiæ suis ritibus tenacissime inhærentes aut suos aliis obtrudere volebant, aut aliarum Ecclesiarum liturgias recipere recusabant (o). Sæculo IV. Episcopi *jus liturgicum* arripuerunt: non tamen sine consensu plebis exercuerunt. Sæculo VIII. Romani Pontifices sibi solis illud vindicare attentarunt, donec Reformatores illud e manibus tam Pontificum, quam Episcoporum extorserint, illudque in Principes territoriales transtulerint, qui jam exercitium hujus juris collegialis in se susceperunt, & in hodiernam usque diem plerumque multa cum cautela & circumspectione exercent: licet hinc inde Principes in exercitio hujus juris collegialis excedere, & plebem ab omni voto etiam *negativo*. (p).

(k) Decis. 113. n. 8.

(l) Von dem geistlichen Rechte, cap. 2.

(m) Differt. de jur. liturg.

(n) Vid. epist. 1. Pauli ad Corinth. cap. XI. & alibi.

(o) Id probat controversia super celebratione Paschatis oborta inter Patres Asiaticos & Romanum Pontificem.

(p) excludere consueverint. Utrum autem, & quomodo Princeps cum, vel sine consensu jus *liturgicum collegiale* exercere possit, infra ex Moshemio contra Boehmerum disputante audiemus. *cessu exercetur.*

Multo fusior in explicanda origine & historia Juris liturgici est Boehmerus. Hic ergo primitus originem rituum, formularum, ceremoniarum, & liturgiarum; postea ipsius Juris liturgici inquirit. Quoad Originem ipsarum liturgiarum ostendit, cultum divinum primis temporibus fuisse simplicissimum, & ipsas regulas illius directrices fuisse & paucas, & admodum simplices; neque alias, quam simpliciter erant necessariae ad conservandum aliquem ordinem in cultu publico, qualis in omni Societate ad conservandam integritatem ipsius corporis (q); neque primos Christianos ullam liturgiam conceptis verbis constantem, adstrictamque certis formulis habuisse (r). *Jus liturgicum ex Boehmero. Cultus divinus olim fuit simplicissimus.*

Postea inquirit in causas, quibus factum est, ut ritus, ceremoniae, & formulae mirum in modum fuerint multiplicatae: & tales affert duas praecipue, quarum prima est, quod primis Christianis conducibile ad rem christianam promovendam visum fuerit imitari mores Judaeorum, & ritus tum ex Judaica, tum ex gentilium religione assumere: alteram depromit ex corrupto statu Ecclesiae: siquidem Christiani deposito interno cultu, & a virtute primaeva desciscentes, ambitione, & superbia inflati jam tunc ingentem vim sui cultus in externo ceremoniarum apparatu collocare consueverunt, & procul dubio ad *Decorum publicum*, quod in statu etiam politico vel maxime attenditur, & praecipua ferme causa est, quod talis tantusque ceremoniarum apparatus plerumque inanis, vanus & sumptuosus in aulis Principum introducatur, respexerunt (s). *Ceremoniae & ritus successive mirum in modum multiplicati, & unde?*

Quoniam vero in primis Ecclesiae saeculis universale quoddam caput defuit, quod uniformem liturgiam praescriberet, cum nondum Ecclesia *Pro diversitate Ecclesiarum diversae ceremoniae.*

(p) Hier merken wir nur so viel, daß derjenige, der einem andern die Verwaltung seiner Rechte überlässet, das Votum negativum behalten müsse, es seye denn, daß er sich dessen begebe, und daß in dem letzten Falle derjenige, so es behauptet, den Erweiß führen müsse. pag. 378.

(q) *Negari nequit, ordinem quemdam cum externa honestate conjunctum juxta monitum Pauli in sacris christianis observatum fuisse; verum non alium, quam quem collegia hujusmodi requirunt, ne propter incompositam multitudinem ordine posthabito, cultus sacer variis impedimentis involveretur.* In Differt. de Jur. liturg. §. 13.

(r) Loc. cit. §. 15. (s) Loc. cit. §. 17.

clesia in illam Reipublicæ & Hierarchiæ formam fuerit composita, necessario pro diversitate Ecclesiarum diversæ quoque ceremoniæ, ritusque fuere introducti. Fuere tamen quidam etiam ritus *universales* vel ab Apostolis commendati; vel ex moribus & institutis Synagogæ Judaicæ retenti, veluti *manuum impositio, ritus precandi versus orientem*. Accedit, quod, cum suus cujuscunque reipublicæ sit *mos, consuetudo*, ac *decorum*, fieri non potuerit, quin pro diversitate Ecclesiarum ritus quoque vel noviter introducti, vel aliunde recepti variarent. En! originem liturgiarum.

Ritus debent esse liberi in omni Ecclesia.

Jam Boehmerus ad *Jus liturgicum* transitum facit, atque ut sibi viam planiorem ad *jus liturgicum* dilucidandum sterneret, illud præprimis animadvertit, quod ritus & ceremoniæ in omni Republica & Societate sint & debeant esse liberi, & indifferentes: quin una gens alteri, una Societas alteri suum *Decorum publicum* obtrudere; aut vitio vertere possit, si se haud accommodet ad decorum, & mores a se receptos: & eo ipso diversitas rituum in Ecclesiis unitatem in fide & spiritu, quo colligatæ esse debent, tollere non debuisset. Ast aliter sane contigit: nam inde factum est, ut Ecclesiæ, quæ magis cultum elegantem, formularium, & externa pompa præfulgentem, quam in simplicitate fidei constantem habere malebant, varias leges ceremoniales acceperint, aut etiam moribus hactenus ex libertate christiana observatis vim legis perpetuæ attribuerint. Ex his vero innumeræ oriebantur lites & controversiæ, jamque non tantum de articulis fidei, qui suam decisionem ex Scriptura habent; sed etiam de adiaphoris & arbitrariis mirum in modum contendebatur. Hujus rei exemplum præbet ferventissima disputatio inter Episcopos Orientis & Occidentis de celebrando Paschate: utraque pars ad traditionem & observantiam provocabat: Victor Romanus Præsul Traditionem apostolicam; Orientales perpetuam observantiam, quam Apostolo Joanni ferebant acceptam, allegabant.

Ceremoniæ elegantiores a diversis Ecclesiis receptæ, inde leges ceremoniales ortæ.

Exinde innumeræ controversiæ circa adiaphora.

Exemplum in controversia de Paschate.

Jus liturgicum primordialiter ad consuetudines referendum.

Ex his jam infert Boehmerus, quod cum similes controversiæ de rebus liturgicis ex Scriptura decidi non potuerint, necessario ad aliud fundamentum confugiendum fuerit, ex quo decisio illarum hauriri posset, scilicet ad jus quoddam vel ex observantia perpetua, vel ex traditione deductum; atque adeo jus liturgicum ut plurimum ex consuetudine singularum ecclesiarum profluxisse; non vero certis legibus fuisse determinatum: Neque enim ulla ratione ostendi potest, quod Apostoli liturgias, ritus & ceremonias, quas vel ipsi per se, vel per Presbyteros a se in ecclesiis constitutos eum in finem ordinarunt, ut in cultu divino decens ordo observaretur, per modum legis obtruserint. Quidquid ergo ordinarunt

Apostoli ritus a se institutos vel ordinatos non in vim legis statuerunt.

runt Apoſtoli, non in vim legis, ſed meri conſilii ſtatuerunt, in quem ſenſum intelligendum eſt illud Pauli (t): *Cætera, cum venero, diſponam.* Videlicet quædam Apoſtoli retinuerunt *ex more Judaico* & *Decoro* e. g. impoſitionem manuum apud Judæos frequentiſſimam, oſculum pacis Orientalibus uſitatiſſimum; quædam alia libere libertate a Chriſto ſibi conceſſa utentes ordinarunt, relicta apud eccleſias libertate ea retinendi, vel pro rerum & temporum circumſtantiis alterandi, immutandi, abrogandi. Itaque jugum ſervitutis, quod nec Chriſtus nec Apoſtoli eccleſiis imponere voluerunt, ipſi homines ſibi impoſuerunt, dum de ritibus & formulis diſceptarunt, & mores antiquos inſtar legis acceptarunt. Primitus ergo in rebus liturgicis & diſciplinaribus mores & obſervantiæ vim legis habuerunt: ſucceſſu temporis vero, ubi Synodi particulares primum, dein etiam generales frequentius celebrari incepe-runt, ipſis Epiſcopis ad ceremonias propendentibus, varia ad liturgiam ſpectantia ſub colore Diſciplinæ eccleſiaſticæ determinata, & legibus Synodorum ſcriptis ſunt imperata. Inde factum eſt, ut jam *Jus liturgicum* non ex moribus & conſuetudinibus duntaxat, verum etiam ex ordinationibus Synodorum conſtaret. Hujusmodi ordinationes conciliares occurrunt jam in Concilio Eliberitano, in quo ſtatutum legitur, *ne picturæ in eccleſiis fierent* (u): Item varia alia circa celebrationem Pentecoſtes ſtatuta leguntur (x), ita quidem, ut nota hæreſeos aſpergatur illis, qui non eodem modo dies Pentecoſtes celebraverint. In Concilio Nicæno etiam non nulla huc pertinentia fuere ſtatuta: ſic in can. ult. prohibitum, ne die dominico, & diebus Pentecoſtes genua flecterentur; ſed ut omnes ſtantes ad DEUM orationes perſolverent.

Quædam retinuerunt ex more Judaico & Decoro.

Eccleſiæ ſua ſponte ritus in vim legis acceptarunt.

Synodi generales & particulares & in his Epiſcopi jus liturgicum ſibi attribuerunt.

Exemplis illuſtratur.

Hoc tamen tempore nondum in præſcribendis rebus liturgicis authoritas & conſenſus Pontificis deſiderabatur: id quod vel ſola controverſia de celebrando Paſchate tanta animorum contentione inter Patres Aſiaticos, & Romanum Pontificem agitata commonſtrat. Eſto enim Victor Romanus ſuam authoritatem interpoſuerit, neutiquam tamen Aſiatici eidem acquieverunt. Illud negari non poteſt, quod hinc inde liturgiæ Eccleſiarum principalium, inter quas Romana eminebat, ad alias Eccleſias diffluxerint (y). Verum nulla neceſſitate cogente id factum

Conſenſus Pontificis nondum tunc deſiderabatur.

(t) 1. Cor. 11. v. 34. (u) Cap. 36. (x) Cap. 43.

(y) Nam, ut ait Irenæus lib. 3. cap. 3. *ad hanc Eccleſiam (nempe Romanam) propter principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui*

ctum est: libere sane fuerunt receptæ; neutiquam recipi debuerunt (z).

Jus liturgicum transiit ad Pontifices tempore Innocentii I.

Tandem vero Jus liturgicum ad Pontificem transiit. Initia hujus rei refundit Boehmerus ad tempora Innocentii I., qui indigne ferens summam Ecclesiarum in rebus liturgicis diversitatem, statuit, ut posthac norma liturgica a Romana Ecclesia petatur (a). Et quoniam jam eo tempore authoritas Romani Pontificis in dies majora incrementa acceperat, plures Ecclesiæ minores & majores se se ritibus Ecclesiæ Romanæ conformare inceperunt.

Pontifices novas liturgias introduxerunt, præcipue Gregor. M.

Ipsi Pontifices dein liturgiis tum noviter introducendis, tum reformandis omnem impenderunt operam, inter quos eminet Gregorius M., cui haud pauci Authores adscribunt novam liturgiam, canonem Missaticum, reformationem liturgiæ Gelasianæ, litanias solenniores seu litaniam septiformem, stationes, antiphonas Gregorianas, reformationem cantus in meliorem formam.

Libri liturgici compositi. Gregorius VII. liturgiam Romanam in plures Ecclesias introducit.

Ab hoc tempore jam libri liturgici confecti, res liturgicæ singulari industria collectæ, & ritus ecclesiastici mirum in modum multiplicati (b). Eo demum rem deduxit Gregorius VII., ut Hispani & Galli liturgias suas speciales contemptim habuerint, & Romanam una cum Germanis receperint (c). Quid in Concilio Trident. actum fuerit, & Pius V. circa reformationem & correctionem Missalium statuerit, & ex post factum sit, aliunde scimus (d).

Systema Boehmerianum de origine Juris liturgici in compendio refertur.

Ut jam rem totam in compendio demus. Boehmerus originem Juris liturgici petit a moribus antiquis, antiquitus neutiquam vim legis habentibus; sed liberrime ex motivo *Decori* potissimum assumptis, & controversiis hinc inde in Ecclesia circa res disciplinares obortis, ex quibus factum est, ut jam mores antea liberi vim legis obtinuerint. Postea Synodi particulares jus liturgicum exercuerunt, variasque leges liturgicas statuerunt, & tandem Pontifices illud sibi vindicarunt, & ad tempora usque reformationis usurparunt.

Jam

---

qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio.

(z) Boehmer loc. cit. §. 34.

(a) Epist. I. ad Decentium Episc. Eugubinum, quam citat Boehmerus, & quæ omnino legi meretur.

(b) Vid. supra dicta de liturgia Greg. M.

(c) Etiam de his supra egimus.

(d) Nempe illius jussu prodiit Missale Romanum, Clementis VIII. & Urbani VIII. authoritate recognitum.

Jam ad tempora reformationis transit Boehmerus, & telam suæ Historiæ ad nostra usque tempora prosequitur: ubi immensam rerum confusionem quoad res liturgicas reformandas, abolendas & retinendas tempore Lutheri obortam fusius recenset: primitus quidem diversa Lutheri & Melanchtonis studia explanat: Illum excessivi fervoris; istum nimiæ timiditatis reum facit, sed nec æquissima gravamina, & præcipue querelas Caroli V. in Recessu Imper. August. de anno 1530. contra attentata Lutheri, illiusque Asseclarum, singulariter contra Theologos Lutheranos liberiori calamo describere veretur, utpote qui omissis christianæ prudentiæ regulis omnia in liturgicis turbare, susque deque vertere, ritus laudabiles abolere, & insolitos introducere non reformidabant. Queritur Carolus V., quod eorum aliqui integram liturgiam sacrificii Missæ expunxerint; alii varias liturgias aboleverint, cantilenas in honorem B. V. & Sanctorum compositas tanquam scandalosas damnaverint, ritus baptismi mutaverint, infantes laicis potius quam Clericis baptizandos obtulerint, morientibus Sacramenta denegaverint, sacras Christi, B. V. & Sanctorum imagines comminuerint, combusserint, & in eas tyrannorum instar debacchati fuerint. Juvat hæc ex Recessu Imperii Augustano de anno 1530., sermone Germanico, prout ea recenset Boehmerus, in medium proferre:

De jure liturgico a tempore reformationis.

Diversa Lutheranorum studia.

Querelæ Caroli V. contra Reformatores.

Excessus Lutheranorum.

Etliche haben das Amt der Heil. Meß gar abgethan, und geprediget, daß die Meß die höchste Gottslästerung sey. Et §. 15. Etliche haben die Messe nicht gar abgethan, aber darinn eine sondere Aenderung wider die lange Gebräuche, Ordnungen und Satzungen gemeiner Christlichen Kirchen von neuem ihres Gefallens aufgesetzet. Desgleichen die gewöhnliche Gesänge von der Mutter GOttes, so von den lieben heiligen Vätern zu der Ehre GOttes und Andacht der Menschen gemacht, und in der gemeinen Christlichen Kirche gemeiniglich und gleichförmig geordnet, gesetzt, und gehalten worden sind, als ärgerlich und unchristlich abgethan, und doch an derselben statt andere Gesänge ihres Gefallens gemacht. Dabey haben etliche die löbliche Christliche Ordnung und Gebeth, welche bey der Tauf gehalten seyn, abgethan, und andere gemacht. & §. 17. Etliche gebrauchen gar kein Gebeth, Ceremonien, lassen auch ihre Kinder nicht durch die Priester, sondern auch durch einen jeglichen Layen, Manns- oder Weibs-Person ausserhalb der Noth taufen. §. 18. Etliche haben die Kinder nicht firmen, noch den sterbenden Menschen das Sacrament

der

der Oelung reichen lassen §. 19. Etliche haben die Bildniß unsers Seeligmachers Christi, desgleichen seiner hochgelobten Mutter Maria und der lieben Heiligen, so eine lange Zeit her dem Christlichen Volck zu Erinnerung und Gedächtniß Christlich gehalten worden sind, zerschlagen, verbrennt, und unmenschlich gewütet. §. 24. Etliche haben bey den Stiftern, Pfarren, und andern Pfründten die löblichen Christlichen Ceremonien und Gebräuche abgeschaft, oder in Abnehmen kommen lassen, und andere unchristliche Ordnung ihres eigenen Willens, Gewalts, und Gefallens aufgesetzt. §. 36. Aus solchem allem nichts Gutes, sondern mehr folget, daß die anderen gemeiner Kirche hergebrachte Uebung verachtet, alle Ehrbarkeit in ihren Predigten geschändet, gelästert, die frommen einfältige Leute und Layen gegen einander verhetzet, auch sonsten allerhand Leichtfertigkeit davon entstanden, die verführige, und hievor verworfen, und verdammte Lehre überhand genommen, viel verführische Irrsal unter dem gemeinen Volck erwachsen, alle wahrhaftige Andacht erloschen, und zuletzt dahin gereicht, daß alle Christliche Ehre, Zucht, Tugend, Gebot, Gottesforcht, Ehrbarkeit und Christlicher Lebens-Wandel und Leben, auch die wahre Liebe des Nechsten in Abfall kommen.

Pessimi fructus ex abolitione rituum. En tyrannidem Protestanticorum in res sacras! En fructus exinde pullulantes! qui alii non sunt, nisi libertas vitæ, laxitas morum, excidium virtutum, exterminatio pietatis, impietas, diffidia, odia, tumultus, & si quid deterius dici vel cogitari potest. Tandem subjungit Imperator, ritus omnes & liturgias antiquas esse retinendas.

Prohibitio Caroli V. frustranea. Verum nihil profecit hæc Caroli V. prohibitio: in dies malum augebatur, Theologi potissimum in rebus liturgicis reformandis omne suum studium collocaverunt, resque Imperii publicas mirum in modum turbarunt, ut demum de pace ineunda, & dissidiis componendis cogitandum fuerit. *Pax religionis inita.* Et certe inita fuit *Pax Religionis* dicta, & in comitiis Imperii subsequentibus confirmata.

Bellum Smalcaldicum. Sed nec hac ratione consultum fuit: quin potius res in apertam flammam & bellum Smalcaldicum erupit. In ipso fœdere Smalcaldico agebatur de rebus liturgicis, & tandem concludebatur, ab articulis in confessione Augustana propugnatis recedi non posse; interim *de adiaphoris non odiose esse pugnandum.* Haud displicuit id consilii Melanchtoni. *Diversa Lutheranorum* Verum enim vero dissensiones internæ, diversa Theologorum studia, imma-

maturum reformandi ſtudium, odia occulta animos Lutheranorum inter ſe colliſos tenebant, impediebantque, quo minus ſcopum a ſe intentum aſſequi potuerint. Acceſſerunt fata Carlſtadiana, dum Lutherus & Carlſtadius inter ſe collidebantur. Ambo ab ipſo Boehmero exceſſivi ſervoris, & intempeſtivi caloris rei aguntur. Atque hæ infauſtæ inimicitiæ non parum, ut ait cit. Author, opus reformationis quoad liturgica turbaverat.

Studia, lites, diſſidia, jurgia. Fata Carlſtadiana.

Exacto bello Smalcaldico novum coortum eſt bellum theologicum, Adiaphoriſticum dictum, occaſione *formulæ interimiſticæ* juſſu Caroli V. compoſitæ, quam an. 1548. Statibus Imperii in Comitiis ſub titulo *declarationis* religionis interimiſticæ, & proviſionalis eum in finem propoſuit, ut interna unio religionis inter Status reduceretur, donec in concilio œcumenico lites deciderentur. Et en! novum iterum bellum, dum de illius receptione vehementer inter Theologos concertabatur. Bellum iſtud fuſius recenſet Boehmerus (e). Acceſſit odium Lutheranorum contra Reformatos: dum enim Reformatores plane in reformandis liturgicis excedebant, Lutherani in illorum odium plures ritus ab ipſo Luthero reprobatos retinuerunt (f). Neque tantum in Germania noſtra de liturgicis ritibus concertatum fuit; ſed vel maxime in Anglia, dum quidam communiter *Puritani* dicti omnia ad primævum & puriſſimum Eccleſiæ primitivæ ſtatum revocare contendebant; alii plures ritus retinendos exiſtimabant. En! Hiſtoriam *Juris liturgici* a Boehmero deſcriptam.

Bellum Adiaphoriſticum occaſione formulæ interimiſticæ.

Odium Lutheranorum contra Reformatos.

Paulo aliter originem liturgiarum, vel potius *Juris liturgici* determinant Catholici. Primus qui jus liturgicum pro ſuprema ſua poteſtate exercuit, fuit Chriſtus, cui in acceptis referimus formas & ritus ſubſtantiales Sacramentorum. Eodem jure uſi ſunt Apoſtoli, a quibus habemus liturgias & ritus quosdam ſubſtantiales, quos determinarunt qua *Miniſtri Chriſti* e. g. *impoſitionem manuum;* quosdam etiam indifferentes e. g. convivia charitatis, oſculum pacis &c. Hiſce poſtea inhæſerunt Eccleſiæ, earumque Epiſcopi. Inde factum eſt, quod toties ad traditionem antiquam veluti normam regulativam provocaverint e. g. in

Origo liturgiarum & juris liturgici ſecundum mentem Catholicorum.

Ritibus a Chriſto & Apoſtolis inſtitutis inhæſere Eccle-

(e) Loc. cit. §. 46.

(f) *Utrinque tantis animorum concertationibus actum eſt, ut propter talia interna diſſidia primario res liturgicas concernentia plurima intacta relicta ſint, atque inde forſitan profluxerit, quod ceremoniæ & ritus hodie in eccleſiis Proteſtantium alicubi quidem in magna abundantia; alicubi vero rarius appareant.* cit. Auth. §. 46.

sta, inde orta traditio. in quæstionibus de reiterando baptismo ab hæreticis collato, de tempore celebrandi Paschatis. Idcirco non contradicimus ex integro Boehmero, qui liturgias primordialiter ad consuetudines & mores reducit: Id solummodo constanter abnuimus, quod omnes liturgiæ primordialiter ex moribus profluxerint. *Jus liturgicum exercuere Episcopi pro suis Ecclesiis.* A tempore Apostolorum jus determinandi ritus & formulas exercuerunt Episcopi pro suis Ecclesiis, illo potissimum ævo, quo Ecclesia nondum in hodiernam formam coaluit, & hodierna Hierarchia ecclesiastica in tot gradus Clericorum distincta nondum invaluit, & Episcopi pleniori jure utentes nulli Metropolitæ, Exarcho, vel Patriarchæ plene erant subjecti. *Sæc. III. Synodi particulares, & Sæc. IV. generales.* Jam circa finem Sæculi III. jus liturgicum exercebatur in Synodis particularibus (g); Sæculo dein IV. in Synodis generalibus (h). Sæculis sequioribus Episcopi cœperunt suas liturgias ad rationem & exemplar Ecclesiæ Metropoliticæ conformare, donec hæc consuetudo in legem transierit, ut idem ordo, eadem liturgia in omnibus Ecclesiis observaretur. *Ecclesiæ Episcopales se in ritibus conformarunt Ecclesiis Metropoliticis.* Hanc in rem affert Binghamius varias Synodos tam Gallicanas, quam Anglicanas (i). Interim asserere non auderem, quod Episcopi suum jus liturgicum amiserint, aut non amplius exercuerint, aut in omnibus suis formulis & ritibus se se liturgiæ Ecclesiarum Metropoliticarum conformaverint: nam in variis ecclesiis adhuc varios obtinuisse ritus, historiæ rerum liturgicarum evidenter commonstrant. *Dicta sunt intelligenda de liturgiis principalioribus.* Idcirco id intelligimus de liturgiis principalioribus, quales fuere Ambrosiana, Chrysostomiana, aut illis, quæ ab integra Natione suum nomen traxerunt uti Gallicana, Hispanica &c. Quoad Pontifices neutiquam est dubitandum, quod penes ipsos jus liturgicum eminentius resederit, etsi illud exercere, & suas liturgias cæteris Ecclesiis obtrudere œconomiæ causa noluerint. *Pontifices jus liturgicum cum eminentia exercuerunt.* Iterum reflectamus ad controversias inter Africanos & Stephanum, Asiaticos & Victorem tantopere agitatas. Nunquid ambo hi Pontifices illorum & dogmati, & disciplinæ, saltem uti credere videbantur, se vehementer opposuerunt, licet Africani & Asiatici conatibus Pontificum cedere noluerint? Subsequentibus temporibus Pontifices suum hoc jus plenius exercuisse ex ipsis historiis a Boehmero relatis constat.

Ad quem pertineat jus liturgicum ex jure divino? Jam ad ipsum *Jus liturgicum* faciamus transitum, &, ad quem illud ex institutione divina pertineat, dispiciamus. Recolamus memoria, quæ supra de Systemate Moshemiano & Boehmeriano diximus. Ambo

(g) E. g. in Concil. Eliberitano. (h) In Concil. Nicæno I.

(i) Orig. Eccles. lib. 13. cap. 5. §. 2. e. g. Agathense, Epaonense, Gerundense, Toletanum, Bracarense &c.

Mens Boehmeri, & Moshemii exponitur.

Ambo in eo conveniunt, quod jus liturgicum ipsi Ecclesiæ cœtui adscribant. In eo differunt, quod Boehmerus Principi *jus liturgicum illimitatum*, a consensu Ecclesiæ seu plebis prorsus independens, vindicet; hic inter *Jus liturgicum*, & *circa liturgiam* distinquat; illud ad consensum plebis restringat, istud vero in rebus liturgicis eatenus subintrare existimet, quatenus id salus Reipublicæ exigit e. g. si ex nova ceremoniarum introductione, vel antiquarum abolitione tumultus fiant in populo, oriantur dissensiones animorum, dissidia inter Doctores, vel excessivi sumptus profundantur in usus ecclesiasticos e. g. in ornatum ecclesiarum, aut cultum divinum externum solennius persolvendum (k). Hæc Moshemii doctrina parum abludit a doctrina Catholicorum quorumdam, qui Principibus Catholicis *Placitum regium* vindicant, illiusque usum in tantum approbant in legibus ecclesiasticis cum statu politico connexis, in quantum Principum est invigilare, ne in bonum politicum impingant.

Quid intersit inter jus liturgicum, & jus circa liturgiam.

Argumenta, quibus jus liturgicum cœtui competere probant, fundantur in systemate Ecclesiæ.

Utriusque argumenta, quibus jus liturgicum ipsi cœtui Ecclesiæ adscribunt, fundantur in systemate, quod sibi de conceptu Ecclesiæ noviter fabricarunt: dum illam ad infima collegii simplicis subsellia detruserunt, & originaliter *jus in sacra* plebi adscripserunt. Quapropter supervacaneum esse duximus illa iterum de novo proferre in medium, utpote quæ alibi plenius confutavimus. Quædam ex Boehmero prætermittere non possumus. Provocat ille ad conventus Apostolorum, in quibus omnia communi agebantur consilio; ad cœtus fidelium, in quibus Seniores & Presbyteri dirigebant negotia Ecclesiæ; ad ipsum Presbyterium Seniorum, qui plebem repræsentabant, adeoque non nomine proprio & independenter, sed ministeriali & repræsentativo disponebant rem liturgicam eum in finem, ut omnia cum debito ordine, decenter & cum decoro peragerentur, usque dum Episcopi cristas erexerunt, Presbyterorum authoritatem suppresserunt, seque ipsos veluti Plenipotentiarios effecerunt.

Quædam argumenta ex Boehmero afferuntur.

(k) Exemplum dat Moshemius dicens: Gesetzt eine Gemeinde habe den Gebrauch viele Wachs-Lichter währenden Gottesdienst anzuzünden. Dieselben aber wären ungemein kostbar, und es würden jährlich viele tausend Thaler für dergleichen Lichter ausser Landes geschicket: so hat die Obrigkeit Macht, das Recht der Kirche Lichter bey dem Gottesdienste zu brennen, zum Vortheile des Staats zu dirigiren. Succine major debetur honos hominibus quam DEO? quot milliones profunduntur in luxum Principum, & pro majori DEI honore vix lumen accendere licet!

Sub Imperatoribus christianis potestas Episcoporum in dies magis crevit: libertas plebis deliquium passa, authoritas Presbyterorum ferme suppressa fuit. Constantinus M., aliique Imperatores in suo jure exercendo segniores, & potius Executores & Ministri voluntatis Episcoporum, quam Imperantes fuerunt, quin imo illorum potestati novum fomentum suppeditarunt. Ita rem refert Boehmer (l).

Quomodo Boehmerus probet jus liturgicum Principi competere?

Qua arte jam Boehmerus *jus liturgicum* Principum; & econtra *jus circa liturgiam* duntaxat vindicet Moshemius, videamus. Auspicemur a Boehmero: esto enim, inquit Boehmerus, *adornatio* liturgiarum primordialiter spectet ad quamlibet Ecclesiam, quia vero inde quamplurima incommoda in Rempublicam redundare valent, ex accidente hæc potestas vindicanda erit Principi. Id quod eo majori jure fieri potest, & debet: quod aliunde supremis Imperantibus competat inspectio generalis in omnia collegia, vi cujus, si animadvertunt, statuta collegiorum nociva esse Reipublicæ, vel graviores turbas ex rixis circa liturgica metuendas, omnino providere possunt, & debent, ut talia tollantur, mutentur, corrigantur, ita quidem, ut etiam nova statuta præscribere queant. Ad ipsum statum Ecclesiæ si oculos convertamus, nulla profecto Societas, quæ tot periculis, tumultibus & seditionibus patet, ac Societas sacra. Ipse hodiernæ Ecclesiæ status corruptissimus, ait Boehmerus, innumera dissidia, lites, & discordiæ circa adiaphora & liturgica, quæ nunquam non turbarunt rem ecclesiasticam; ambitio Clericorum, qui in rebus liturgicis pro suo genio & ingenio omnia ordinant, & in his ipsis suæ superbiæ & luxui litant, atque authoritas apud plebem, quam facile in suas partes trahere possunt, ementita quædam sanctitas, qua fideles ad nescio quæ superstitiosa alliiciunt, ipsa superstitio quæ se rebus sanctissimis frequenter immiscere solet, & homines ad cultum externum prorsus exorbitantem, vanum, inanem & ridiculum suavissima quadam vi pertrahit, hæc, inquam & plura alia, si in unum cumulum congerantur, quam non sunt apta ad concitandam plebem, ad excitandos tumultus, ad turbandam Rempublicam, & eo ipso suppeditant argumenta irrefragabilia ad inferendam absolutissimam necessitatem, ut jus liturgicum transferatur in Principes, quorum est providere necessitatibus publicis, pericula imminentia avertere, tumultus præcavere, res adiaphoras in salutem Reipublicæ dirigere absque eo, quod subditorum consensus requiratur. Atque

Propter plurima incommoda.

Propter turbas & rixas.

Propter ambitionem Clericorum.

(l) Loc. cit. §. 62. Pleraque sine fundamento sunt dicta, imo aperte falsa. vid. nostra Dissert. de statu Ecclesiæ.

Atque hæc præcipua ſunt fundamenta, quibus Boehmerus ſuum Syſtema ipſis etiam Proteſtantibus, non illis duntaxat, qui inter jura *Majeſtatica* & *Collegialia* diſtinguunt, ſed etiam Thomaſianis odioſum & execrabile adornat.

Expendat, quæſo, prudens Lector Boehmeri conquiſita convitia in Clerum, in Eccleſiam, in Antiſtites. Hæc inprimis falſa ſunt, & probari debent: aut ſi vera ſint, quid probant? nempe omne etiam imperium politicum, omnemque religionem eſſe exterminandam; jamque de alia ſuprema poteſtate eſſe cogitandum, quæ ſupremos Imperantes coerceat, & in ſuo officio contineat: ſiquidem occaſione imperii politici, & religionis fiunt tumultus publici, diffidia, ſeditiones in populo. Et quis res eccleſiaſticas adeo turbavit, niſi Imperantes, utpote qui ſe rebus ſanctiſſimis immiſcuerunt, Epiſcopos ſuis juribus privarunt, & omnia ſacra ſusque deque verterunt. Quam efferus, quam crudelis hic eſt Author in omnem pietatem chriſtianam? Quidquid non eſt ad ipſius palatum, ſuperſtitioſum eſt, impium eſt. Contingit Eccleſiæ Præſulibus & Catholicis, quod Chriſto contigiſſe legimus, cujus opera etiam ſanctiſſima Judæi ſugillarunt: quare cum publicanis manducat Magiſter veſter (m)?

Argumenta, quibus Mosheminus Boehmerum refutat, quorum primum eſt, quod Boehmerus omnia jura turbet, & confundat. Jura Societatis tollat.

Jam diſpiciamus, quibus argumentis Moshemius Boehmeri doctrinam expugnare contendat. In eo totus quantus eſt Moshemius, ut demonſtret, quod doctrina Boehmeri jura omnia confundat, Eccleſiæ ſua jura originaliter, ex jure naturæ ſaltem hypothetico competentia ſubvertat, ipſos fideles in turpiſſimam ſervitutem redigat, deſpotiſmum inducat, & Chriſtianos Dominis territorialibus deſpotice ſubjectos faciat: cum enim ex doctrina Boehmeriana Eccleſia ſit collegium hominum in ordine ad cultum divinum rite & decenter peragendum congregatorum, & in eadem doctrina participantium, ſane hæc Societas ſacra ad inſtar aliorum collegiorum habet ſua jura, habet ſuas libertates, tum ex jure naturæ, tum ex primæva inſtitutione aut pactis libere initis ſibi proprias, in quarum exercitio haud ſecus quam ſubditi in particulari, ſi ſuis libertatibus & juribus innocue, ſine præjudicio, ſine nocumento Reipublicæ utantur, impediri non poteſt, niſi omnia jura ſubvertere, fidem pactorum exterminare, deſpotiſmum inducere, ferream ſervitutem hominibus imponere, & quidquid in omni Societate ſacrum & ſanctum eſt, tollere velimus. Nam ad naturam collegiorum ſi reſpiciamus, hæc ſunt certæ ſocietates, in quibus ſocii certum ſibi finem

O 3 præſi-

(m) Matth. 9. v. 10.

præfigunt, & ad hunc finem facilius consequendum sub certis conditionibus & pactis se Reipublicæ submittunt, illiusque assistentiam, tutelam & defensionem sibi stipulantur, ea tamen lege, ut ipsi determinare & seligere possint media ad suum finem opportuniora, quin Princeps ipsis invitis alia obtrudere valeat: nisi salus Reipublicæ exigat, & inde nocumentum in rempublicam redundet. Porro autem cum finis Societatis sacræ sit cultus divinus, & salus Ecclesiæ, necessario consequitur, quod ad Ecclesiam ipsam *jus liturgicum* seu jus determinandi ritus liturgicos tanquam jus collegiale pertineat: eo quod hi præcipuam partem cultus externi cum interno connexi constituant. Quam parum Princeps aliquid potest in conscientias hominum in materia Religionis, tam parum aliquid potest in rebus liturgicis, nisi salus Reipublicæ aliter jubeat, & fortassis ritus liturgici in præjudicium Reipublicæ vergant. Et nunquid ipse Boehmerus Jus liturgicum primordialiter asserit esse penes Ecclesiam? Idcirco in omnia jura naturalia & divina impingit Princeps, & vel despotismum vel tyrannidem exercet, si Christianis sua media ad colendum DEUM ordinata sine evidenti reipublicæ necessitate subtrahat, commutet, jus liturgicum sibi privative vindicet, & pro libitu leges novas condat, media alia sine ullo consensu præscribat & substituat (n). Quid ergo est, quærit Moshemius, illa *Majestas*, illud *Jus Majestaticum*? Anne jus quoddam homines redigendi in servitutem, & inducendi despotismum? Edicat aliquis, undenam Principi jus prohibendi, ne, dum peraguntur divina, duo accendantur luminaria, aut interdicendi alia adiaphora ad statum politicum nihil facientia (o)?

Finis Societatis sacræ est cultus divinus, & hoc ipso habet jus liturgicum.

Princeps impingit in omnia jura, si jus liturgicum sibi vindicet.

Jus Majestaticum inducit despotismum.

Interim etiam Principi est suum jus in liturgicis, non quidem *liturgicum*, sed *circa liturgiam*. Determinare cultum pertinet ad Ecclesiam, invigilare autem, ne hic cultus impingat in bonum politicum, est Principis. Ex hoc vero non sequitur, quod Princeps pro suo arbitrio possit

Jus circa liturgiam competit Principi.

(n) Allgemeines Kirchen-Recht cap. 3. pag. 470. & seq.

(o) Ein jedes Recht muß einen Titel haben. Was solle der Titel von diesem Rechte seyn? Die Majestät, die Landes-herrliche Hochheit? aber was ist diese? Ist sie das Recht Menschen zu Sclaven zu machen? Nein, sie ist das Recht die Handlungen der Unterthanen und Gesellschaften, die sich in einem Staate befinden, der Sicherheit und Wohlfart des Staates gemäß einzurichten. Man leite mir doch hieraus das Recht her, daß es von dem Willen des Fürsten abhange, ob er leiden will, daß ein Paar Lichter auf dem Altare während Abendmahl brennen. pag. 470.

possit præscribere ritus, abolere antiquos, introducere novos: hoc enim sapit Despotismum, accedit ad tyrannidem, contrariatur legibus naturalibus & divinis. Rem exemplis illustrat Moshemius. Sic e. g. sunt Principi sua jura in familias, & res domesticas ac œconomicas familiarum, quatenus invigilare debet, ne œconomia subditorum vergat in præjudicium Reipublicæ. Nemo tamen exinde inferet, Principi jus esse dirigendi, ordinandi, regendique œconomiam separatam suorum subditorum, e. g. præscribendi, quos & quot habere famulos conductitios, quibus vesci cibis, qualemque ordinem diurnum observare liceat (p). Huc pertinet exemplum supra allatum de duobus luminaribus. Econtra demus ita moribus esse receptum, ut in conventibus ecclesiasticis accendatur ingens multitudo luminum, pro quibus comparandis ingens pecuniarum summa extra provinciam exportanda foret, utique in sententia saltem Moshemii, Principi jus foret hunc morem abolendi? Neutiquam, inquit laudatus author, Principi abnegamus *jus circa liturgias* ex *jure Majestatico* promanans: id solum negamus, quod se ad ritus adiaphoros, & indifferentes seu abolendos, seu introducendos extendat: eo quod unice ad felicitatem & securitatem publicam, quæ suprema lex esse debet, collimare debeat. Neque aliter homines suas actiones sublimiori potestati subjecisse existimandi sunt, nisi in quantum vel proficuæ, vel nocivæ esse possunt Reipublicæ, reservata sibi libertate cœteras suas actiones innocuas & indifferentes pro suo libitu exercendi (q). Idcirco *Sophisma Elenchi* committere videntur Moshemio Thomasiani, aliique Scriptores, qui jus liturgicum ex superioritate territoriali derivare contendunt, eosque crassæ ignorantiæ arguit; eo quod Systema *Collegialistarum* non intelligant: Siquidem si ipsorum argumenta bene inspiciantur, vix aliud probare videntur,

(p) Die Obrigkeit hat e. g. ein Recht über den Haus-Stand in dem Staate, und hat dahin zu sehen, daß die Haus-Vätter ihre Haushaltung nicht zum Schaden des Staates führen. Allein aus diesem Recht folget nicht, daß die Obrigkeit befugt sey, in einem jeden Haus die Haushaltung selbst einzurichten, e. g. was die Haus-Vätter für Gesinde halten, was er demselben zu essen geben solle rc. pag. 68.

(q) Die Menschen haben ihre Handlungen der Obrigkeit unterworfen, so fern dieselben dem Staate nutzlich oder schädlich seyn können. In allen übrigen Handlungen, welche dem Staate gleichgiltig sind, haben die Unterthanen die Freyheit rc. pag. 69.

dentur, quam quod ipsi Collegialistæ negare non audent (r). Id ut demonstret Moshemius, in vim argumenti assumit ipsum Boehmeri argumentum, quo ille jus liturgicum Principi vindicat, dum quærit, *quo jure Princeps leges de rebus liturgicis ferre, & jus Ecclesiæ eripere possit?* Nam respondet: *Propter incommoda in rempublicam redundantia inde sæpius metuenda, ut Princeps officium suum interponat, prout turbæ, tumultus & dissidia de rebus liturgicis orta docent.* Utique, exclamat Moshemius, id ipsum fatentur Collegialistæ, qui Principi nunquam denegarunt jus decidendi controversias occasione liturgiæ rempublicam turbantes. Interim hac ratione nondum demonstratum est, quod Principi competat *jus liturgicum*, quod est proprium Ecclesiæ. In quam rem aliud aptissimum affert exemplum Moshemius: e.g. habet Princeps jus dirimendi lites inter conjuges, anne inde inferre licet: ergo ad ipsum pertinent omnia jura matrimonialia suorum subditorum? Pessima sane consequentia (s)!

Aliud argumentum Boehmeri refutatur. Denique aliud argumentum Boehmerianum diluit Moshemius Boehmerus Episcopos & Clericos accusat, quod jus liturgicum Ecclesiæ pessime administraverint, & hoc ipso Principes omni jure illud e manibus Clericorum extorserint, sibique appropriaverint. At vero infirmissimum esse hoc argumentum aptissimo exemplo ostendit Moshemius, dum dicit: Ich habe einen Verwalter, der mein Gut, der meine Rechte schlecht verwaltet. Wächst daraus dem Fürsten die Macht zu, mir mein Eigenthum, mein Recht zu nehmen? Demum sic concludit Moshemius:

Mit dem Rechte etwas zu verbieten, ist nicht so fort das Recht verbunden etwas anders an dessen Stelle zu gebieten. Hätten die Herren Rechtsgelehrten dieses bemerket, daß mit dem Rechte zu verbieten, noch nicht das Recht etwas anders an dessen Stelle zu gebieten, verknüpfet sey,

(r) Diejenigen, welche das Jus liturgicum aus der Landes-Hochheit herleiten, begehen das Sophisma elenchi, und indem sie diejenigen bestreiten, die der Kirche ein Jus liturgicum beylegen, legen sie sattsam an Tage, daß sie das System ihrer Gegner nicht verstehen. pag. 470.

(s) Der Fürst hat das Recht die Händel, die zwischen Eheleuten entstehen, zu schlichten. Er hat also ein Jus circa matrimonium. Aber daraus folget nicht, daß er die Jura Matrimonialia seiner Unterthanen habe. pag. 472.

sey, hätten sie das wahre Object des Fürstl. Rechts in Ansehung der Liturgie, als über welches nur gestritten wird, recht aus einander gesetzet, hätten sie genaue Grund-Sätze von der Macht des Fürsten überhaupt zum Grunde geleget: so würden sie zugleich die Frage gründlicher beurtheilet haben, ob die Obrigkeit die Gottesgelehrten zu Rathe ziehen solle, wenn sie Kirchen-Gebräuche reformiren will. So verworren sie von dem *Jure Principis circa liturgiam* reden, so viel Verwirrung beweisen sie auch in der Beantwortung dieser Frage (t).

Hisce addamus ea, quæ Pfaffius habet, & in hanc rem vel maxime facere videntur: Es fragt sich, wem das *Jus liturgicum*, das Recht Kirchen-Agenden, und Liturgien zu setzen, gebühre? Es ist offenbar, daß es ein Recht ist, das die Kirche hat, durch ihre Vorsteher gemeinschaftlich den öffentlichen Gottesdienst, die Kirchen-Agenda und Liturgien zu besorgen. Hat aber die Obrigkeit dis Recht, so hat sie es als ein ihr übertragenes Recht, und verwaltet es auch als ein Collegiale, nicht absolutum, zumal, da, wenn man auch schon die Kirchen-Agenda unter die Adiaphora rechnen wolte, man doch disfalls der libertati christianæ nichts präjudiciren könnte, um so mehr, als dieselbe eine so grosse Connexion mit dem typo doctrinæ in Ecclesiis receptæ haben. Ehehin wurden die Liturgien per consuetudinem und durch Concilia eingeführt, nachhin hat der Pabst zu Rom sich das Jus liturgicum zugeschrieben. Unsere Kirchen-Agenda sind von Anfang der Reformation von den Theologis, doch mit Approbation, und unter der Authorität der Obrigkeiten errichtet worden. Doch hat eben die Obrigkeit als Obrigkeit in das Jus liturgicum nicht die Hand einzuschlagen, als nur in dem Falle, wenn sie, wie gesagt, das Jus collegiale circa sacra besitzt, oder turbæ disfalls in den Gemeinen entstehen, denen sie vorbeugen muß. Das ist aber mehr ein Jus positivum, als negativum (u). *Doctrina Pfaffii circa jus liturgicum.*

Hoc argumenti genus fusius tractat Pfaffius in suo *Jure Ecclesiastico*, ubi multa ad rem Catholicam juvandam, mirumque in modum illustrandam; nec non ad restringendum, coercendumque jus Majestaticum cum

(t) Pag. 473. *Juris Eccles. Tom. II.*

(u) Academ. Reden. cap. 15. §. 6.

cum enormi excessu ultra suos fines extensum aptissima & opportunissima affert (x). Dilucidat inprimis quæstionem juris, ad quem præcise *jus liturgicum* pertineat? Et concludit, esse partem *Juris sacrorum*, pertinere ad summum Principem; non esse *jus sacrorum absolutum*, sed *collegiale*. Juvat illius verba etsi prolixiora adducere: *Nec tamen est Jus sacrorum absolutum. Jam enim, hoc si foret, Princeps qua talis posset subditis suis religionem imponere, & injungere, quamcunque vellet. Id quod, uti quivis videt, manifestam in conscientias tyrannidem, manifestam Cæsaropapiam involveret. Caute itaque procedendum, dicendumque est, esse hoc jus collegiale.* Postea recenset historiam juris liturgici, quomodo illud resederit penes Ecclesiam, illud exercuerint Apostoli; postea ad Episcopos, & Synodos fuerit devolutum; exinde a Pontificibus vindicatum; & denique propter abusus, superstitiones, & corruptiones a Reformatoribus exercitum, ita tamen, ut Theologi primum *Agenda ecclesiastica* conficerent; Principes autem ita exigente negotii indole, & natura authoritatem rebus affunderent. Pergit, & jus istud esse collegiale sequentibus demonstrat: *Hoc certum est, Ecclesiam, quatenus collegium constituit, posse quædam determinare, quæ ad finem ei propositum spectant. Huc quoque pertinet ordo in liturgia observandus, sicuti etiam hunc primitivæ pro arbitrio per modum pacti Ecclesiæ determinarunt, unde tanta diversitas rerum liturgicarum sive rituum orta est. Sed paulatim Episcopi jura Ecclesiæ competentia sibi vindicarunt. Cum vero Imperantes inspectionem in omnes Ecclesias habeant, & præcavere debeant, ne imperium sacrum in his collegiis exstruatur, suo jure agunt, si jus determinandi res liturgicas sibi vendicant, quando ex circumstantiis apparet, Ecclesias sua libertate abuti.* Post hæc moderamen subjungit, & pergit his verbis: *Ex quibus verbis id concluseris, tum demum Magistratui licere, jura liturgica ut exerceat, si Ecclesiæ illa male administrent.* Id autem licere ex alio authore ita ostendit: *Status Ecclesiarum satis corruptus est, ut facile tumultus & turbæ inde oriri possent, si hodie adhuc eadem libertas concederetur. Trahitur populus superstitione, ritibus sæpe inanibus tenaciter inhæret, adeoque vix patitur, ut novi ritus instituantur. Ob hujusmodi causas salus Reipublicæ postulat, ut Princeps liturgicas res adornet, & determinet.* Sed nec huic rationi ex omni parte fidit Pfaffius, quare notanter subdit: *Quamvis autem hoc ita se habeat, patet tamen ex ipsa negotii hujus indole, Principem jus liturgicum non ex mero arbitrio suo administrare debere: id enim tyrannidem ecclesiasticam involveret; sed ita, ut Religio, quam Ecclesia, in qua liturgia*

(x) Cap. 7. de liturgiis, confessionibus publicis, precibus &c.

liturgia determinatur, profitetur, exigit & postulat. Restrictum itaque est JUS LITURGICUM cum eo ipso, quod collegiale est, licet ex superioritate Territoriali simul fluat (y). Ex his jam manifestum est, Pfaffium cum Moshemio quoad substantialia convenire, Jus liturgicum ex illius opinione potius esse *collegiale* quam *Majestaticum*, plures e Protestantibus in hac materia graviter hallucinari, ipsos Principes in usu sui juris gravissime excedere; Principibus vero Catholicis suo jure *Placiti regii* cautissime esse utendum. Cæterum plura veritati contraria ambo immiscent, quo pertinent ea, quæ de jure in sacra, de juribus collegialibus, de abusu *juris liturgici* ab Episcopis commisso referunt, quæ tamen ex alibi dictis refutata manent.

Etiam Pfaffius jus liturgicum refert ad jura collegialia, & abusus perstringit.

Hæc fusius adducere libuit, ut prudens lector Catholicus judicet, quanta sit rerum confusio in principiis & systematibus protestanticis in ordine ad *jus liturgicum* explanandum. Quemadmodum in aliis, ita etiam in hac materia Moshemius æquior est ac justior, quamplures alii Doctores Protestantici, principiisque longe solidioribus saniori rationi & Criticæ innixis utitur, Plura in hoc illius discursu sunt, quæ nostris Doctoribus Catholicis usui esse possunt, illis præprimis, qui Principibus sæcularibus sunt a consiliis, eos in regimine suo adjuvant, suis humeris molem Reipublicæ sustentant, unaque jura Majestatica ultra omnes limites extendunt. An non quotidiana experientia docemur, quod hodiernis temporibus se se Principes sæculares Catholici rebus disciplinaribus quibuscunque præsertim liturgicis immisceant, ut non modo jus *circa liturgiam*, sed ipsum *jus liturgicum* exercere videri possint, non tunc solummodo, quando de præjudicio & interesse publico vero, sed etiam de hilo quasi agitur. Sic e.g. in quibusdam locis inhibent Principes ornatum ecclesiarum, interdicunt solennes processiones, determinant numerum cereorum, quos coram Numine Eucharistico accendere liceat. Nempe quidquid ad ornatum ecclesiarum, ad decorem domus DEI, ad majestatem templorum, & cultus divini pertinet, id omne superfluum est, excessus est, superstitio est, Reipublicæ nocivum est: Econtra quidquid in luxum vestium, conviviorum expenditur, id omne æquum & justum est: Ita nempe *ratio decori* exigit. Videntur mihi multorum Catholicorum principia solo nominis sono differre a principiis Protestanticorum: Id nempe quod Protestantes appellant *Jus in sacra*, nostri Doctores vocare consueverunt *Jus regium*, *Dominium altum*, *Placitum regium*. Cæterum facile largimur, quod in rebus disciplinaribus & liturgicis

Mira confusio in systematibus Protestanticis.

Æquior est Moshemius, ex quo multa discere possunt Doctores Catholici.

Etiam Principes Catholici cum excessu se immiscent rebus liturgicis.

Illustratur exemplis.

Principia multorum Catholicorum aliquoties solo nomine differunt a Protestanticis.

(y) Loc. cit.

turgicis fiant, & fieri possint excessus: verum enim vero hos corrigere & emendare potius ad Episcopos, quam Principes sæculares pertinet. Et demus, non nunquam graviores fieri sumptus in ornatum ecclesiarum, in decorem cultus publici, num Principi liceat restringere usum bonorum ecclesiasticorum, quæ per pias fidelium elargitiones ex massa communi bonorum extracta, & divino cultui fuerunt destinata?

Systema Catholicorum quoad jus liturgicum.

Competit Ecclesiæ, illiusque Præsulibus.

Jam ad nostrum Systema Catholicorum dilabimur, cui longius insudare non vacat, utpote quod ex principiis alibi jactis aliunde sat firmo stat pede. Usque nunc nos Catholici Jus liturgicum Ecclesiæ, illiusque Præsulibus vindicavimus. Illud exercuit Christus, exercuere Apostoli, exercuere Præsules Ecclesiarum tam extra, quam in Synodis particularibus. Et quoniam his solis Christus commisit gregem dominicum, tradidit regimen Ecclesiæ, & ordinationem cultus externi, ut

Aliquale sed modestum valde concedendum Principibus.

quid Principes illud attrectare audeant? Quoddam modestum, ad regulas prudentiæ Christianæ attemperatum *jus circa liturgias* eisdem haud denegamus, ea ferme ratione, qua usum modestum *Placiti regii* indulgemus, dummodo hic usus non degeneret in dominatum excessivum, aut omnino despoticum.

Quid Principes Territoriales possint in rebus liturgicis quoad subditos diversæ religioni addictos?

Una adhuc quæstio valde difficilis, quæ in nostra Germania, ubi Catholici passim permixti vivunt Protestantibus, usum habet frequentissimum, breviter discutienda est. Quæritur enim, quid Principes Territoriales possint in rebus liturgicis quoad subditos diversæ Religioni addictos? Quæstio hæc ex Pace Westphalica est decidenda, & habet suam sedem art. 5. §. 31. & 48., in quorum primo disponitur, ut subditi Augustanæ Confessionis, qui in anno normali, & quacunque anni parte ex quocunque titulo exercitium suæ religionis habuerunt, *retineant*

Hæc Quæstio ex Jure Westphalica est decidenda.

etiam id in posterum una cum annexis, quatenus illo anno exercuerunt, aut exercita fuisse probare poterunt. In altero vero suspensa est jurisdictio Episcoporum, ita tamen, ut Augustanæ Confessioni addicti, si illam in anno normali agnoverunt, eidem subsint *in casibus Augustanam Confessionem non concernentibus, modo ipsis nihil injungatur Augustanæ Confessioni vel conscientiæ repugnans.* Quapropter in exercitio Juris liturgici ante

Ad annum normalem respiciendum.

omnia ad annum normalem est respiciendum & ad id attendendum, ne status ille mutetur. Quod si ergo in anno normali Catholici sub Principe Acatholico degentes instituerunt lytanias & processiones publicas, eas inhibere Princeps nequit: Secus dicendum, si eas instituisse probare nequeant. Insuper tam Episcopi subditis protestanticis, quam Principes Protestantici subditis Catholicis quædam rem liturgicam spectantia e. g. indicere preces publicas possunt, dummodo nihil injungatur,

quod

quod illorum conscientiæ, aut Confessioni Augustanæ repugnet. Idcirco specialior determinatio precum publicarum Ecclesiæ, cui sunt addicti, relinquenda erit, ne vel Episcopus Protestantibus, vel Princeps Acatholicus Catholicis formulam precandi præscribat illorum conscientiæ repugnantem e. g. si Episcopus injungat Lutheranis, ut pro salute Romanæ Ecclesiæ, & Pontificis; & econtra Princeps Lutheranus Catholicis injungat, ut pro emolumento Sectæ Lutheranæ orent.

Ex his aliam movet quæstionem Boehmerus, utrum Princeps Catholicus Lutheranis interdicere possit preces illas, quibus DEUM precantur, ut ipsos ab insidiis Pontificis præservet? Ponamus, inquit, in Ecclesia aliqua Lutherana jam anno 1624. in usu fuisse preces illas notissimas: Erhalt uns o HErr bey deinem Wort, und steur des Pabsts und Türken Mord. Quæritur, inquit, an non Princeps possit injungere, ut loco des Pabsts Mord substituant formulam: und steure aller Feinde Mord (z). Author hic pro & contra disputat. Id ipsi certum esse videtur, quod consultis regulis prudentiæ melius facturi sint subditi, si tales formulas intermittant: cum de substantia Religionis evangelicæ non sint; & hac ratione majus malum metuendum evitetur. Sed quid in puncto juris? vix aut ne vix quidem mutationem præcipere poterit; saltem si ad pacem Westphalicam reflectamus: Nam si Princeps Catholicus ipsum exercitium Religionis, quam judicat esse falsam & DEO inimicam, vi pacis Westphalicæ immutare non potest, cur id possit in similibus rebus liturgicis? Aliud dicendum, si hanc formulam antea inusitatam introducere vellent Lutherani: cum enim hæc formula neque conscientiam tangat, prout ipse Boehmerus fatetur, & ad adiaphora pertineat, neque in Confessione Augustana per modum dogmatis sit recepta, sane non videtur, cur Princeps Catholicus illam interdicere non valeat. Et sane formulam hanc ab Augustissimo Imperatore Leopoldo in Silesia fuisse interdictam docet prohibitio 1662. facta, quam exhibet Vir clarissimus P. Hermannus Scholiner (a). Sed hæc sufficiant de jure liturgico.

Quid Princeps Catholicus possit circa quasdam preces Lutheranorum?

§. XVII.

Examinato *jure liturgico* regulas, & cautelas in determinando cultu, introducendis formulis, ritibus & ceremoniis adhibendas examinemus.

In determinando cultu & rebus liturgicis cer-

(z) In Differt. de jur. liturg. §. 88.

(a) In Differt. Ante-Huthiana pag. 63.

tæ regulæ sunt observandæ. nemus, Quam delicata, & periculis plena res sit determinare cultum, formulas, ritus & ceremonias, omnes historiæ luculenter demonstrant. Hinc inde novi loquendi modi & formulæ (b) novi ritus, picturæ, & imagines hæresibus, tumultibus, controversiis, & dissidiis occasionem præbuerunt amplissimam (c). Non raro ritus & ceremoniæ sapiunt vanitatem; sæpe inclinant ad superstitionem; aliquoties Ecclesiam irrisionibus & contemptui exponunt (d). Quid non egere Synodi, Pontifices, & Episcopi, & novissime ipsa Synodus Tridentina, ut hujuscemodi abusibus contravenirent? Erexere Pontifices Romæ Congregationem Cardinalium, quam vocamus *Sacrorum Rituum*, ut in ea ageretur de ritibus & ceremoniis; ediderunt in lucem publicam varia Ritualia, & Pontificalia, ut essent norma & regulæ, secundum quas cultus publicus foret exhibendus; promulgarunt varia decreta, quibus introductionem novorum rituum interdixerunt. Sufficiat sola Synodus Tridentina, cujus Decretum omnino legi meretur (e). Accedunt cordatiores Viri Catholici, qui de abusibus Catholicorum in hac materia liberius scribere non verentur (f).

Propter gravissima mala alias pertimescenda.

Liturgiæ sunt triplicis generis. Cum *liturgiæ* sint multiplicis, scilicet potissimum triplicis generis, nempe *formulæ scriptæ; ritus & ceremoniæ;* & *res* e. g. *picturæ, imagines, sacræ Reliquiæ &c.* diversæ quoque dandæ sunt regulæ in earum determinatione adhibendæ. Nos quasdam generales, & dein speciales dabimus.

Scriptura, traditio & Ecclesia sunt *Regula & Cautela I.* In omnibus liturgiis instar normæ universalis sit ipsa Scriptura, sit traditio, sit Ecclesia. Ad has veluti ad Cynosuram

(b) E. g. vox: ὁμοουσίου; Θεοτόκον; vox hypostasis; propositio: *Unus de Trinitate passus est.*

(c) E. g. Cultus imaginum ansam præbuit hæresi Iconoclastarum. Item olim ingenti animorum contentione disputatum fuit, utrum liceat pingere imaginem sanctissimæ Trinitatis &c.

(d) Vid. Synod. Trident. Sess. 25. in Decreto de Invocat. ubi inter alia monet, *ut omnis superstitio in imaginum usu tollatur.*

(e) Sess. 7. can. 13. & Sess. 25. in Decret. de Invoc. antea citato.

(f) Vid. Ludov. Muratorius in lib. de Nævis Eccles. & Honoratus a S. Mar. Tom. I. Dissert. I. pag. 70. ubi sic habet: *Eo usque processerant superstitiones istæ, ut per res sanctiores fusæ vasa sacra, Sacerdotum vestes, externas Missam celebrandi dispositiones occuparent, ne exceptis quidem Sacramentis, quin persequar*

furam respiciendum. Itaque nullæ formulæ substantiales, nulli ritus œcumenici abrogandi, aut in illorum vicem alii substituendi. In his igitur Ecclesiæ judicium suprema lex esto (g). *Regula prima.*

Regula & Cautela II. Nemo authoritate privata novas formulas præscribere, antiquas abrogare, novos ritus introducere audeat: nisi qui authoritate publica sufficienti polleat. Sed ne quidem ad componenda liturgica e. g. ad libros symbolicos procudendos, formulas precandi evulgandas quis animum inducat, nisi ingentem virtutum & scientiarum apparatum secum afferat. In hanc rem serviunt verba Viri cujusdam celeberrimi ita scribentis: *Nemo vero ad Agenda ecclesiastica & liturgiam sive componendam sive mutandam idoneus est, nisi qui mentem eruditione universali theologica, maxime liturgica & vetere & recentiore, & pectus pietate omnigena totum perfusum habet, qui charismate precandi præstantissimo, qui charismate solide, breviter, perspicue, suaviter, gravique & eloquentissimo stylo rem, uti decet, efferendi unus ex omnibus emineat. Jejunis profecto, & miseris hominibus, magna licet illi de sua capacitate præsumpserint, hæc non nisi in perniciem Ecclesiæ committuntur.* Suffragatur praxis Ecclesiæ, quæ provinciam componendi officium divinum, libros symbolicos, catechismos, instructiones catholicas non nisi Viris omnigenæ eruditionis & pietatis committere consuevit. Id sane fecisse Patres Synodi Tridentinæ aliunde scitur. Inde etiam est, quod modernus Pontifex Clemens XIII. nuper admodum in quodam Brevi exhortatorio Episcopis catechismum Romanum singulariter commendaverit. *Non licet authoritate privata novos ritus introducere. Multo minus novas formulas præscribere. Id probat praxis Ecclesiæ. Decretum moderni Pontificis.*

Regula & Cautela III. Ad formulas liturgicas pertinent Symbola, catechismi, confessiones, & diversi generis orationes, & preces. Symbola sunt brevissima norma credendorum, qualia sunt Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum. Catechismi sunt norma non tantum credendorum sed etiam agendorum, seu brevis, non adeo prolixa instructio in rebus & credendis & agendis. Etiam hi, quantum fieri potest, debent esse breves, perspicui, solidi, sacris literis conformes, &, quoadusque fieri potest, terminis illarum, styloque gravi concepti. In his certa fidei dogmata proponantur, incerta pro certis non venditentur, quæstiones scholasticæ & subtiliores, quantum possibile est, amandentur; aut, si quæ sint quæstiones dubiæ, id ipsum insinuetur, rixis *Quid sint Symbola, Catechismi &c. Quales sint proprietates Catechismi.*

sequar infinitas pene de aliis generibus superstitiones. Item Hist. Crit. de ritibus superstit. P. Bruni Orat. Presbyteri.

(g) Vid. Synod. Trident. loc. cit.

rixis & controversiis per omnia præcaveatur, errores modeste rejiciantur. Quantum ad res agendas Christianismus practicus vel maxime urgeatur, veritates Christiano-practicæ solidiores, doctrinæ respective & securiores & probabiliores proponantur, & omnis doctrina practica principaliter & ultimato ad pacem, concordiam, & charitatem christianam tendat, collimet, & ordinetur.

Distinquendi nihilominus sunt duplicis generis Catechismi & Instructiones, quarum aliquæ ad usum plebis; aliæ ad usum ipsorum Pastorum componuntur: De prioribus intelligenda sunt, quæ hactenus diximus: Posteriores possunt esse prolixiores & fusiores, quatenus Pastoribus pro instructione & informatione ulteriori plebis deservire possunt (h).

Regula & Cautela IV. Orationes, preces & formulæ precandi qualescunque sint ædificatoriæ, spiritum Ecclesiæ contineant, veram pietatem spirent, solidam devotionem cordibus instillent: non sint nimis materiales, non compositæ ad devotionem sensualem sed spiritualem; nullæ hic preces, vel expressiones jejunæ, sed masculæ; & ipsa etiam dictio sit gravis, præstans & perspicua.

Quales debeant esse ritus & ceremoniæ.

Regula V. Quoad ritus & ceremonias, in his vel maxime præcavendus est omnis abusus. Ritus ergo & ceremoniæ ita sint compositæ, ut nobis Ideam supremi Numinis ingerant, Majestatem illius commendent, ad decorem cultus divini faciant: sint ritus majestate pleni; non sint vani, non sint ridiculi, non absurdi; potius ad devotionem solidam instillandam, quam curiositatem pascendam serviant.

Doctrina Ecclesiæ quoad picturas & imagines.

Usus & cultus earum non est absolute necessarius.

Regula VI. Quoad picturas & imagines ante omnia præ oculis habenda est doctrina Ecclesiæ, quæ usum & cultum imaginum honestum, utilem & salutarem; neutiquam ad salutem æternam consequendam absolute esse necessarium docet, quin citra salutis dispendium intermitti, aut ab Ecclesia pro temporum ac locorum conditione dispensari possit, prout Dionysius Petavius Vir præstantissimæ doctrinæ, & Theologiæ dogmaticæ veluti alter Parens demonstrat: *Imagines*, inquit, *ex eo genere sunt, quæ adiaphora nominantur, hoc est, quæ ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam ipsam Religionis attinent, sed in potestate sunt Ecclesiæ, ut ea vel adhibeat, vel ableget, pro eo, atque satius esse decreverit* (i). De Historia cultus imaginum, Iconoclastis, Synodo

(h) Uti Institutiones Christianæ Boucqueti, catechismus Bougeant &c.

(i) Lib. 15. Theolog. Dogmat. cap. 13.

nodo Nicæna II., & Francofurtensi hic dicere non vacat. Si in qua re alia ad liturgiam pertinente, sane in usu, cultu & pictura imaginum circumspecte est agendum. Ut autem omnes defectus, excessus, abusus hodie sane frequentissimi solicite caveantur, ad tria potissimum est animadvertendum: nempe ad *usum;* ad *cultum;* ad ipsas *picturas imaginum.* In his omnibus instar normæ & regulæ universalis ante oculos habenda sunt duo præcipue Decreta, unum Synodi Nicænæ II.; alterum Synodi Tridentinæ, in quarum prima contra Iconoclastas, in altera contra hodiernos Sectarios fuit actum; in utraque vero usus & cultus imaginum definitus, & determinatus (k). Igitur rem totam ex his Synodis illustrabimus, & quidem

In usu & cultu earum circumspecte agendum.

Duo præcipue huc pertinent decreta Synodorum.

§. XVIII.

Quantum ad usum imaginum, sequentia sunt animadvertenda, & in his populus debite informandus: Primo, licitum esse in genere pingere imagines quasdam saltem, uti Christi, B. V., Sanctorum: etsi de quibusdam olim fuerit dubitatum e.g. de imagine Christi sub specie agni (l) de Angelis (m) de imagine Dei, & sanctissimæ Trinitatis (n) prout infra dicemus. Secundo, usum imaginum non esse necessarium, olim, uti multi existimant, Judæis prohibitum, in tribus primis Ecclesiæ sæculis rariorem; postea frequentiorem, hinc inde tamen temperatum; in se autem esse salutarem, pium & utilem (o). Hæc omnia aut saltem pleraque, si excipiantur historica, apertissime docent decreta utriusque laudatæ Synodi, sicut mox dicemus.

De usu legitimo imaginum.

§. XIX.

Quantum ad cultum imaginum iterum dogma fidei est, eundem oppido quidem non esse necessarium, sed utilem & salutarem. Utriusque Synodi decreta audiamus. Nicæna sic habet: *Statuimus cum omni exacta*

Cultus imaginum non est absolute necessarius; utilis tamen & salutaris.

(k) Utriusque decretum mox afferemus.

(l) Id enim vetuit Synodus Trullana can. 82. usum vero licitum probat communis Ecclesiæ consuetudo tam ante, quam post Synodum Trullanam.

(m) In ipsa Synodo Nicæna desuper fuit mota quæstio, quam dein dissolvit ex dialogo Joan. Thessalonicensis.

(n) De hac mox plura.

(o) Vid. Carolus Witasse Tom. 3. de cult. imag. Sect. IV.

exacta cura & diligentia, similiter ac sanctæ crucis & vivificæ figuram, venerandas, & sanctas imagines palam proponi, quæ coloribus tessellisve constant, aut alia quavis idonea materia in sanctis DEI ecclesiis, in sacris vasis ac vestibus, nec non parietibus & tabulis, ædibus ac viis: nempe tum Domini, ac DEI ac Salvatoris JEsu Christi imagines, tum incontaminatæ Dominæ nostræ sanctæ DEI Genitricis, nec non honorabilium Angelorum, ac Sanctorum omnium, ac piorum Virorum (p). Similiter Synodus Tridentina inquit: *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, ac retinendas, eisque debitum cultum impertiendum* (q). Ut tamen omnis evitetur error in hoc cultu, ambæ Synodi subjungunt rationem, cur imagines sint honorandæ: *Quanto enim frequentius per imaginatam expressionem videntur, tanto magis, qui illas intuentur, ad prototyporum recordationem & desiderium excitantur,* ait Synodus Nicæna (r). Et Synodus Trident. ita pergit: *Non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis suis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput operimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præsertim secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum impugnatores est sancitum.*

Cultus est multiplex. Quoniam vero cultus est multiplex: *absolutus* & *respectivus*, *supremus* & *inferior*, *internus* & *externus*, *positivus* & *negativus*, ex his decretis facile dignoscitur, qualis sacris imaginibus sit cultus impendendus: siquidem cum dicant, hisce imaginibus *nihil inesse divinitatis;* & insuper quod honor illis impensus *referatur ad Prototypa*, aperte sequitur hunc cultum esse *respectivum*. *Cultus respectivus non est ejusdem excellentiæ, ac absolutus prototypi.* Sed neque hic cultus *respectivus* ejusdem est excellentiæ, ac est absolutus *Prototypi*, adeoque non est proprie cultus latriæ; sed inferioris ordinis, prout optime animadvertit Mabillonius in notis ad Synodum Nicænam ex Guillelmo Estio contra plerosque Scholasticos (s), & cum illo hodierni Dogmatici, idque validissimis argumentis tum ex Synodis & Patribus, tum rationibus Theologicis demonstrant, & inter alias etiam ponunt sequentes: partim quod absonum & absurdum videatur, ut idem cultus exhibeatur DEO, & illius imagini, Christo & illius cruci: partim quod inde sequeretur, imagini Christi posse

(p) Act. VII. (q) Sess. 25. in Decreto de Invocat.
(r) Loc. cit. (s) Præfat. 1. in Sæc. quartum N. 19.

ſe offerri ſacrificia: partim quod modus loquendi Scholaſticorum & Catholicis periculum erroris, & hæreticis blaſphemiæ occaſionem præbere poſſet (t). Interim cultum mere negativum, utpote qui in eo duntaxat conſiſtit, quod imagines contumeliis non afficiantur, non ſufficere: cum Patres & Synodi decernant imagines eſſe honorandas; poſitivum vero nec ſemper nec ubique eundem fuiſſe, paſſim docent Theologi. Sed hic ipſe cultus reſpectivus in ſano ſenſu eſt intelligendus, non hoc modo, quaſi vero imago ſit ſolummodo *objectum quo*, Prototypon autem *objectum quod;* ſed ita, ut hujus *honoris reſpectivi objectum quod* ſint ſimul imagines & prototypa: ſiquidem ex mente Patrum, Synodorum & Eccleſiæ ipſæ imagines ſunt colendæ: id quod verum non eſſet, ſi cultus iſte relativus non in ipſas imagines tanquam *objectum quod* redundaret. Hæc in gratiam illorum, qui curæ animarum præſunt, dicere, & ex ipſis Synodorum decretis ſtabilire volumus, quatenus fideles debite circa cultum imaginum inſtruere poſſint, utpote quos non raro in cultu imaginum maxime illarum, quas Thavmaturgas vocare ſolemus, excedere & errare ab experientia ſcimus, neſcio quid divinæ virtutis hujuſcemodi imaginibus ineſſe & ab his profluere exiſtimantes, quidquid beneficiorum vel miraculorum DEUS intuitu devotionis, fiduciæ, fidei & ſpei ex parte fidelium, & patrocinii, ac interceſſionis Sanctorum operari dignatur. Neutiquam hæc ab intrinſeca imaginum virtute profluunt, ſed DEUS ex cauſis ſibi notis ob piam fiduciam fidem & ſpem precantium in his potius, quam aliis imaginibus & locis ſe magis propitium exhibere vult.

Explicatur cultus reſpectivus.

Fideles in cultu imaginum rite ſunt inſtruendi.

§. XX.

Quantum ad picturas & imagines in hac materia non nihil prolixiores erimus, & quædam ex noſtris Adverſariis hic depromemus, quæ, dum adhuc Theologiæ explicandæ] operam dedimus, pro noſtro uſu & in gratiam diſcipulorum ſingulari induſtria collegimus. Occaſionem nobis præbuit Epiſtola Pontificia, quam Benedictus XIV. anno 1741. in cauſa Venerabilis Creſcentiæ ad Epiſcopum Auguſtanum dedit, de qua mox plura. Tres præcipue Quæſtiones diſcutiemus: primo, quales imagines pingere liceat? Secundo quomodo & in quibus formis & figuris? Et tertio quid Epiſcopis & Eccleſiarum Præſulibus in hac re ſit faciendum?

Q 2 Quan-

(t) Witaſſe loc. cit. Sect. 6.

Fingi possunt imagines rerum corporalium etiam ex mente hæreticorum. De imaginibus rerum incorporalium dubitatur.

Quantum ad primum: Dubium non est, quin aliquæ saltem imagines, quales sunt Christi, B. V. & Sanctorum pingi possint: id quod nec Hæretici negare audent, dummodo non pingantur in ordine ad cultum eisdem exhibendum; sed ad alium finem, fortassis ad excitandam in nobis memoriam mysteriorum redemptionis, fidelium instructionem, homines excitandos ad exemplarium imitationem. Itaque de imaginibus rerum invisibilium & incorporalium potissimum e. g. Dei, Sanctissimæ Trinitatis, & Angelorum dubitatur. Ratio dubitandi gravissima est, quod Deus sit incorporeus, immaterialis, invisibilis, illimitatus, & eo ipso circumscribi, sculpi, in figuram fundi, tornari, texi, pingive, aut effigiari non sustineat. *Injuria hæc summa est*, ait Pfaffius (u), *Deum effigiare, repræsentare, sistere in imagine. Injuria est Sacrosanctæ Trinitatis personas in monstrosam quandam figuram compingere, vel in plures dividere: cum una earundem essentia sit; vel formam Patri humanam, vel Spiritui S. formam dare volucris, aut elementi, quod est ignis.*

Usque ad Sæc. XIII. fuit dubitatum de imaginibus Dei, & Sacrosanctæ Trinitatis pingendis.

Rem prius historice examinemus. Id præprimis certum est ad sæc. usque 13. & ultra fuisse dubitatum, an Deum, & præcipue Sacrosanctam Trinitatem, vel etiam Personas singillatim pingere liceat. Id non licere quamplurimi Patres & Scriptores tam ante quam post Synodum Nicænam II. docuere. Et quidem ante Hæresin Iconoclastarum Tertull. in Apolog. Clemens Alexand. l. 6. Strom. Origenes lib. 8. contra Celsum, Minutius Felix in Octav. Lactantius lib. 2. instit. cap. 2. id diserte asserunt. Quo tempore hæresis Iconoclastarum invaluit, idem asseruit Joan. Damasc. dicens: *Quis est, qui invisibilis, & incorporei incircumscriptique ac figura vacantis Dei simulachrum effingere queat? unde extremæ dementiæ ac impietatis fuerit Deum figurare.* Et alibi (x): *in errore quidem versaremur, si vel invisibilis Dei conficeremus imaginem; quoniam id, quod corporeum non est, nec visibile, nec circumscriptum, nec figuratum, pingi omnino non potest.* Item Gregorius II. in epist. ad Leonem Isaurum, quæ præfixa est Actis Concilii Nicæni II. ita scribit: *Cur Patrem Domini nostri JEsu Christi non oculis subjicimus, ac pingimus? quoniam quis sit, non novimus, Deique natura spectanda proponi non potest, ac pingi.* Ipsa Synodus Nicæna de imaginibus SS. Trinitatis altum siluit: quia, ut ait Mabillonius (y), *eas necdum admittebat ætas illa.* Post Synodum Nicænam, cui, sicut notum est, multum contradixere Patres

(u) Differt. de eo, quod licitum est circa picturam imaginum SS. Trinit.

(x) Lib. 4. de fid. Orthod. Cap. 16. & Orat. 2. de imag. Cap. 5.

(y) Præfat. 1. in Sæc. IV. §. 3. N. 19.

Patres Francofurtenses, ita scribit Carolus M.: *Si DEUS incorporeus est, necesse est, ut corporaliter pingi non possit. Igitur invisibilis est, & incorporeus prorsus corporalibus materiis pingi non potest* (z). Prætereo quamplurima alia testimonia ad sæc. usque 13. Durandi (a), Abulensis (b), Henrici Gandavensis (c), Alensis, Bonaventuræ: In lucem prodeat S. Thomas Aquinas ita scribens: *Deo, cum sit incorporeus, nulla imago corporalis potest poni, quia ut Damascenus dicit, insipientiæ summæ est, & impietatis figurare, quod est Divinum* (d). Accedat Joan. XXII., qui teste Aventino (e) *illos, qui in finibus Bohemiæ atque Austriæ supremam illam Majestatem Senis, Adolescentis, & Columbæ imagine pingebant, læsæ Majestatis accersivit, Antropomorphitas renuntiavit, quosdam ad ignem condemnavit.* Omitto alios plures Doctores & Theologos Catholicos, præcipue autem Protestanticos, Reformatos ad unum ferme omnes; item Remonstrantes, quos allegat Pfaffius (f). Demum Ecclesia Græca in hodiernam usque diem nullas Dei & Trinitatis imagines admittit (g).

Ex omni jure licet pingere imagines Dei & S.S. Trinitatis.

Quidquid de his sit, tenenda est doctrina Ecclesiæ Catholicæ tradentis licitum esse imagines Dei & Sanctissimæ Trinitatis pingere: cum id nullo jure naturali, divino aut humano esse prohibitum legatur. Non jure naturali: eatenus enim id foret prohibitum, quatenus repugnat, ut substantia immaterialis, spiritualis, immensa per substantiam corporalem, materialem, finitam effingatur. Verum nemo usque nunc somniavit, quod Deum prout est in se effingere, veramque illius imaginem; sed potius sub figuris, sub quibus in Scripturis apparuisse legitur, exhibere velit. Non jure divino: quia de ea in Testamento novo non constat; lex autem illa vetus fuit mere cæremonialis ac proinde per Evangelii promulgationem abrogata. Nunquid Deus ipse sub formis sensibilibus apparere dignatus est? sic Adamo apparuit tanquam homo deambulans in Paradiso ad auram post meridiem (h): Jacob vidit Deum innixum scalæ (i) Filius Dei luctabatur in forma Viri cum Jacobo (k). Moyses vidit posteriora Dei (l). Isaias (m) & Micheas (n) vi-

Naturali.

Divino.

(z) Lib. 2. contra Synod. Nicæn. cap. 16.
(a) Lib. 3. sent. dist. 9. q. 2. (b) In Deut. q. 5.
(c) Quodlib. 10. cap. 6. (d) 3. part. q. 25. art. 3. ad 1.
(e) Annal. Boic. cap. 15. n. 17. (f) Cit. Dissert. pag. 7.
(g) Idem pag. 8. (h) Genes. 3. (i) Genes. 28.
(k) Genes. 32. (l) Exod. 33. (m) Isaiæ 6.

(n) vidit Dominum ſedentem in ſolio. Daniel deſcribit Deum tanquam venerabilem ſenem (o). Apud Matthæum Spiritus S. ſub Columbæ ſpecie in Chriſtum deſcendit (p). Et in die Pentecoſtes in ſpecie ignitarum linguarum apparuit (q). Nonne ipſæ ſanctiores literæ Deum in humana forma effigiant, ipſique tribuunt faciem, oculos, aures, nares, os, cervicem, brachia, manus, dextram, digitum, cor, viſcera, ſinum, pedes, affectus & actiones humanas? in ſpecie loquelam, inceſſum, ſenſus omnes, thronum, in quo ſedeat; ſcabellum, cui pedes innitantur; habitaculum, & quæ ejusmodi ſunt? quæ omnia in Scripturis ſacris expreſſa leguntur. Jam ſi in his formis ipſe ſe repræſentavit Deus, quid impediat, quo minus & ita pingi, & effigiari poſſit? itane ergo haud liceat hiſtorias ſacras pingere, & repræſentare penicillo perſonas ea figura, quam ſacras literas tradere videas? quis carpit figuras æri inciſas Bibliis etiam Lutheranis adjectas, id phantaſiæ repræſentantes, quod ſcriptum eſt? Non jure poſitivo humano: quia licet antiquior Eccleſia hujusmodi imagines ignoraverit, aut quodammodo abhorruerit, Eccleſiæ tamen junioris uſus eas introduxit, & Synodus Tridentina approbavit.

Poſitivo humano.

Imagines SS. Trinitatis non ſunt multiplicandæ, & caute pingendæ.

Quantum ad ſecundum, optime monet Bellarminus, ſacras imagines SS. Trinitatis non eſſe multiplicandas; nec tolerandum, quod Pictores audeant ex proprio capite confingere hujusmodi imagines: ut, quando pingunt unum hominem cum tribus faciebus; vel unum hominem cum duobus capitibus, & in medio eorum Columbam: iſta enim quædam eſſe monſtra, & magis ſua deformitate offendere, quam ſua ſimilitudine juvare videntur (r). Contra hunc abuſum conqueſti ſunt pridem Doctores & Scriptores celeberrimi, S. Antoninus dicens: *Reprehenſibiles etiam ſunt, cum pingunt ea, quæ ſunt contra fidem, cum faciunt Trinitatis imaginem unam perſonam cum tribus capitibus, quod monſtrum eſt in rerum natura* (s). Et Joannes Gerſon in ſerm. de Nativ. Domini plures hujusmodi imagines ſuo tempore pictas rejicit (t). Ut nihil dicamus de aliis Scriptoribus etiam Catholicis, qui omnes imagines SS. Trinitatis rejeciſſe videntur (u). Quapropter cum imagines SS. Trinitatis non ad naturam Dei, ſed ad repræſentandas apparitiones

(n) 1. Reg. 22. (o) Dan. cap. 7. (p) Matth. 3.
(q) Act. 2. (r) Tom. II. Controv. l. 2. cap. 8.
(s) In Summa Theol. part. 3. Tit. 8. cap. 4. (t) Tom. 3. fol. 947.
(u) Jac. le Fevre Theolog. Sorbonicus, Natal. Alex. Hiſt. Eccleſ. Sæc. VIII. Diſſert. 6.

ritiones & formas, ſub quibus tres perſonæ apparuerunt, effingantur, in id plerique Theologi ſæculis poſterioribus convenere, quidquid pauciores contradicant (x), Sanctiſſimam Trinitatem & Perſonas ſingillatim non aliter licere pingere, quam in figuris, ſub quibus in Scripturis apparuiſſe leguntur. Hujus doctrinæ eſt etiam Benedictus XIV. in ſua epiſtola, quam ſcripſit ad Sereniſſimum Epiſcopum Auguſtanum, & nos ſupra citavimus, ubi præcipit, ut imagines, in quibus Spiritus S. ſub forma ſpecioſi Juvenis depingitur, e medio tollantur: eo quod in ſacris Scripturis nullibi ita apparuiſſe legatur.

Sanctiſſimam Trinitatem & perſonas ſingillatim aliter pingere non licet, quam in figuris, ſub quibus in Scripturis apparuerunt.

Imagines autem, ſub quibus SS. Trinitas efformari ſolet, potiſſimum ſequentes circumferuntur: primo Pater in forma venerabilis Senis, in ſinu illius Filius unigenitus, ſive qua homo vivens, ſive qua mortuus & crucifixus, & inter utrumque Spiritus S. in forma Columbæ. Secundo duæ Perſonæ, Pater in forma Senis, & Filius quodam intervallo ſejunctus, & inter utrumque Spiritus S. in forma Columbæ. Tertio depingitur SS. Trinitas in imagine exhibente tres Perſonas ſtatura, ætate, omnibusque aliis lineamentis æquales. Quarto in figura tribus capitibus inſtructa. Quinto viſa eſt etiam imago B. Virginis totam Sanctiſſimam Trinitatem in utero gerentis. De his quæritur, quænam ſit admittenda, vel reprobanda? Prima & ſecunda communiter a Theologis admittitur: tertia a quibusdam, nominatim a Thoma Waldenſi, & Molano admittitur; ab aliis vero rejicitur: quartam defendit Valentia; ſed ab aliis communiter reprobatur: quinta omnino videtur reprobanda.

Referuntur imagines, ſub quibus Trinitas efformari ſolet.

Quænam ex his admittenda?

Quoad Perſonas ſingillatim ſpectatas dubitatur, an Pater in forma Venerabilis Senis; Filius in forma hominis, vel etiam agni; Spiritus S. in forma columbæ, vel etiam ignitarum linguarum, ſub qua in die Pentecoſtes apparuit, vel etiam ſpecioſi Juvenis, ſub qua Venerabili Creſcentiæ in dies magis magisque inclareſcenti apparuiſſe dicitur, pingi poſſint?

Jam quæ ſit doctrina communior Theologorum in hac materia diſpiciamus: In eo ferme omnes conveniunt, quod non liceat pingere SS. Trinitatem quaſi ſub utero B. Virginis; nec ſub figura tribus capitibus inſtructa: quia ſub his formis nullibi apparuiſſe legitur. Et quidem contra primam formam ſpecialis ratio militat: quod hæc imago poſſet dare occaſionem graviſſimo errori: cum videatur indigitare, quaſi vero tota SS. Trinitas carnem humanam ex Virgine aſſumpſerit. Contra

Exponitur communior Theologorum doctrina.

(x) Vid. Pfaffius loc. cit. pag. 16. & ſeq.

Contra secundam facit, quod inprimis, sicuti testantur gravissimi Authores, Urbanus VIII. anno 1628. 11. Augusti similes imagines comburi jusserit. Accedit, quod S. Antoninus supra citatus eas reprobaverit tanquam monstrosas: cum pingant ea, quæ sunt contra fidem. Et sane hujusmodi imago est ineptissima ad repræsentandam SS. Trinitatem: siquidem Mysterium Trinitatis importat tres personas, & unam naturam. Talis imago autem repræsentat quidem unam naturam; sed non tres personas: quia utique non solum caput efficit personam.

Quænam imagines sint dubiæ, utrum pingi valeant?

Ulterius incertum est, an pingere liceat SS. Trinitatem sub forma trium Personarum statura, ætate, omnibusque lineamentis omnino æqualium: tum quod gravissimi Authores eam reprobent: tum quod incertum prorsus sit, an sub tali forma apparuerit. Nam si ita apparuisset, tunc in valle Mambre, ubi Abrahamo apparuisse legitur (y): qui cum *elevasset oculos, apparuerunt ei tres Viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terram, & dixit: Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum*, & unus duntaxat Abrahamo respondit: *dixit autem Dominus ad Abraham* &c. Super quibus ipsa canit Ecclesia: *tres vidit, & unum adoravit*, qua in visione S. Augustinus (z) Rupertus (a) Suarez (b). Cornelius a Lapide, Du Hamel (c), aliique putant, repræsentatam fuisse SS. Trinitatem in tribus Personis, & una substantia. Ast contradicunt Augustino multi Patres, existimantes, quod duo ex tribus, qui Abrahamo apparuerunt, fuerint Angeli; tertius autem Filius Dei: quæ doctrina teste Calmet frequentiori Expositorum calculo fuit approbata: Contradicunt Hebræi, putantes, tres illos fuisse tres Angelos, Michaelem, Gabrielem & Raphaelem: Contradicunt plures Scripturæ Interpretes, in specie Tostatus & Tyrinus (d), & hoc ipso sat tuto hæc imago tolerari non potest. Addere liceat alia argumenta Theologica, inter quæ illud fortissimum, quod, ut rite & debite exprimatur SS. Trinitas, non natura & personæ quomodocunque; sed unacum suis notis ac characteribus, quibus possunt ab invicem discerni, exprimendæ sint: at vero hæc imago non exprimit tres notas & characteres Patris, Filii, & Spiritus S. Accedit demum, quod omnis novitas sit fugienda, ea præcipue, quæ posset inducere in errores & periculosas suspiciones: hæc autem figura certe est nova, & quam facillime

(y) Genes. 18. (z) Lib. 2. de Trinit. cap. 20.
(a) Lib. 5. Comment. in Genes. cap. 38. (b) Lib. 6. de Angel. cap. 20.
(c) Vid. Bened. XIV. in cit. Epist. (d) Idem Pontifex loc. cit.

lime ingerere poteſt varios errores, circa Myſterium SS. Trinitatis, unitatem naturæ & Trinitatem Perſonarum, generationem Filii, & Proceſſionem Spiritus S.; & eo ipſo proſcribenda, prohibenda, & eliminanda.

Econtra approbata & tuto permittenda eſt imago SS. Trinitatis repræſentans Patrem in forma Venerabilis Senis; Filium in forma Viri Grandævi aut modico intervallo a Patre ſejunctum, vel in ſinu Patris ſive vivum ſive mortuum & crucifixum; Spiritum S. vero tanquam medium in forma Columbæ: quia hæc imago habet fundamentum graviſſimum in Scripturis ſacris, & tres Perſonas repræſentat ſub iis figuris, in quibus apparuiſſe leguntur: Pater enim in forma Venerabilis Senis apparuit apud Danielem (e). *Antiquus dierum ſedit:* Filius in forma humana non modo apparuit, verum etiam illam per unionem hypoſtaticam aſſumpſit, & in eadem ſeſe ſpectabilem qua vivum & qua mortuum manifeſtavit: Spiritus S. vero in Columbæ ſpecie apparuiſſe expreſſe legitur (f). Nec obeſt, quod hæc imago ſolummodo tres Perſonas; non vero unicam repræſentet naturam: Nam in contrarium pugnat: tum quod imagines Dei non fiant ad repræſentandam naturam Dei; ſed ad repræſentandas apparitiones: tum quod hic agamus de pingenda SS. Trinitate, adeoque, eſto debeat haberi ratio, ut tres perſonæ cum ſuis notionibus depingantur, non tamen tanta habenda eſt ratio ipſius naturæ, quæ involvitur quidem in Myſterio Trinitatis, non tamen exprimitur: ſicut quando depingitur homo, non opus eſt, ut ipſa natura exprimatur. Atque hæc ipſa eſt ratio, quod licet tres Perſonæ ſimul & ſemel in his figuris non apparuerint, nihilominus tamen hac ratione depingi poſſint: quia hæc imago principaliter debet repræſentare Trinitatem. Sed nec ulterius obſtat, quod Filius nunquam apparuerit, tanquam mortuus & crucifixus: cum enim in conſpectu innumerabilis populi expiraverit, & a tot hominum millibus veluti mortuus Jeroſolymis viſus fuerit, eccur non ſub hac forma illum depingere liceat?

Quænam imago approbata?

Hactenus de pingenda imagine SS. Trinitatis. Jam de Perſonis ſeorſim ſpectatis. Et quidem quoad Patrem communis doctrina uſu communi Eccleſiæ approbata eſt, quod Pater in forma Venerabilis Senis depingi

Quomodo tres perſonæ ſeorſim ſpectatæ pingi poſſint?

(e) Cap. 6. v. 9.

(f) Id teſtantur omnes quatuor Evangeliſtæ vid. Matth. 3. v. 16. Marc. 1. v. 10. Luc. 3. v. 22. Joan. 1. v. 32.

An Pater in forma Venerabilis Senis?

pingi poteſt: quia non raro ſeorſim a cæteris Perſonis apparuiſſe in Scriptura legitur. Sic Geneſis 3. Adam audivit vocem Domini in paradiſo deambulantis: Geneſ. 28. innixus ſcalæ viſus eſt Jacob, Exod. 33. v. 23. Moyſi ſe mirum in modum videndum præbuit. Iſaiæ 6. v. 1. tanquam Rex in ſolio ſedens apparuit Prophetæ: & Danieli 6. v. 7. velut Senex albo veſtimento veſtitus ſe videndum præbuit.

An Filius in forma hominis & agni?

Quoad Filium, hic recte pingitur tam in forma hominis, quam in figura Agni. Ratio primi eſt, quod Chriſtus formam hominis aſſumpſerit, in ea cum hominibus vixerit, converſatus, & mortuus fuerit. Ratio ſecundi eſt, quod Chriſtum veluti *Agnum* exhibeat Prophetia Iſaiæ: *Tanquam agnus, qui ducitur ad victimam* (g); Illum tanquam *agnum* demonſtret Joan. Bap. (h). *Ecce! Agnus Dei;* Joan. Evang. in ſua Apocalypſi (i); & B. Petrus in ſua Epiſtola prima (k). Jam in primitiva Eccleſia Chriſtum veluti *Agnum* fuiſſe depictum demonſtrant vetuſtiſſima hujusmodi picturarum exemplaria, quæ reperiuntur in cryptis, cœmeteriis, & Baſilicis Romæ erectis. Eandem imaginem approbavit Hadrianus Papa in epiſt. ad Tarraſium ſcripta, quæ in Synodo ſeptima fuit lecta (l).

An Spiritus S. in forma columbæ & ignitarum linguarum?

Quoad Spiritum S. pariter doctrina communis eſt, quod pingi poſſit tam in forma Columbæ; quam in forma ignitarum linguarum cum aliqua tamen reſtrictione, nempe ſi Myſterium Miſſionis ſuper Diſcipulos in die Pentecoſtes factum repræſentari contigerit. Ita cit. Pontifex in ſua Epiſt. ad Epiſcopum Auguſtanum data. Rationes pro forma columbæ Pontifex affert ſequentes: Primo, quia Spiritus S. in forma columbæ apparuit, ſicut teſtantur omnes Evangeliſtæ. Secundo adſtipulatur vetus Eccleſiæ diſciplina, de qua teſtatur S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, qui ſæculo quinto ineunte in epiſt. ad Severum deſcribens picturas in Baſilica S. Petri jam tum exiſtentes ita cecinit:

Pleno coruſcat Trinitas myſterio,
Stat Chriſtus agno, Vox Patris cælo tonat,
Et per columbam Spiritus S. fluit,
Crucem corona lucido cingit globo.

Tertio hujusmodi imagines paſſim occurrunt in antiquis monumentis: conſtat enim, Spiritum S. olim in imagine columbæ repræſentatum fuiſſe ſuper altaria, Baptiſteria, ambones ſacros, crucem, tumulosque Marty-

(g) Cap. 53. (h) Joan. 1. v. 29. (i) Apocal. cap. 5.
(k) 1. Pet. 1. v. 19. (l) Synod. Nicæna II.

Martyrum, thecasque in forma columbæ factas (m). Quarto Xenaias Catechumenus in Synodo septima damnatus est, cum ausus esset dicere, non licere Spiritum S. sub columbæ specie repræsentare. Verba Concilii hæc sunt: *Inter cætera autem dicebat, & hoc esse puerilis animi fingere in columbæ idolo ter adorabilem Spiritum sanctum &c.* Plura videantur passim apud Scriptores sacros (n). Et licet Pfaffius non sine gravi ratione asserat, dubitari posse, num ex Evangelistis pateat, Spiritum S. corpus vel formam columbæ assumpsisse, quia verba Scripturæ non necessario de *forma columbæ* intelligi debent, sed potius *de modo descendendi ad instar columbæ* intelligi possunt (o), attamen prævalere debet authoritas, praxis & consuetudo Ecclesiæ antiquioris & novioris, prout ille ipse author fatetur dicens: *Licueritne hic contra torrentem & veterum & recentiorum cum paucis ex his navigare?*

Dubitatur an Spiritus S. formam columbæ assumpserit.

Ratio autem secundi est, quod Spiritus S. in forma ignitarum linguarum apparuerit in die Pentecostes super discipulos, sicuti legitur in actibus Apostolorum & sacris Evangeliis. Dictum fuit notanter *cum aliqua restrictione:* quia extra occasionem pingendi mysterium Missionis sub tali forma pingere Spiritum S. non licet: eo quod, sicuti dicit laudatissimus Pontifex, ex usu & consuetudine Ecclesiæ, dum Spiritus S. in forma ignitarum linguarum depingitur, non tam ipse Spiritus, quam mysterium peractum nobis repræsentatur.

Non licet indistinctim Spiritum S. pingere in forma ignitarum linguarum.

Post hæc Pontifex multis inquirit, utrum liceat pingere Spiritum S. in forma speciosi Juvenis, in qua Venerabili Crescentiæ apparuisse dicitur: & demum resolvit id non licere. Rationes illius sunt sequentes. Primo hæc imago non habet fundamentum in Scriptura, est insolita, & intuentibus falsi dogmatis imagines, aut rudibus periculosi erroris occasionem præbere potest, & hoc ipso reprobanda. Inprimis nullibi Spiritus S. sub forma speciosi Juvenis se videndum exhibuisse in tota Scriptura legitur: Vel si hæc imago quod habet fundamentum, tunc vel Genes. 18. ubi Abrahamo tres Viri apparuisse leguntur; vel in eo, quod imago SS. Trinitatis possit pingi sub forma trium Virorum sibi invicem statura, ætate & quoad cætera æqualium. Verum enim vero cum illa doctrina exponens locum Scripturæ de apparitione trium Personarum divinarum sit valde incerta, non satis tuta, non sufficientibus funda-

An liceat Spiritum S. pingere in forma speciosi Juvenis?

Reprobat has imagines Benedictus XIV. summus Pontifex.

(m) Vid. Pfaffius in cit. Differt.

(n) Vid. Lupus in Differt. de Synodo generali VII. Mabillonius de liturg. Gallic. lib.1. cap.8. Binghamius in Orig. Eccles. Vol.III. pag.235. Vol.IV. pag.410.

(o) Differt. de imag. SS. Trinit. pag. 24.

fundamentis innixa; ille usus vero pingendi SS. Trinitatem sub forma trium Virorum sibi invicem penitus æqualium non sit canonicus, non pacifice in Ecclesia receptus, non ab Ecclesia rite approbatus, non erit sufficiens ad hoc, ut liceat talem imaginem pingere. Secundo demus illam doctrinam esse legitimam, illum usum esse legitimum, quid sequitur? Hoc nempe, quod liceat pingere tres Viros statura, ætate & quoad cætera sibi æquales: neutiquam vero, quod Spiritum S. seorsim a duabus reliquis personis in humana specie, & quidem sub forma speciosi Juvenis pingere sit licitum: quia apparitio facta Abraham non fuit unius Viri; neque Spiritus S. unquam sub forma speciosi Juvenis apparuisse legitur. Esse vero hanc imaginem novam & insolitam aliunde clarum est. Quis enim unquam aut legit, aut audivit, quod Spiritus S. sub tali forma effigiatus fuerit? Tertio hæc imago occasionem periculosi erroris præbere potest: quia in animos intuentium revocare potest errorem illorum, qui asseruerunt, quod Spiritus S. humanæ conditionis naturam assumpserit, de quibus loquitur S. Cyrillus Hierosolymitanus (p). Atque hæc sunt præcipua argumenta, quibus Pontifex usum harum imaginum rejicit, & reprobat, ubi duo potissimum esse inquirenda pronuntiat: Primo, an Soror Crescentia istas imagines invenerit, vulgaverit, & approbaverit? Secundo, an earum usus, expressio & cultus sive intra sive extra Ecclesias admitti possit? Primam quæstionem examinandam relinquit iis, quibus cum tempore in virtutes Crescentiæ inquirere contigerit. Alteram ipse fuse pertractat, & inprimis zelum Apostolicum Episcopi Augustani, quo hujusmodi imagines huc illucque sparsas, & per cœnaculum, per Ecclesiam, per chorum expositas auferri & removeri jussit, laudat & approbat; ac dein, ut suo proposito constanter adhæreat, hortatur, monetque, imo mandat. Verba sunt sequentia: *Te hortantes, imo etiam authoritate, qua fungimur, mandantes, ut in suscepto proposito firmiter constanterque perseverans nullo modo permittas hujusmodi icones ulterius multiplicari: quascunque vero ullibi existere compereris, eas omnes & singulas de medio tollas adhibitis iis authoritatis simul prudentiæque tuæ remediis, quibus optatum finem sine turba ac tumultu consequi posse judicaveris.* Nobis nec vacat nec licet sapientissimi hujus Pontificis doctrinam discutere, & ab ulteriori discussione eo libentius abstinemus, quo magis Venerabilis hæc Soror fama sanctitatis apud populum christianum inclarescere incipit. Hæc de figuris, formis & imaginibus.

Duo salubria monita laudatissimi Pontificis.

Quan-

(p) Catechef. XVI.

Quantum ad tertium, quid nempe Episcopis & Ecclesiæ Præsulibus hac in re disciplinari sit agendum: tria potissimum ad officium pastorale tam Episcoporum quam Parochorum pertinere videntur, quorum primum est, ut populum & plebem sanam de imaginibus, earumque usu & cultu doctrinam doceant; alterum, ut ipsarum imaginum curam habeant; tertium, ut immodicum imaginum cultum juxta regulas Ecclesiæ, prudentiæ, & discretionis Christianæ restringant.

Quænam ad officium Præsulum Ecclesiæ pertineant in hac materia de usu & cultu imaginum?

Ordiamur a primo, id est a doctrina, quam de imaginibus, earumque legitimo usu & cultu tradere debent Episcopi. Si consulamus Synodos tam generales, quam particulares, præcipue Synodum Tridentinam, iterum ad tria potissimum in doctrina Christiana reflectendum est Episcopis; nempe ad ipsas imagines; ad scopum & finem illarum exponendum; & ad cultum rite explicandum. Quoad imagines, illas præcipue, quæ nobis DEUM, Trinitatem, vel Personas singillatim repræsentant, id præcipue cavendum, ne populus rudis falsam de imaginibus ideam sibi faciat, sicque in turpissimos labatur errores: id quod duplici modo contingere potest: Primo, quando populus rudis falso errore sibi persuasum habet, quod DEUS prout est in se depingatur: & hoc modo in errorem Antropomorphitarum, vel alium æque gravem aut graviorem incidit. Secundo, dum imaginibus nescio quid divinitatis aut certe intrinsecam quamdam virtutem patrandi miracula aut effundendi beneficia inesse existimat. Utrumque errorem præcavit Synodus Tridentina; primum quidem per verba: *Non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit* (q); Alterum in verbis: *Non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat in gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.*

Debent docere populum Christianum quid sit imago, quis finis & scopus imaginum, & quis cultus impendendus?

Quæ sit doctrina quoad ipsas imagines?

In eo ergo consistit vera doctrina Catholica, quod in his imaginibus non DEUS ipse prout est in se, sed prout apparuit, se se videndum præbuit, ac phantasiæ Prophetarum in visione, ecstasi & somno obtulit, depingatur; hæque imagines non sint formæ physicæ divinitatis, vel Trinitatis, vel Personarum divinarum; sed morales formarum externarum, in quibus DEUS apparuit, harumque adumbrationes morales & meta-

Quæ sit doctrina Ecclesiæ quoad ipsas imagines?

(q) Sess. 25. in Decreto de Invocat.

phoricæ, præsentiæque ipsarum externa signa ad prototypum repræsentationis sacræ efficta. Et quis similes formas pingi posse negaverit? utique hoc modo in sacris literis nobis repræsentantur. Literam impune imitatur penicillus. Illa autem beneficia, quæ ex cultu imaginum, illarum præcipue, quas *Thaumaturgas* appellamus, a DEO recipimus, intuitu devotionis, fiduciæ, fidei & spei nostræ a DEO in cultu respectivo hujus vel illius imaginis ex causis sibi soli notis singulariter complacente obtinemus. Quapropter Synodus Moguntina anno 1549. Can. 42. pravæ superstitioni viam præcludere volens omnibus locorum Ordinariis sapientissime injunxit, *ut si forte in territoriis suis ad imaginem aliquam concursus fieri, & homines ad ipsius imaginis figuram respectum habere, & quasi quamdam divinitatis opinionem illi attribuere animadverterint, ipsam imaginem pro causæ qualitate aut tollant, aut mutent, & aliam a prima notabiliter differentem reponant, ne rudis populus in suo intellectu depressus, & ideo per media corporalia ad divina erigendus, spem suam contra Ecclesiæ intentionem, in corporali, & quidem certa imagine, privata phantasia atque inhæsione collocet, quasi in illa sit quædam necessitas, ut per eam, & non aliter, inducatur DEUS & Sancti id facere, quod petitur.*

Maxime Thaumaturgas.

Quis scopus & finis imaginum?

Scopum vero & finem imaginum jam pridem brevi verborum compendio expressit S. Gregorius lib. 7. epist. 110. Sereno Episcopo Massiliensi inscripta, in qua sic legitur: *Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas, & illas servare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & literarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minime peccaret* (r). Idcirco usum imaginum supra usum librorum extollere videtur Synodus septima Act. 6. dicens: *Lectio enim minus non nunquam recitatur in venerabilibus templis; imaginalis vero formatio vespere, mane, & meridie tanquam in eis stabilita narrat nobis & annuntiat veritatem gestorum.* Hæc fusius & clarius nobis exponit Synodus Trident. dum dicit: *Illud diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis picturis, vel aliis similitudinibus expressas erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia DEI per Sanctos miracula & salutaria exempla oculis fidelium*

(r) Idem latius exponit lib. 9. epist. 9.

delium subjiciuntur, ut pro iis DEO gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum DEUM, & ad pietatem colendam. En! scopum & finem, in quem Ecclesia dirigit usum & cultum imaginum, nempe ut per eas, earumque repraesentationes, maxime si de rudiori plebe loquamur, veluti erudiamur & confirmemur in fide, beneficiorum DEI in nos copiosissime effusorum admoneamur, ad pietatem accendamur, ad imitationem incitemur, ac demum mysteriorum religionis memoriam perpetuam in nobis conservemus. Pulcherrime hæc exprimit Synodus Cameracensis (s) dicens: *Prœterea admoneatur populus, imperitæ plebis causa maxime positas esse imagines, ut illarum aspectu docti & moniti patrocinium Divorum & pietatem in Christo conservemus, & eorum vitam imitemur.*

Quoad cultum imaginum docendus est populus, ut sciat, quid in imagine colatur.

De cultu imaginum, & doctrina, quam desuper tenet sancta Mater Ecclesia, supra actum fuit. Ad id præcipue attendant Pastores animarum, ut rudi plebi expònant, quid in imaginibus colendum, videlicet imago cum respectu ad Prototypon; & quare sint colendæ, nempe *non quod ipsis aliqua inesse credatur divinitas*, prout loquitur Synodus Trident. in textu mox ante citato; sed quia honos refertur ad prototypum; non propter materiam aut elegantiam, aut propter pretium; sed propter rem significatam, uti ait Synodus Cameracensis I. (t), cujus integrum textum apponere juvat: *Doceatur prœterea populus imagini cultum nullum deberi aut propter materiam, aut propter elegantiam, aut propter pretium operis, aut propter quidvis aliud, quod sit in artificio, aut imaginis substantia; sed propter rem significatam, ad quam hic cultus & honos præcipue refertur. Et sic admonendus est, animum orantis aut venerantis in rem significatam referri, & non in signum, quod nec audit, nec videt, nec sentit.*

Altera cura Episcoporum esse debet ipsarum imaginum, ne quid falsi aut periculosi pingatur.

Alterum, quod ad curam Episcopalem & pastoralem pertinere diximus, est ipsa cura imaginum, de qua supra egimus, ubi ex Bellarmino monuimus, coërcendam esse licentiam pictorum, ne in sua arte excedant, & falsas erroneasque imagines oculis nostris obtrudant, & rudem plebem in nescio quos errores inducant. Quemadmodum ergo Ecclesia semper solicita fuit, ne quid falsi in divino officio aut publice in ecclesiis prælegeretur, ne ipsa lectio populo erroris occasionem præberet, ita quoque cavendum est, ne in ipsis picturis & imaginibus quidquam falsi exprimatur, ne alias ex ipsis imaginibus in errorem & falsitatem.

(s) Tit. de imag. cap. 4.

(t) Titul. de imagin. cap. 3.

tem populus incidat: quemadmodum monet Synodus Tridentina, vehementer exoptans, *ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur.* Et S. Carolus in Synodo Mediolanensi (u) ait: *Illud inprimis caveant Episcopi, ne quid pingatur, aut sculpatur, quod veritati Scripturarum, traditionum, aut ecclesiasticarum historiarum adversetur, ne cujus lectio prohibetur, ejus imago populo proponatur.* Hac de re plura supra diximus, ubi de pingendis imaginibus SS. Trinitatis egimus, utpote quas antiquior ætas teste Mabillonio non admisit, & Romana Ecclesia ad tempora usque Nicolai I. teste Christiano Lupo (x) ignoravit. Ex hac ipsa causa puerperium B. Virginis decumbentis & ægrotantis non esse pingendum ostendit celeberrimus Molanus in historia SS. imaginum (y): eo quod ex hujusmodi imagine rudiores facile in eum perniciosum errorem induci possunt, quod B. Virgo ad instar aliarum mulierum dolores partus fuerit experta, & puerperium subierit.

Superstitio vel maxime in usu imaginum præcavenda.

Ulterius cavendum ex mente Synodi Tridentinæ, *ut omnis superstitio in imaginum usu tollatur* (z). De hoc abusu tollendo scribit citatus Molanus (a), quod sicut Synodus Cameracensis sub Maximiliano Archiepiscopo celebrata abominandam dicit esse vanitatem & superstitionem eorum, qui certo pollicerentur, non ex hac vita migraturos sine pœnitentia & sacramentis, qui hunc illumve ex Divis coluerint: sic etiam vanissimæ superstitionis arguendum est, si quid tale alicubi imaginibus subscriptum habeatur, vel si historiæ & miracula ita repræsentantur, ut ex ea repræsentatione populus in hanc abominandam vanitatem & superstitionem haud difficulter induci posset.

Item lascivia, levitas, & procax venustas.

Præterea jubet demum Synodus Tridentina, *ut omnis lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur.* Postremo: *tanta circa hæc diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum aut præpostere & tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum Domum DEI deceat sanctitudo.* Huic decreto conformiter statuit Synodus Mechliniensis (b), *ut e templis & locis sacris tollantur imagines, sculpturæ, aulæa, quæ gentilitatem aut mendaces Ethnicorum fabulas Satyrorum, Faunorum, Sirenarum, Terminorum, & Nympharum, ac id genus alia repræsentant; Similiter quæcunque figuræ lascivæ, procaces, & ob pudendam nuditatem, vel alias obscœnæ &*

(u) Tit. 1. cap. 7.
(x) Tom. 2. Scholiorum in Canones pag. 1175.
(y) Lib. 2. cap. 27.
(z) In sæpius citato Decreto.
(a) Lib. 2. cap. 33. & 35.
(b) Tit. de imaginibus.

& superstitiosæ, quæ fidelium mentes a religione & devotione abstrahunt, & sæpius graviter offendunt. In hanc rem juvat audire Mabillonium, qui hæc omnia verbis prægnantissimis & exemplo prorsus notabili confirmat, dum sic dicit: *Ad Pastores animarum etiam spectat pictorum, sculptorumque licentia, qui imagines aliquando non tam ad excitandam, quam ad corrumpendam pietatem componunt. Nunc optandum esset, ut id eveniret, quod sua ætate Narbonæ accidisse Gregorius Turonensis Episcopus commemorat in libro primo de Gloria Martyrum cap. 23. de pictura, quæ Christum Dominum cruci affixum quasi linteo præcinctum exhibebat. Ait quippe, Christum semel ac tertio cuidam per visum intimasse, ut se non parte tantum, sed toto corpore operiret. Re tandem ad Episcopum delata is jussit desuper velum expandi, & sic nunc obtecta pictura suspicitur. Nam etsi parumper detegatur ad contemplandum, mox demisso velo contegitur, ne detecta cernatur. Hinc factum puto, ut in non nullis ecclesiis Crucifixi statuæ veteres talari veste indutæ conspiciantur: qualis est ea, quæ in æde S. Ciliniæ B. Remigii nutricis apud Remos hodie quoque visitur* (c). Mabillonio accedat Molanus, qui pluribus in locis de lascivia vitanda in picturis & statuis agit, ac signanter hæc habet: *Ut ergo sacris Divorum imaginibus honor & veneratio major impendatur, oportet eas sic depingi, sculpi & effigurari, ut quosdam velut igniculos in hominum pectoribus succendant, omni levitatis atque lasciviæ, quod contuentium oculos offendere queat, offendiculo sublato* (d). Tum contra pictores & ornatores imaginum, & statuarum, qui etiam ipsis imaginibus & statuis D. Virginis & aliorum Sanctorum ornatum levem & lascivum appingere, aut adjicere non verentur, sua exposita querela concludit: *Quid commune Virgini sanctissimæ, pudicitiæ numeris omnibus perfectæ atque expletæ cum ornatu illo pene meretricio? quid sanctis Martyribus Christique Confessoribus cum plusquam profano ornatu* (e)? Nolim tamen ego vestes auro, argento & gemmis distinctas, quibus vestiuntur imagines B. V., neque pretiosum ornatum, quo ornantur corpora SS. MM. reprobare: dummodo tales vestes ad modestiam & decorem sint compositæ, & nihil levitatis, nihilque quod castos offendere oculos posset, habeant. Esto enim castissima & humillima Virgo, dum adhuc agebat in terris, modesto & humili habitu incesserit, nihil tamen prohibet, quo minus ad succendendos in nobis igniculos casti amoris, & ostendendam illius Majestatem, qua tanquam Mater DEI, & Regina

Doctrina Mabillonii in hac materia est notatu digna.

Non omnis ornatus imaginum culpandus.

(c) Præfat. I. in Sæc. quart. §. 3. pag. 205.
(d) Lib. 2. cap. 37. (e) Loc. cit.

Regina cœli præ cæteris Sanctis eminet, ad instar Imperatricis in habitu illam decente vestiri ornarique valeat. Denique Episcopi Decretum Synodi Tridentinæ sæpius citatum semper ante oculos habeant, huic conformiter usum imaginum prudenter restringant, & ad verba sequentia reflectant: *Nemini licere ullo in loco vel ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit.*

Insolita imagines non facile tolerandæ.

Usus & cultus imaginum juxta regulas Christianæ discretionis & prudentiæ est moderandus.

Demum ad Episcopos pertinet, ut usum & cultum imaginum juxta regulas christianæ discretionis & prudentiæ moderentur. In vim salutaris instructionis faciunt, quæ habet sæpe laudatus Mabillonius, cujus verba auro cedroque digna sunt: *Procedente tempore*, ait Mabillonius, *tanto cum fervore Galli in cultum imaginum effusi sunt, ut magis retinaculo, quam incitamento jam opus habeat vulgi religio. Pia quidem est imaginum veneratio: sed optandum esset, ut plus sedulitatis tribueretur sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo ipse Christus non imagine sed re ipsa existit. At (quod maxime dolendum est) videas non raro fideles ecclesiam ingressos insalutato tanto hospite ad imagines procumbere, quasi plus esset præsidii in istis, quam in ipso Eucharistiæ Sacramento. Verum hæc errata sunt rudis & imperiti vulgi ab Ecclesiæ emendanda Pastoribus, quorum officii est instruere plebem sibi commissam de congruo cultu imaginum, & legitimum ipsi præscribere modum, ne ad superstitiosa effluat* (f).

Mabillonius excessivum cultum prudenter perstringit.

Præcaveant Episcopi scandala ex indiscreto zelo provenientia.

Notanter dictum fuit, Episcopis juxta regulas christianæ discretionis & prudentiæ esse procedendum, ne scandala in plebe, & majora mala oriantur in Ecclesia. Quapropter Synodus Moguntina de anno 1549. Can. 42. ubi Episcopis injungit, ut pro qualitate causæ imagines aut tollant, aut mutent, saluberrime monet, ut in hac re procedant *adhibitis prius in consilium Theologis, & christianarum antiquitatum scientissimis juxta ac pientissimis Viris.* Synodus quoque Tridentina jubet Episcopos in similibus semper attendere ad id, *an indoctæ plebi expediat.* Valde notabilis est doctrina Molani, docentis, quod, licet Episcopi & Parochi aliique, quibus cura animarum incumbit, satagere debeant, ne quid falsi per imagines repræsentetur, vel ne alicujus erroris occasio populo detur, nihilominus subinde ob majora mala evitanda, & ne ex earum amotione quorundam infirmitas nimium turbaretur, expedit aliquas imagines jam positas tolerare: licet, quæ in ipsis repræsentantur, non sint adeo certa; imo sciantur, etiam falsa: modo non talis sit falsitas, quæ nata sit in perniciosum errorem, aut circa dogmata

Non nunquam majoris mali vitandi gratia quædam imagines non ex omni parte certum repræsentantes sunt tolerandæ.

(f) Loc. mox antea citato.

gmata, aut mores populum inducere; sed potius & interim doceantur simpliciores, quid ex hujusmodi imaginibus sit discendum, quid non discendum (g). Hæc de usu & cultu imaginum fusius deducere libuit, tum quod ea utilissima esse facile perspexerim, tum quod hæc in obviis authoribus non tam facile reperiri haud ignoraverim.

§. XXI.

Ad rem liturgicam pertinent etiam Reliquiæ Sanctorum. Si quæ est materia examinis liturgici, in qua caute, circumspecte & provide agendum, in eaque enucleanda certis regulis saniori Criticæ innixis opus est, profecto præsens de Reliquiis, earumque cultu disquisitio tot, tantisque obnoxia est difficultatibus, ut Viri summi, qui eis enodandis suam locarunt operam, eas magis auxisse, implicasse, & multiplicasse videantur. Ante omnia oportet distinquere inter ipsas *Reliquias*, quarum aliæ sunt *dubiæ & incertæ;* aliæ *certæ & approbatæ*. Iterum aliæ *Sanctorum proprium nomen habentium;* aliæ *Sanctorum Anonymorum* seu *baptizatorum*, quos communi nomine solemus appellare *sanctos ignotos & incognitos:* illorum nomina produnt inscriptiones, dum e cryptis, cæmeteriis, & catechumbis eruuntur; horum sunt ignota, & imponuntur vel a Cardinale Vicario, vel Æditui Capellæ Pontificiæ Episcopo Augustiniano.

De Reliquiis. *Hæc materia est summæ difficultatis.* *Diversi generis sunt Reliquiæ. Sancti Anonymi, baptizati, vel ignoti.*

Tria potissimum sunt, in quibus cardo difficultatis vertitur: Primo quænam sint Reliquiæ Sanctorum *genuinæ?* Secundo qua arte *genuinæ* a *falsis & dubiis* discerni valeant? Tertio quid circa cultum Sanctorum præcipue *Ignotorum* sit statuendum? Cum enim Reliquiæ quam plurimæ sapiant antiquissimam ætatem, difficillime demonstrabilem; innumeræ fuerint a falsariis, & pessimi nominis hominibus suppositæ, & obtrusæ; haud paucæ incaute & improvide a rudi plebe assumptæ; & multitudo Reliquiarum successive in immensum excreverit; hisque sine delectu, sine ordine, sine approbatione ex zelō indiscreto cultus authoritate privata fuerit decretus, non potuit non mira oriri confusio, perturbatio, & incertitudo.

Triplicis generis difficultates. *Undenam hæ difficultates ortæ?*

Duos præcipue Authores in hac materia difficillima veluti antesignanos sequemur, Honoratum a S. Maria (h), & Joannem Mabillonium, quorum primus prolixam satis Dissertationem *de Reliquiis;* alter episto-

Honoratus a S. Maria & Mabillonius præcipue in hac materia

(g) In hist. SS. Imag. lib. 2. cap. 35.

(h) Tom. 3. Animadvers. in regul. & us. Critic. Dissert. 6.

sunt confundendi. epiſtolam quandam ſub nomine Euſebii de cultu *Sanctorum ignotorum* ſcripſit (i).

Fontes confuſionis recenſentur. Fontes hujus confuſionis, atque incertæ veritatis aperit Honoratus a S. Maria, atque ſequentes enumerat: *immanitatem Ethnicorum, impietatem hæreticorum, aliorumque hominum impiorum, qui S. Reliquias vel vendiderunt, vel ſuppoſuerunt, vel ſurripuerunt; negligentiam cuſtodum, quibus illarum cura fuit demandata; injurias temporum; exceſſivam pietatem fidelium; diviſionem corporum occaſione conſecrationis eccleſiarum & altarium; translationes ſanctorum Corporum; imagines Reliquiarum; ſimilitudinem rerum & nominum; criticam Scriptorum eccleſiaſticorum, qui Reliquias antiquas exceſſiva nonnunquam criſi vel impugnarunt, vel defenderunt, vel ſaltem dubias reddiderunt.* Hæc non nihil uberius dilucidemus.

Cultus Reliquiarum coævus eſt Eccleſiæ. Rem ab ovo incipiamus. Venerationem SS. Reliquiarum eſſe ferme coævam Eccleſiæ indubitata eſt doctrina Catholicorum. Hunc uſum a primis temporibus abominati ſunt Gentiles & Ethnici illudentes *Fuit Gentilibus abominabilis.* Chriſtianis, quod ſuorum Martyrum oſſa recondant, venerentur, eosque inſtar Deorum Mediatorum apud Superiores Deos haberent, cujus teſtes ſunt Iſidorus Peluſiota (k), & Theodoretus (l). Immania Gentilium facta fuſe recenſet Honoratus a S. Maria (m), ubi inter alia hæc *Furor eorum in SS. Reliquias.* habet: *Ea* (videlicet corpora SS. Martyrum) *projecerunt voranda beſtiis, avibus & piſcibus, atque igne abſumenda. Cineres demum in mare, & flumina jecerunt, & vento diſperſerunt. Rabiem denique ſuam eo inhumanitatis adduxerunt, ut Martyrum oſſa cum beſtiarum, atque impiorum, & facinoroſorum oſſibus miſcerent.* Horum teſtes omni exceptione majores ſunt Scriptores eccleſiaſtici Euſebius, Theodoretus, & Sozomenus, quorum ultimus ſic ſcribit: *Reliqua autem oſſa, quæ ignis neutiquam abſumpſerat, oſſibus camelorum, & aſinorum, quæ ibi projecta erant, admiſcent, adeo ut perdifficile eſſet ea inter oſſa reperire* (n). Quid de Juliano Apoſtata dicamus, de quo teſtatur Theodoretus (o), quod Sacerdotum & Virginum ventres diſcindi, horreo farciri, ad extremum eos porcis devorandos objici imperaverit.

Execrabilis etiam hæreticis. Gentilibus acceſſerunt Hæretici, & inter hos Manichæi, & Arianorum peſſimi Eunomiani, ſpecialiter Vigilantius & Claudius Taurinenſis,

(i) Hæc epiſtola annexa eſt Præfationibus in Act. Sanct. Tridenti anno 1724. editis.

(k) Epiſt. 44. (l) Serm. 8. contra Gentiles.

(m) Tom. 3. Animadv. Diſſert. 6. art. 1. (n) Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 8.

(o) De Martyr. Palæſt.

rinenſis, de quibus teſtatur Hieronymus, quo cultores Reliquiarum per ignominiam appellaverint *Cinerarios* & *Idololatras* (p). Quid non ſecerunt noviores Sectarii Calvini & Lutheri aſſeclæ? quomodo non debacchati ſunt in Sanctorum reliquias? Etſi Vigilantius, Eunomius aliique antiquiores hæretici cultum reliquiarum oppugnaverint, non tamen legimus, eos impie admodum Martyrum & Sanctorum ſepulchra violaſſe, cinerum illorum pacem turbaſſe, vel ſacras Urnas fregiſſe. Hæc ſane barbaries novis Sectariis peculiaris futura erat, qui in eam demum fraudem deſcenderant, quæ gentilium furorem fugerat. In urbibus namque, in quibus dominati ſunt, non modo reliquias cremarunt, omnesque earum memoriæ notas ſuſtulerunt, ſed alias quoque falſas priorum loco poſuerunt; imo res etiam turpes ſubſtituerunt, ut fidelium pietatem fallerent, atque illuderent cultui, quem pretioſis iſtis Sanctorum exuviis præſtabant. Tot denique execranda ſuper hac re commiſerunt, ut prudentiores atque illuſtriores Proteſtantium barbaram hanc, impiamque agendi rationem abominati ſint, & ſolemni ritu damnarint (q).

Maxime novioribus Sectariis Calvino & Luthero.

Quanto crudelius Ethnici, & Hæretici in ſacras debacchati ſunt Reliquias, tanto majus erat ſtudium Chriſtianorum colendi corpora SS. Martyrum, utpote qui ad ſepulchra Martyrum vigilias egerunt, in cryptis convenerunt, ſepulchra eorum exornarunt, feſta celebrarunt, deſuper altaria, & ſucceſſu temporis templa erexerunt: unde ſucceſſive mos invaluit transferendi corpora & reliquias, ut nulla Eccleſia nullumque altare conſecraretur, in quo non reconderentur Reliquiæ SS. Martyrum (r). Mos hic præcipue Romæ invaluit: poſtea tranſiit ad omnes Eccleſias Occidentis, & demum accedente ſanctione Conciliorum in legem ſtabilem abiit.

Summum Reliquiarum ſtudium apud Chriſtianos.

Nulla Eccleſia, nullum altare conſecratum ſine Reliquiis.

Ex hoc more alia fluxit conſuetudo, nempe effodiendi corpora & Reliquias, easque transferendi in eccleſias jam dedicatas vel dedicandas: non ut ibidem ſublimi loco ponerentur, uti hodie; ſed ſub ipſis altaribus veluti ſepulchris honorificis requieſcerent, ceu docet Mabillonius (s), e quo quædam animadvertere libet, quorum unum elevationem & translationem; alterum ſepulturam, modumque tumulandi corpora ſpectat.

Mos effodiendi, & transferendi Reliquias.

S 3 Eleva-

(p) Lib. contra Vigilant.

(q) Honoratus loc. cit. (r) Vid Honoratus loc. cit.

(s) Præfat. in Sæc. II. Ord. S. Bened. §. 4. obſervat. 54.

Elevationes & translationes eorum Sæc. IV. & V. tam in Oriente quam in Occidente fuisse frequentissimas, laudatus Author plurimis commonstrat exemplis (t). Tempore S. Gregorii M. mos hic abiit in desuetudinem: eo quod in detrimentum Religionis vergere videbatur. Rationem affert Mabillonius ex S. Augustino, qui in lib. de opere Monachorum cap. 8. quosdam personatos ac fictos Monachos redarguit, quod *circumeuntes provincias membra Martyrum (si tamen Martyrum membra) venditarent.* Videlicet inde plures occasionem sumpserunt vendendi, nundinandi, mercandi, dividendi, supponendi, & falsificandi reliquias. Hæc res procul dubio Theodosio Imperatori occasio fuit sanciendæ legis, ut *nemo humatum corpus ad alterum locum transferat, nemo Martyrem distrahat, nemo mercetur* (u). Ulteriorem hujus testem affert Mabillonius Guibertum Abbatem hoc modo loquentem: *Certe si Sanctorum corpora sua juxta naturæ debitum loca, id est sepulchra, servassent, Reliquiarum nundinationes ac falsificationes cessassent. Per hoc enim, quod e tumulis eruuntur, membratim huc illucque feruntur, & cum pietatis obtentus occasio circumlocationis extiterit, ad hoc subeunte nequitia detorqueri cœpta est intentionis rectitudo, ut pæne, quæ simpliciter fieri consueverant, corrumperet universa cupido* (x). Hoc tempore Reliquiarum loco *Brandea* usuvenerunt, de quibus mox infra. Sæculo VII. iterum elevationes & translationes factæ frequentiores, & usque nunc in usu Ecclesiæ fuere. Quamplurima translationum exempla recenset Mabillonius (y).

In desuetudinem abiit tempore S. Gregorii M. ob nundinationes falsificationes aliosque abusus.

Theodosius hæc prohibuit.

Brandea in locum Reliquiarum usuvenerunt.

Alterum spectat sepulturas modumque sepeliendi corpora Sanctorum. Varios hujuscemodi modos affert Mabillonius, quomodo videlicet Ægyptii corpora & reliquias domi in lectulo repositas servaverint; alii in cœmeteriis, vel oratoriis subterraneis ea sepeliverint, & exuvias argenteis pyxidibus, aliisque pretiosis reconditoriis incluserint (z). Hæc eum in finem affert, ut ostendat, quod olim SS. corpora sub altari

De sepulturis & modo sepeliendi corpora Sanctorum.

(t) In Oriente Constantinus Imperat. sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim; Arcadius ossa B. Samuelis de Judæa in Thraciam: Pulcheria Augusta SS. 40. Martyrum exuvias e ruderibus eduxisse legitur: In Occidente S. Ambrosius SS. Gervasii & Protasii corpora loco movit: Perpetuus Turonicus corpus S. Martini convenientiori loco recondidit &c.

(u) L. ult. de sepul. viol. Cod. Theodos.

(x) Lib. 1. c. 4. de Pignorib. Sanctorum.

(y) Cit. Præfat. observat. VII.

(z) Ibid. observat. X.

tari condita; neutiquam supra altare publico cultui fuerint exposita. Solebant tamen super Reliquias erigere ciboria, seu turritas ædiculas quatuor columnis innixas, & columba aurea decoratas, ceu refert Gregorius Turonensis. Ejusmodi ciboria antiqui appellabant *fredas*, *lectos*, *lecticas*, *tumbas*, *mausolæa*, quorum tectum *repa*, seu *crepa* dicebatur. Hunc ritum recondendi corpora adhuc Sæc. VII., quamvis eo tempore sæpius e tumulis levarentur, observatum, & ad Sæc. usque XII. continuatum fuisse, idem fusius explicat, donec mos Reliquias thecis aureis & argenteis includendi, easque supra altaria cultui publico exponendi invaluerit.

Super Reliquiis erigebant Ciboria. Quid hæc sint?

Sæc. XII. mos invaluit publice Reliquias supra altaria exponendi.

Ex moribus hactenus recensitis dedicandi ecclesias, consecrandi altaria, erigendi tumulos plurima consecuta fuere incommoda, nempe ingens studium conquirendi corradendique reliquias, eas dividendi, surripiendi, supponendi, falsificandique, & in earum loco *brandea* substituendi. Historia ecclesiastica redundat exemplis scelestorum atque impiorum hominum, qui nequiter falsas reliquias confinxerunt, surripuerunt, & mercatu turpissimo ac sacrilego venales habuerunt. Ætate ipsa S. Augustini (a) Monachi quidam *Circumcelliones* nuncupati veris reliquiis falsas supponebant. S. Greg. redarguit facinus quorumdam Græcorum, qui Romæ e mortuorum sepulchris ossa eruentes, atque in suas regiones deferentes tanquam veras reliquias venditabant. Ævis etiam insequentibus hujusmodi deceptores non defuerunt. Nemo unus ignorat historiam sat vulgatam de corpore S. Marci Alexandria sublati, & Venetias, sicuti ferunt, delati. Refert Author vitæ S. Benedicti (b), quosdam consilium iniisse de surripiendis reliquiis hujus S. Patriarchæ: *dum apud sacrum caput se pernoctare simulassent, ejusdem Patris Benedicti filii ossa auferentes, in suam patriam apportaverunt.* Alia quoque sacrilegorum furtorum istorum exempla legi possunt apud Gregorium Turonensem, Walafridum, Strabonem, Glaberium, Surium & alios. Hæc facinora fuisse sat frequentia inde colligitur: tum quod custodes sepulchrorum noctu etiam excubantes constituti; & Sanctorum corpora sub altari vel aliis locis diligenter clausis recondita fuerint: tum quod Synodi canones severissimos ad coercendam malitiam hominum, & cohibenda latrocinia condiderint (c), licet

Ex his sequebantur plurima incommoda, & quæ?

Turpes mercatus, furta, suppositiones.

Hujus rei multa afferuntur exempla.

(a) Lib. de Oper. Monach. cap. 28.

(b) Adrevaldus lib. 1. de mirac. S. Bened. c. XI. & Hist. de ejus Translat c.4. & 5.

(c) De Venetis testatur Ansossius lib. de Reliq. cultu, quod metu, ne corpus S. Marci

Inde veniunt tot falsæ Reliquiæ.

licet ea non fuerit industria custodum in custodiendis reliquiis, qualis esse debuerat. Idcirco illorum negligentia, vel malitia evenit, ut Reliquiæ Sanctorum vel venderentur, vel surriperentur. Quo factum est, ut multi crederent, imo nunc quoque credant, se possidere SS. Reliquias, etsi in ecclesiis illis nihil Sancti illius præter nomen fortassis superfit. *Quot sunt Ecclesiæ*, ait Honoratus a S. Maria, *quæ existimant apud se extare integrum corpus alicujus Sancti, interim in illis nihil, nisi aliquod reliquiarum exiguum fragmentum reperitur? quot jactant Sancti alicujus corpus habere, quod tamen alterius est? quot demum unum pro alio colunt* (d)?

Consuetudo dividendi ossa Sanctorum.

Consuetudo dividendi ossa Sanctorum pariter nihilo recentior est, ac fidelium pietas erga eorum reliquias. Theodoretus quidem nos docet sua ætate vix unum corpus repertum fuisse, quod omnibus suis partibus constaret (e). Erat nempe persuasum fidelibus, tantum inesse virtutis & gratiæ, quantum integro corpori. Fuit hæc opinio ipsorum Patrum Gregorii Nazianzeni (f), Gaudentii Brixiensis (g), aliorumque: unde necessario enasci debuit ingens studium aliqua saltem Sanctorum fragmenta impetrandi, & sic partiendi. In hodiernam usque diem in variis locis diversas ejusdem corporis partes, caput, brachium, digitum &c. asservari, colique scimus.

Unde orta?

Terra sanguine tincta vel Brandea in locum reliquiarum assumebantur.

Quid Brandea?

Eo ventum est ut in locum reliquiarum Sancti illius, in cujus honorem ecclesias dicabant, altaria erigebant, tumulosque construebant, ævo potissimum Gregoriano, quo elevationes & translationes corporum erant interdictæ, assumpserint terram sanguine tinctam ex pulvere sepulchrorum, vel Sanctuaria, quæ Scriptores antiquiores appellabant *Brandea;* & nihil erant aliud, quam linteamina, vela, vel quidpiam tale, quod Sanctorum illorum reliquias attigerit. De hujuscemodi Brandeis legendus est Gregorius Turonensis (h), ex quo plura

Marci auferretur, illud in sumptuosa recens erectaBasilica collocaverint, *ut ubi locorum illud positum esset, penitus ignoretur.* Concilium Lateran. sub Innocent. III. decrevit, *ne antiquæ Reliquiæ amodo extra capsam ostendantur.* Et Turonense de anno 1282. *illos præcipue Sacerdotes, qui Reliquias furtive subtraxerint, excommunicationis sententiæ vult subjacere.*

(d) Lib. 5. Differt. 6. art. 3. (e) Vid. mox citatus Author.

(f) Orat. in Julian.

(g) Hic, dum de Reliq. 40. Mart. disputans ait: *Ipsa pars, quam meruimus, plenitudo est.*

(h) Lib. 1. de Miracul. S. Martini, & lib. 1. de gl. Martyr. cap. 28.

plura exempla afferunt Mabillonius (i) & Honoratus a S. Maria (k). Sed nondum satis. Alium cogitatum fidelibus sua ingessit pietas contestandi suum devotionis ardorem erga sacras reliquias. Nimirum efficiebant imagines sacrarum reliquiarum; has veris reliquiis admoverunt, ut ex hoc contactu acquirerent virtutem operandi miracula, quæ Deus intuitu reliquiarum operari sæpius dignabatur. Ad hoc pium fidelium inventum referendæ videntur tot vestes inconsutiles, sindones, clavi, spinæ, aliaque instrumenta passionis dominicæ; item tot imagines a S. Luca depictæ, vestesque B. Virgini propriæ, quæ hinc inde ostenduntur, & cultui publico exponuntur. Nostris etiam temporibus hinc inde visuntur imagines cordis S. Augustini, manus S. Annæ, lingua incorrupta S. Joannis Nepom., corda serica cordi incorrupto S. Theresiæ admota. Huc pertinet, quod refert Ludov. ab Angel. de Augustino a Jesu Visitatore Generali Eremitarum S. Augustini, quod hic, dum Germaniam visitaret, Monachii repererit inter cœteras reliquias cor ferreum aureo circulo cinctum cum inscriptione: *cor Augustini;* hic vero inscriptionem mutaverit inscribendo: *cor contactum vero cordi S. Augustini, quod ferreum propter nimiam ejus constantiam, aureum propter inflammatam charitatem* (l). Quæ autem confusio & incertitudo reliquiarum inde fuerit consecuta, quis satis enarrabit (m)? Quomodo similitudo rerum & nominum reliquias multas reddiderit incertas, easque mirum in modum multiplicaverit, suse ostendit Honoratus a S. Maria (n). Inde enim suum ortum habere existimat tot capillos, tot guttulas sanguinis, & lacrymas Christi, tot particulas lactis Matris Dei, aliorumque Sanctorum reliquias. Inde venire putat, quod idem corpus, eædemque reliquiæ, e. g. S. Marci (o) S. Magdalenæ (p) S. Dionysii Areopagitæ (q) S. Cœciliæ (r) S. Lazari in diversis locis ostendantur (s).

Mos imagines Reliquiarum admovendi ipsis Reliquiis.

Inde tot sindones, clavi, spinæ, imagines, vestes.

Inde apud nos tot corda serica, linguæ incorruptæ, brachia.

Ex his mira Reliquiarum incertitudo & confusio.

Quan-

(i) Præfat. in Sæc. II. §. 4. observat. 7. (k) Loc. cit. Art. 5. §. 1.

(l) Lib. 6. de vita S. August. cap. 5.

(m) Vid. Honoratus a S. M. loc. cit. art. 7. (n) Ibid. art. 9.

(o) Venetiis, & in Monasterio Augiæ divitis.

(p) Vezeliaci, & in Provincia; item Ephesi.

(q) Ratisbonæ ad S. Emmeramum, & Parisiis.

(r) Romæ, Lucæ, Papiæ, Parisiis.

(s) Massiliæ, in Collegio Andelavensi, Constantinopoli.

Quam auxit pietas fidelium. Quantum pietas fidelium erga Sanctorum Reliquias ad earum & confusionem & multiplicationem contulerit, partim ex dictis, partim ex sequentibus liquet. Tantus enim erat illorum ardor, ut neque studiis neque impensis parcerent in illis undequaque conquirendis. Cum extremo vitæ discrimine non raro primi Christiani conquisierunt Reliquias SS. Martyrum (t), ingenti pecuniarum vi eas redemerunt (u). Nulli labori pepercerunt, ut particulam quamdam etiam minimam obtinerent: ut adeo mirum esse non debeat, si hinc inde fraudes & doli, errores & falsitates intervenerint, & exinde mira rerum confusio & incertitudo ortum suum traxerit (x). Quid dicam de pulvere e sepulchris collecto, de oleis, pallis, pannis, linteis, brandeis in vim reliquiarum assumptis (y)?

Qui cum discrimine vitæ conquisierunt reliquias.

Etiam Scriptores earum incertitudinem invexerunt. Quantam rerum confusionem, reliquiarum incertitudinem, historiarum perturbationem invexerint Scriptores ecclesiastici, recentiores præcipue Critici, qui hujus materiæ dilucidandæ provinciam, ac laborem improbum in se susceperunt, quis satis edicere valeat? Quanta non animorum contentione hactenus fuit dimicatum de reliquiis J. Ch. de relicto in terris sanguine, de lacrymis in resuscitatione Lazari effusis, de sudario, de syndone, corona spinea, clavis, particulis S. Crucis, veste inconsutili, de supellectile B. Virginis, de guttulis lacteis, de crinibus &c.?

Regulæ discernendi reliquias veras a falsis. Idcirco mirum videri non debet, quod Viri plures primæ eruditionis insudaverint tradendis regulis, quibus reliquiæ *veræ a falsis, certæ*

(t) De non nullis Christianis testatur S. Chrysostomus Homil. de SS. Juvenco & Maximo MM. quod horum corpora cum vitæ discrimine sustulerint. De S. Justino legimus, quod ob collecta corpora SS. MM. martyrio coronatus sit. Martyrologium Rom. nobis tradit S. Nicandrum eadem forte fuisse gavisum.

(u) Testatur Surius in actis SS. 2. Nov. quod Christiani pro capite S. Hieronis tantum auri expenderint, quantum ponderis erat.

(x) Sic miles quidam summo studio perquirebat particulam de corpore S. Thomæ Cantuariensis, cui particulæ loco callidus quidam Presbyter obtulit frœnum afferens, illud ipsum esse, quo S. Thomas usus fuerat: Miles vero frœnum cum multa devotione recepit, in honorem S. Martyris ecclesiam ædificavit, & loco reliquiarum frœnum in ea reposuit, prout scribit Manrique Annal. Cisterc. ad annum 1171. cap. 3.

(y) Vid Mabill. in Epist. de cultu SS. ignot. §. 19. ubi plura affert exempla de oleo ex lampadibus desumpto, portionibus terræ sanctæ in omnes mundi partes delatis, variisque prodigiis exinde secutis.

tæ & indubitatæ a dubiis & suspectis discerni valeant, & Ecclesia hodierna non tantum, sed vetustissima etiam cautissima semper & prorsus circumspecta fuerit in approbandis sacris reliquiis, & statuendo earum cultu.

Priusquam de regulis discernendi reliquias agamus, modum approbandi reliquias veterem non nihil dilucidemus. Huc spectat notissimum & celeberrimum factum S. Martini Turonensis, quod refert Sulpitius Severus in illius vita (z). Colebatur in loco quodam sanctus quidam Martyr altari desuper exstructo. Sed Martinus non temere, ait Severus, adhibuit fidem. Dein se grandi scrupulo permoveri sensit, quod nihil certi constans sibi majorum memoria de illo tradidisset: postremo ab his, qui majores natu erant, Presbyteris vel Clericis flagitabat sibi nomen Martyris, vel tempora passionis ostendi. Et tunc quodam die adhibitis fratribus super sepulchrum adstans oravit ad Dominum, ut, quis esset, vel cujus meriti, ostenderet. Tunc conversus ad lævam vidit prope assistere umbram sordidam, trucem: Imperat, nomen, meritumque proderet. Nomen edicit, de crimine fatetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore Martyrem se esse celebratum; nihil sibi cum Martyribus commune esse. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant; personam non videbant. Tunc Martinus altare submoveri jussit, atque ita populum superstitionis illius absolvit errore. Hactenus Severus Sulpitius. En religionem sanctissimi hujus Episcopi! Non temere credidit, ad traditionem provocavit, rem cum suis Presbyteris & Clericis egit, Deum rogavit, ut necessarium lumen affunderet.

Modus antiquus probandi reliquias. Factum S. Martini.

De modo probandi reliquias per ignem olim non adeo infrequenti videamus. Modum hunc jam Sæc. VI. fuisse usitatum, luculenter ostendit decretum Concilii Cæsaraugustani II. anno 592. sub Gregorio M. habiti, cujus Canone II. statuitur, *ut Reliquiæ in quibuscunque locis de Ariana hæresi inventæ fuerint, prolatæ a Sacerdotibus, in quorum ecclesiis reperiuntur, Pontificibus præsentatæ igne probentur.* In hanc rem duo exempla ex Sæc. XI. adducit Mabillonius (a), unum ex Chronico Cassinensi (b), ubi legitur, quod Monachi quidam Jerosolymis redeuntes particulam lintei, quo Christus pedes discipulorum tersit, secum detulerint, & Cassinatibus obtulerint, quibus cum multi fidem non adhiberent, prædictam particulam in accensi thuribuli ignem injecerunt, quæ mox

Modus probandi per ignem exemplis illustratur.

(z) Cap. 2. (a) In Appendice II. ad epist. de cultu SS. Ignotorum.
(b) Lib. 2. cap. 33.

mox in ignem conversa paulo post semotis carbonibus in pristinam speciem mirabiliter rediit. Alterum ex vita S. Meinwerci Episcopi Paderbornensis, cui Wolfgangus Aquileiensis Patriarcha corpus S. Felicis cum duobus palliis in monasterio noviter a se constructo reponendis misit. Verum Meinwercus experiri volens veritatem corporis in medio claustri sub dio rogum maximum incendi curavit, in quem cum tertio corpus immisisset, totiesque in favillam redactum extincto igne integrum evasisset, cum maxima omnium jubilatione super altare principale fuit collocatum. Aliud adhuc recentius longe experimentum in veræ crucis particula factum idem Author refert, ubi fusius recenset ritus, & preces in simili probatione adhiberi consuetas.

Etsi hic modus probandi per ignem, & discernendi reliquias veras a falsis fuerit extraordinarius, & in hodierna Ecclesiæ disciplina amplius vix usualis & tolerabilis, inde tamen luculenter probatur, Ecclesiam veterem adhibuisse summam diligentiam, summumque studium, cautionem & circumspectionem, ut reliquias veras a falsis discriminaret. Hæc luculentiora fient, ubi de cautelis, quibus Ecclesia utitur in decernendo cultu Sanctorum, agemus.

§. XXII.

Regulæ Criticorum discernendi Reliquias.

Jam de regulis, quas saniores Critici præscribunt ad discernendas reliquias, agamus. Tres potissimum præter alios consuluimus Scriptores, nempe Thierium (c), Mabillonium (d), & Honoratum a S. Maria (e) utpote qui hanc materiam ex professo tractant. Hos inter singularem mentionem meretur Thierius, qui in sua crisi dum de lacryma Vindonicensi agit, prorsus excessivus est, & propterea jure tam a Mabillonio quam ab Honorato vapulat (f).

Regula Thierii in ordine ad demonstranda

Ut ergo Thierius fidem lacrymæ Vindonicensis prorsus everteret, instar regulæ inconcussæ in ordine ad discernendas reliquias veras a falsis ponit solam traditionem vel divinam, vel apostolicam, vel ecclesiasticam.

(c) Tract. de superst. Tom. 2. lib. 4. cap. 5. & Differt. de lacryma Vindonic. 1699. edita cap. 13.

(d) Lettre d'un Benedictin à Monseigneur l'Evesque de Blois touchant le discernement des anciennes Reliques, au sujet d'une Dissertation de Mr. Thiers contre la sainte larme de Vendôme.

(e) Animad. in Regul. Tom. 3. lib. 5. Differt. 6. Art. 11. & seq.

(f) Locis cit.

siasticam. Huic doctrinæ se se vehementissime opponit Mabillonius, unaque docet, hanc regulam esse sane optimam in ordine ad statuendum aliquod dogma fidei, morum & disciplinæ; at vero illius applicationem ad discernendas reliquias veras a falsis esse falsam, esse injustam, esse temerariam, & ex ea fluere sequelas pessimas & absurdissimas (g). *dogmata est bona; in ordine ad Reliquias probandas pessima.*

Falsa est hæc regula illiusque applicatio: quia hac stante regula innumeræ reliquiæ hactenus pro veris habitæ eliminandæ, proscribendæ, supprimendæ, aut falsæ cum veris permiscendæ erunt. Cum enim ad probandam veritatem illarum requiratur traditio de ore ad os, de manu ad manum, de sæculo ad sæculum testimonio omnis ferme ætatis Authorum confirmata, & revera admodum paucæ sint, quarum fides hujusmodi authoritate sustentatur, aliud quid superest, nisi ut supprimantur, aut cum falsis permisceantur? Exemplo sint tot particulæ Crucis genuinæ, aut saltem ut tales agnitæ, quæ in diversis ecclesiis asservantur, & a tempore immemoriali coluntur: quin earum fides argumento traditionis ecclesiasticæ proprie talis demonstrari possit. Profecto ex doctrina Thierii hæ omnes aut supprimi, aut cum dubiis confundi debent. *Est falsa.*

Injusta est: quia funditus evertit omnem bonam fidem omnium fere ecclesiarum, quæ multas veras reliquias possidere ex argumentis sane prægnantissimis hactenus crediderunt: siquidem nulla argumentum quoddam testimonio omnium aut fere omnium sæculorum Scriptorum corroboratum in medium afferre potest. Sunt plures ecclesiæ, quæ existimant se possidere caput S. Joan. Bap. corpus S. Magdalenæ, clavos Domini, vestem inconsutilem, notabilem partem suppellectilis Deiparæ, sacram Sindonem; & tamen non nisi unum corpus, unum caput, una Sindon potest esse vera. At ubinam reperies testes omnium sæculorum, ut hæc internoscas? Juvat audire verba Mabillonii: *Je dis en second lieu, que cette application est injuste: parce qu'elle reverse la bonne foy de presque toutes les Eglises, qui assurent, qu'elles possedent plusieurs reliques veritables, qui ne sont ni attestées par des Auteurs de tous les tems,* *Est injusta.*

(g) Cit. epist. ubi inter alia mox ab initio sequentia habet: l'espere, que V. G. voudra bien souffrir, que je m'addresse aussi à Elle pour luy representer l'injustice du procedé de ce fameux Critique, les fausses regles qu'il donne pour reconnoitre la verité de saints Reliques, les mauvaises applications, qu'il fait des exemples de saints, & les facheuses consequences que l'on peut de tirer de la Dissertation, qu'il a publiée.

tems, ni par aucun Concile, Pape ou Evesque, dont on puisse produire les temoignages. Que si c'est renverser tout le commerce civil, que de nier la bonne foy parmi les hommes, & si c'est un crime digne de punition, d'imputer à un honneste homme une fouberie sans en avoir des preuves convaincantes: que sera ce d'oster sous de legeres apparences toute creance à la plupart des Eglises chrestiennes, qui se vantent de posseder des saintes Reliques, dont elles ne peuvent produire de temoignages autentiques?

Est temeraria. Temeraria est: quia illius Author vult obtrudere medium discernendi, mediante quo impossibile est discernere reliquias veras a falsis. Quænam enim illa Ecclesia, quæ veritatem suarum Reliquiarum argumento traditionis testimonio omnis ferme ætatis Scriptorum corroboratæ demonstrare potest? *Temeraria*, inquam, est: quia contraria est menti & spiritui Ecclesiæ, utpote quæ hanc regulam in discriminandis reliquiis, & statuendo earum cultu nunquam adhibuit; sed potius pro sua admirabili sapientia quodam justissimo temperamento usa fuit. Equidem Ecclesia in decernendo dogmate fidei in vim regulæ semper assumpsit sacram Scripturam & traditionem: In permittendo autem vel statuendo cultu eidem suffecit vera probabilitas. Aliter si dicamus, nunquam adorare licebit hostiam consecratam, utpote de qua ex traditione certo non constat, an revera sit consecrata. Atque hoc est discrimen inter virtutem fidei, & cæteras virtutes e. g. Religionem, quod actus fidei omnimoda certitudine, exclusiva omnis formidinis de opposito regulari exigant; econtra ad dirigendos actus religionis, aliarumque virtutum sufficiat probabile verum, exclusivum falsi practice talis; quin requiratur certitudo omnimoda, utpote quæ in practicis rarissime haberi potest. Vid. alibi dicta (h). *Temeraria* est, quia, si vera est, omnes ferme ecclesiæ superstitionis argui possunt: eo quod venditent reliquias, & illis cultum impendant, quarum veritas sufficienter non est demonstrata (i). Plura leguntur in ipsa epistola sane eruditissima, si cui illa ad manus sit.

Regulæ meliores. Longe faciliores, menti Ecclesiæ conformiores, & securiores regulas tradunt alii Viri eruditi, quarum aliquas hic in medium proferre & non nihil dilucidare juvat.

Regula I.

(h) Tom. I. Quæst. II. Cap. 3. de Tradit. §. 10.

(i) *Sur ce principe il n'y a presque point del' Eglise que l'on ne puisse taxer de superstition, n'y en ayant presque aucune, qui n'honore des Reliques, dont on ne peut prouver la possession par cette tradition ecclesiastique &c.*

Regula I. Discernendi reliquias falsas a veris, dubias a certis procul dubio est Traditio *Ecclesiastica*: sed quoniam hæc vel nunquam vel raro ex dictis haberi potest, in illius locum subintrabit Traditio etiam *pia:* dummodo sit vere talis, & non potius *vulgaris*. Quænam vero sit *pia*, quæ *vulgaris*, quomodo ab invicem distinquantur, alibi tradidimus (k). Ut autem ratio deducta a traditione vim habeat, oportet, quod hæc traditio longo annorum cursu, & spatio temporis immemorialis firmata, constans, perpetua; nullatenus intermissa, neque argumentis majoris authoritatis oppugnata; quin potius consensu vel expresso, vel tacito (l) Episcoporum invicem succedentium confirmata fuerit. *Regula prima traditio ecclesiastica.*

Regula II. Pro dissolvendo dubio, an quædam reliquiæ noviter inventæ sint identicæ, sunt *miracula* & *revelationes:* cum enim DEUS mentiri nequeat, neque in testimonium falsi miracula patrare valeat, hujuscemodi reliquiis fides denegari non potest, dummodo revelatio perspecta sit, & miraculum verum esse constet.. Nam non omni spiritui credendum est, & sæpius revelationibus pie creditis subesse posse falsum, argumentis Theologicis demonstrat author operis *de Revelationibus*, Vir sane primæ eruditionis (m). In discernendis quoque miraculis veris a falsis ingentem latere difficultatem quis ignorat (n)? Hoc pacto aperuit Deus quamplurimas Sanctorum exuvias. Ex admonitione divina cognovit D. Ambrosius corpora SS. Gervasii & Protasii, Pulcheria Imperatrix cineres 40. MM., sancta quædam mulier reliquias S. Cypriani. Non semel DEUS per Angelos indicavit loca, in quibus Sanctorum reliquiæ essent conditæ, qua ratione inventæ sunt reliquiæ S. Quintini M.: Ipsi etiam Beati non nunquam monuerunt; ubi eorum ossa cubarent. De prodigiis a DEO ad manifestandas reliquias sacras patratis passim loquuntur historiæ. Aliquando etiam DEUS ministerio avium, piscium, aliorumque animalium ad perhibendum testimonium veritati reliquiarum usus fuisse legitur (o). *Regula secunda sunt miracula vera, certa; & revelatio.*

Cæterum

(k) Tom. I. Quæst. 2. cap. 3. §. 10.

(l) Consensus tacitus habetur, si Episcopus traditionem antiquam simpliciter acceptet: potest namque præsumere, Prædecessores suos in veritate indaganda satis studiosos fuisse.

(m) Clarissimus Eusebius Amort.

(n) Vid. Differt. de veris prodigiis Augustini Calmet.

(o) Hæc omnia videri possunt apud Honoratum a S. Maria Tom. II. Lib. V. Differt. VI. pag. 330.

In his caute procedendum.

Cæterum ut miracula sufficienter probent, existimarem esse distinquendum, an DEUS in ordine ad ostendendam veritatem reliquiarum miracula patraverit; vel orantes ad reliquias in suis precibus per miraculum exauditi fuerint. Si primum: probatio erit legitima. Si secundum: probatio non erit sufficiens: quia fieri possunt vera miracula ad falsas reliquias ob exuberantem fidem ac pietatem eorum, qui eas veras esse credunt (p).

Regula tertia sunt Dyptica ecclesiastica, tituli, Schedulæ &c.

Regula III. Ad dignoscendas reliquias veras, præcipue ad dirimendas controversias, si quæ inter ecclesias oriantur, dum plures idem corpus, easdem reliquias possidere glorientur (q), vel maxime respiciendum est ad Dyptica ecclesiastica, ad Membranas, ad titulos insculptos capsis, vel altaribus Sanctorum. Idem dicendum de testimoniis & schedulis, quæ reperiuntur in capsis, & reliquiariis; de elogiis, epitaphiis, aliisque monumentis. Hanc regulam tradit S. Carolus Borromæus, dum dicit: *Primo ut scripta, tabulæ, literæ, aliave cujusvis generis monimenta, quæ in ipsis ecclesiis, earumve atriis, atque ædibus, aut aliis locis extant, schedulæve vasculis, arcisque sacrarum Reliquiarum affixæ, inclusæve recognoscantur accurate, & diligenter, unde illarum vel translatio, vel collocatio ibi facta cognosci, aut alia ejusmodi notitia earundem haberi queat* (r). Hac arte detectum fuit corpus S. Aurelii Episcopi, quod ad tempora usque Leonis IX. a se possideri ignoravit Germania, quibus apertum fuit sepulchrum, in quo positæ erant illius reliquiæ cum lamina plumbea, in qua sculpta erant verba: *Corpus S. Aurelii Episcopi tempore Arnulphi Regis positum.* Item diremptæ sunt controversiæ,

(p) In hanc rem pulchre ait Guibertus Abbas lib. 1. de pign. ubi sibi proponit quæstionem, an miracula etiam vera sufficiant ad probandam sanctitatem alicujus, & respondet: *Sicut DEUM, qui eum, de quo est incertus, exposcit, irritat; ita eum, si fideliter sanctum esse credens, qui non est sanctus, exoret, placat. Plane si sanctum quis æstimet, quem sanctum quidem dici audiat, sanctum vero esse non constet, si eum præcordialiter & secundum fidem interpellet, apud DEUM, qui causa & fructus est orationis, intentio deprecantis tota defigitur, quocunque modo animus per simplicitatem super suo intercessore errare videatur, & quod sub spe boni honoratur, nunquam a boni remuneratione cessatur.* In his itaque fidelium pietas ac simplicitas apud DEUM supplet quodam modo sanctitatem eorum, quos Sanctos bona fide credunt & invocant.

(q) Hujusmodi exempla plura supra attulimus e. g. de corpore B. Cæciliæ, de capite S. Joan. Bapt. de Sindone &c.

(r) Concil. Mediol. 4.

verfiæ, quibus tamdiu digladiatæ funt ecclefiæ Galliarum atque Italiæ de corpore S. Cæciliæ (s).

Regula IV. In dubio vel maxime juxta difciplinam non veteris duntaxat, fed etiam novæ Ecclefiæ recurrendum eft ad judicium Epifcopi, cujus eft inquirere, fedulo indagare, ac demum decernere de identitate & veritate Reliquiarum, & cultu illis impendendo. In hanc rem plures affert canones Conciliorum Barbofa (t) & Honoratus a S. Maria (u). Sufficiat Synodus Tridentina, quæ jubet, ut *novæ reliquiæ non recipiantur, nifi Epifcopo recognofcente atque approbante :* ubi etiam modus præfcribitur, fecundum quem Epifcopi debent procedere: *Simulatque de his reliquiis aliquid Epifcopus compertum habuerit, adhibitis in confilium Theologis & aliis piis Viris ea faciat, quæ veritati & pietati confentanea judicaverit.* Varias regulas, quibus utendum eft Epifcopis in recognofcendis & approbandis reliquiis, ex variis Synodis depromptas proponit Honoratus a S. Maria in hac materia dilucidanda omnino egregius (x).

Regula quarta judicium Epifcopi.

§. XXIII.

Jam ad *Sanctos ignotos* progrediamur: cum enim hodie vix ulla fit Ecclefia fpectabilis, quam non exornant corpora *Sanctorum ignotorum,* utpote quæ fatis frequenter Roma mittuntur ad diverfas ecclefias, atque in cultu horum Sanctorum haud pauci irrepferint abufus, inter quos ille ferme eft præcipuus, quod quædam ecclefiæ authoritate propria de iis celebrare officia divina confueverint, materiam hanc, utpote paucis fatis cognitam, non nihil accuratius ex Mabillonio dilucidandam affumpfimus.

De Sanctis ignotis.

In horum cultu multi abufus.

Incipit Mabillonius ab ipfis cœmeteriis antiquis, quæ vulgus Catacumbas vocat, & ex quibus hujusmodi corpora eruuntur, utpote quæ ipfe, dum Romæ erat, luftraverat. Id inprimis ex S. Hieronymo Mabillonius probat, illis cœmeteriis femper fuiffe habitum fummum honorem; in iis non SS. Martyres duntaxat, fed omnes prorfus Chriftianos nullo habito meritorum refpectu, folis exclufis paganis, fuiffe humatos, atque hunc morem per fex priora fæcula perduraffe: non enim mutuum inter fideles & paganos odium, mutuusque horror patiebatur, ut Chriftiani paganis, & viciffim confepelirentur.

De Cœmeteriis antiquis.

In his Chriftiani promifcue fepulti exclufis paganis.

Ex

(s) Vid. cit. Honor. loc. cit. pag. 328.

(t) De Offic. & Poteft. Epifc. (u) Pag. 331. (x) Loc. cit.

Opus est certis notis distinguendi loculos SS. Martyrum. Ex his facile intelligitur, certis notis & indiciis distinctos esse oportere loculos SS. Martyrum, quorum corpora in diversas transferuntur ecclesias a loculis cæterorum Christianorum, ne Martyris loco colatur Confessor communis, & illud locum inveniat: *Multi coluntur in terris, quorum corpora cremantur in inferis.* Sed in eo summa est difficultas, quanam sint illa signa & notæ characteristicæ, quibus SS. Martyres a cæteris christianis dignosci valeant. Cum enim in illis cœmeteriis multa sint indicia, quæ ibidem Christianos fuisse humatos probant, qualia sunt sacrarum historiarum picturæ, varia symbola e. g. columbarum, ovium, palmæ, vitis, olivæ, cypressi, anchoræ, Chrisimon seu Christi monogramma, coronæ, ampullæ, inscriptiones, jure dubitatur, quænam ex his signanter denotent sanctos Martyres.

Variæ notæ sed incertæ.

Pro nota Characteristica agnoscit Mabillonius solam ampullam vitream sanguine tinctam. Author hic exclusis cæteris omnibus signis tanquam incertis, dubiis, vel ad summum probabilibus pro signo certo, & charactere indubitato Martyrum unice agnoscit ampullam vitream sanguine tinctam; ex Inscriptionibus vero aliam non admittit præter eam, quæ Martyris titulum præfefert. In hanc rem adducit decretum Congregationis super Indulgentiis, sacrisque Reliquiis Romæ constitutæ de anno 1668., quæ de his ampullis & palmis consulta censuit, *palmas, eisque junctum vas sanguine tinctum habenda esse simul pro signis certissimis verarum Reliquiarum:* aliorum vero signorum examen in aliud tempus rejecit. Inde fortassis est, quod, ubicunque videmus SS. corpora cultui publico exposita, eisdem appensæ sint ampullæ vitreæ sanguine tinctæ.

Quid de vasibus & ampullis figulinis? Quoniam vero non raro alterius generis vasa & ampullæ e. g. figulinæ reperiuntur, etiam has esse habendas pro signis certis existimat Mabillonius, dummodo constet, eas esse sanguine tinctas, & non potius ad continendos suffitus, aut odoramenta, aliaque id genus apposita fuisse. Certe in antiquis Christianorum tumulis non raro reperiuntur vascula figulina carbonibus oppleta, quæ ad thus suffumigandum apposita fuisse nemo negaverit. Alia sane est ratio de vasculis vitreis, quæ non nisi ad sanguinem conservandum fuisse adhibita videntur (a). Hæc ut eo efficacius probet Mabillonius, mirum in modum dilaudat religionem, & pietatem primorum christianorum, utpote qui sanguinem Martyrum lintea-

(a) In hanc rem citat Bosium, qui expresse testatur, etiam in vasculis figulinis fuisse asservatum sanguinem.

linteaminibus excepiſſe, vel ſpongiis exceptum in ampullis reſervaſſe paſſim leguntur (b).

De cultu Sanctorum ignotorum, & abuſu.

Poſt hæc progreditur ad cultum hujuſmodi Sanctorum ſive nomen proprium habentium, ſive ignotorum & baptizatorum explicandum & regulandum: cum enim in hoc cultu plures irrepſerint, & poſthac facile irrepere poſſint abuſus, eo totus quantus connititur, ut quid in hac materia liceat, vel non liceat, qualesque in cultu publico Sanctis decernendo & exhibendo regulæ ſint obſervandæ, dilucidet. Inter cæteros abuſus ille præcipuus eſſe videtur Mabillonio, quod in diverſis Galliæ, Italiæ & Germaniæ eccleſiis cultus promiſcuus, isque publicus per recitationem officii, celebrationem feſtorum, & miſſarum ſanctis quibusdam Martyribus ſive nomen proprium habentibus, ſive baptizatis; imo quibusdam etiam Confeſſoribus non ſat cognitis ſine interveniente authoritate Eccleſiæ impendatur: cum tamen id ſanctioribus Eccleſiæ regulis apertiſſime repugnare videatur: tum quod Eccleſia facultatem decernendi cultum ſibi ſoli reſervaverit: tum quod Eccleſia in decernendo cultu publico ſit valde cauta & circumſpecta, illumque non decernere ſoleat, niſi Sanctis, quorum ſanctitas eidem aperte & argumentis certis ac indubitatis eſt commonſtrata. Probat id tum praxis Romana, ex qua conſtat, quod literæ teſtimoniales, quæ de corporibus Sanctorum ignotorum, quibus Cardinalis Vicarius, vel pontificiæ Capellæ Æditŭus Epiſcopus Auguſtinianus nomen imponit, expediri ſolent, ordinarie nihil aliud permittant, quam ut *talia corpora vel reliquiæ fidelium venerationi exponi poſſint:* quæ profecto formula non eo ſpectat, ut de iis officia eccleſiaſtica, multo minus miſſæ celebrari, aut eorum elogia publice in eccleſiis prædicari poſſint; tum iterata decreta Congregationum præcipue Innocentii X. de anno 1691., quæ abuſum multarum eccleſiarum ſecus facientium graviter perſtringunt, unaque hujuſmodi officia & miſſas ſevere inhibent, & quidem *ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi officium, aliisque in conſtitutione Pii V. contentis* (c). In hoc decreto Innocentii illud memoratu dignum eſt, quod explicet aliud decretum anterius de anno 1630., in quo permittitur quidem *poſſe in eccleſia recitari officia & miſſas celebrari de illis Sanctis, quorum corpora aut reliquiæ inſignes in ea aſſervantur:* ſed notanter additur, *id intelligi debere de Sanctis duntaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, aut quibus a ſancta Sede id ſpecialiter fuerit permiſſum.*

Abuſus præcipuus eſt recitatio officii publici.

Id repugnat ſanctioribus Eccleſiæ regulis.

Eccleſia non facile permittit cultum publicum Sanctis ignotis.

Decretum Innocentii X. de hac re.

U 2 Ut

(b) In cit. epiſt.

(c) Decretum iſtud affert Mabillonius ad calcem laudatæ epiſtolæ.

Quatuor dat Regulas Mabillonius.

Ut ergo hic cultus secundum sanctiores Ecclesiæ regulas dirigatur, Mabillonius ponit quatuor sequentes regulas:

Debent esse sancti certi & indubii.

Prima regula est, ut Sancti illi, qui publice coluntur, nequaquam sint dubii; sed certi & indubitati, certis & indubitatis recogniti argumentis.

Sancti selectiores.

Secunda, ut, si de sanctis Confessoribus sit sermo, habeatur selectus, & non nisi illi publico ecclesiæ cultui exponantur, qui illustriores extiterunt, suisque factis & heroicis virtutibus promeriti fuerunt, ut in exemplum & speculum proponantur.

Nomen & facta debent esse certe perspecta.

Tertia, ut eorum nomen & facta perspecta sint aut ex traditione majorum; aut ex indubitatis posterorum testimoniis: &, siquidem pro Martyribus habeantur, ut de eorum passione pro Christo tolerata constet, non vanis & æquivocis conjecturis; sed certis argumentis, de quibus antea actum est.

De cultu exhibendo debet statuere Ecclesia.

Quarta, ut omnibus Sanctorum factis & virtutibus, miraculis, eorumque circumstantiis attente consideratis & expensis de eorum cultu statuat Ecclesia, vel summus Pontifex, cui maxime credita est harum rerum definitio (d).

Ecclesia est cautissima in decernendo cultu.

In Martyribus debet constare certo de martyrio & causa martyrii, & quare?

Acta Martyrum debent esse certa.

Age, & has regulas non nihil dilucidemus. Profecto in permittendo, aut decernendo cultu Sanctorum Ecclesia moderna non modo est prorsus cauta & solicita: sed antiquior etiam fuit valde circumspecta, quin illos honorari, colique permiserit, nisi de eorum sanctitate indubitatis argumentis fuerit convicta. Aut enim loquimur de cultu SS. Martyrum, aut Confessorum? Si de SS. Martyribus: sane antiquior Ecclesia non sine delectu SS. Martyrum cultum, de quorum nempe martyrio & causa martyrii certo constabat, permisit: tum quia hæretici, inprimis Montanistæ, & Donatistæ Martyres suos & ipsi venditabant: tum quia erratum aliquando in falsis Martyribus obrepere poterat (e): tum quia aliquoties quidam sponte fortassis sine instinctu speciali, & non satis caute se martyrio obtulerunt, quos antiquior Ecclesia rejiciebat (f). Unde in Romana Ecclesia Clemens I. septem Diaconos;

(d) Cit. epist. pag. mihi 624.

(e) Huc pertinet historia de S. Martino Turonensi, qui adhibita omni diligentia larvam falsi Martyris detexit. De hoc vid. supra.

(f) Equidem Ecclesia quosdam colit Martyres, qui se periculo mortis objiciebant, quemadmodum legimus de S. Apollonia, quæ sponte in ignem prosiliit; sed illos duntaxat, de quibus certa est, quod supernaturali instinctu fuerint agitati.

nos; Fabianus vero totidem Subdiaconos instituisse feruntur, ut acta Martyrum fideliter conscriberent, & in ordinem redigerent. Licet autem Ecclesia Romana hæc acta summi haberet, ea tamen publice legi ex antiqua consuetudine prohibuit Decretum Gelasii Papæ in Concilio Romano (g); sane non ex alio capite, quam quod metueret, ne sint sincera, aut ab infidelibus conscripta. Certa itaque esse volebat Ecclesia de sinceritate actorum, priusquam illa legi permitteret. Ipsi etiam Episcopi, imo etiam fideles aliquem pro Martyre vix coli ferebant, nisi acta indubitata martyrium contestarentur. Hinc est, quod Lucilla Matrona a Cæciliano tum Archidiacono correpta fuerit, quod ante spiritualem cibum & potum os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur: *Et cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed necdum vindicati*, prout loquitur Optatus Milevitanus. Et in collatione Carthaginensi infra citata Mensurius Carthaginensis Antistes, cum fideles non nulli persecutoribus sponte se offerentes necati essent, ab eis honorandis prohibuit Christianos. *Vindicatos* ergo volebant Martyres, id est ab Episcopis agnitos & approbatos. Quam caute, quam circumspecte, quam accurate Episcopi egerint in statuendo cultu SS. Martyrum, pluribus exemplis Gregorii Turonensis, Gregorii Lingoniensis, & Gregorii M. illustrat Mabillonius (h). Notatu digna sunt verba Gregorii M., quibus rescripsit Augustino Anglorum Apostolo. Petierat Augustinus, ut reliquiæ S. Sixti Martyris sibi transmitterentur, quæ in quadam ecclesia recondi possent, ubi corpus cujusdam S. Sixti Martyris non satis sibi noti asservari dicebatur, cui in hæc verba respondit: *Fecimus, quod petisti, quatenus populus, qui in loco quodam S. Sixti Martyris corpus dixerunt venerari (quod tuæ Fraternitati nec verum nec veraciter sanctum videtur) certa sanctissimi & probatissimi Martyris beneficia suscipiens colere incerta non debeat: Mihi tamen videtur, quod si corpus, quod a populo cujusdam Martyris esse creditur, nullis illic miraculis coruscat, & neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se a parentibus passionis ejus ordinem audisse fateantur, ita reliquiæ, quas petisti, seorsim condendæ sunt, ut locus, in quo præfatum*

Exemplis illustratur.

Debent esse Martyres vindicati.

agitati. Hinc recte dicit Mabillonius: ***Non enim quosvis Martyres agnoscebat olim Ecclesia, quos temere in media pericula irruentes rejiciebat teste Mensurio Episcopo in collatione Carthaginensi.***

(g) **De hoc decreto lis est inter Eruditos. Codices quidam illud attribuunt Hormisdæ.**

(h) **Præfat. in Sæc. quintum, §. 6. pag. mihi 441.**

tum corpus jacet, modis omnibus obſtruatur, nec permittatur populus certum deſerere, & incertum venerari (i). Ecce, quam ſcrupuloſa, quam delicata, quam circumſpecta fuerit antiquior Eccleſia in permittendo cultu SS. Martyrum! utpote quæ non niſi Martyribus *vindicatis*, quorum & Martyrium, & cauſa Martyrii indubitatis argumentis commonſtrata, & ab Epiſcopis cognita fuit & recognita, cultum exhiberi permiſit.

Diſciplinæ hodiernæ rigor in Canonizatione Sanctorum.

Sed neque hodierna Eccleſia facilior eſt in canonizandis SS. Martyribus. Eſto enim rigor ille, quem Eccleſia adhibet in canonizatione SS. Confeſſorum, de quo mox dicemus, non obſervetur in canonizatione Martyrum, prout fuſe probat Benedictus XIV. in ſuo opere de Beatif. & Canoniz. SS. Tom. I., nihilominus ex hodierna praxi requiritur, ut argumentis irrefragabilibus conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii, & utrumque ab Eccleſia approbetur.

Debet conſtare de virtutibus heroicis, & miraculis certis.

Quod ſi de SS. Confeſſoribus eorumque cultu loqui velimus, anne major diligentia, major rigor excogitari poteſt, quam eſt ille, quem Eccleſia adhibet in canonizandis SS. Confeſſoribus? utpote quæ neminem albo Sanctorum adſcribit, niſi de ſanctitate evidenter conſtet, & quidem tam ex virtutibus non qualibuscunque, ſed heroicis in gradu eminenti poſſeſſis; quam ex miraculis claris pariter & evidentibus accuratiſſime examinatis. Requiruntur virtutes, ut hujusmodi Confeſſores fidelibus poſſint in exemplum, quod imitentur, proponi: exiguntur miracula, quatenus & de ipſis virtutibus, & de voluntate Dei volentis ſuos ſervos etiam in terris facere glorioſos eo luculentius conſtet (k).

Ex his ergo inferendum, quod ad hoc, ut SS. Martyres officiis publicis poſſint coli, non ſufficiat conſtare de Martyrio; ſed etiam debere conſtare de cauſa Martyrii; & tales Martyres debere eſſe *vindicatos*, id eſt ab Eccleſia cognitos & approbatos; item non ſufficere ſola miracula qualiacunque, ſed evidenter probata; imo ne hæc quidem ſufficere: partim quod fieri poſſint miracula ad falſas reliquias ob fidem & pietatem, qui eas veras eſſe credunt: partim quod miracula præcedere, priusquam Sancti pro veris ac certis habentur, & coluntur, non vero

(i) Lib. 12. epiſt. 31.

(k) Audiatur Gregorius IX. in Bulla Canonizationis S. Antonii de Padua: *Duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet & miracula: ſic, ut hæc & illa ſibi invicem conteſtentur: cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plene ſufficiant ad perhibendum teſtimonium Sanctitatis,*

vero factum subsequi debeant (1). Inferendum ulterius, quod, si sermo sit de sanctis Confessoribus, nec virtutes sine miraculis, nec miracula sine virtutibus, sed utrumque; & quidem virtutes non qualescunque sed heroicæ in gradu eminenti possessæ una cum miraculis pariter evidentibus & antecedentibus requirantur. Inferendum denique, quod his omnibus suppositis debeat accedere judicium Ecclesiæ, cujus est examinare, an gravitati Ecclesiæ conveniat, quibusdam Sanctis cultum decernere, nunc maxime, postquam Alexander III. Pontifex sibi suisque Successoribus causam canonizandi & decernendi cultum tanquam unam ex majoribus reservavit.

Utrum hæ regulæ Sanctis ignotis applicari possint? Eorum Martyrium non potest sufficienter probari.

Jam ut ad id, cujus gratia hæc ferme singula potissimum attulimus, veniamus, videamus, utrum hæ regulæ Sanctis illis incognitis, quibus hinc inde cultus defertur publicus, applicari possint. Anne enim, quærere liceat, horum Martyrium sufficienter demonstrari posse existimamus? Quæso, quæ probatio, si ne quidem de nomine Martyris constet? Et demus Martyrium probari ex vasculo sanguine tincto, nondum utique de *causa Martyrii* constat. Anne hi tales Martyres possunt dici *Martyres vindicati*, id est ab Ecclesia cogniti? Id nemo sanus dixerit, qui ad hodiernam Ecclesiæ praxin attenderit. Nam, si quæ corpora e cœmeteriis & tumulis erui contingat, totum negotium hoc modo peragitur. Præmissis nonnullis precibus, si quis tumulus nondum reseratus cum Christi monogrammate, cum signo palmæ, columbæ, aut aliquo consimili occurrit, tumulus ille detegitur, & si quidem certum martyrii in eo apparet indicium, puta vasculum sanguine tinctum, ossa e tumulo efferuntur. Dehinc lavanda traduntur certis ministris ad id deputatis, quibus lotis Cardin. Vicarius, vel Episcopus Sacrarii Apostolici Præfectus Augustinianus nomen Sancto imponit, si nullum habet, & in cistam obsignatam reponit. Atque hæc illa est Sanctorum incognitorum recognitio, &, ut ita dicam, canonizatio, quin aliud permittatur, saltem communiter, quam *ut venerationi fidelium in ecclesiis exponi possint.* Ut vero pro Sanctis publice habeantur, & cultu publico colantur, Episcoporum est, & maxime summi Pontificis dispicere, an id gravitati ecclesiasticæ conveniat.

Modus eruendi corpora similium Martyrum.

Caute procedendum Episcopis in decernendo cultu hujus-

Ex his quilibet dijudicet, quid sit sentiendum de cultu illo publico & solemni, quem Sanctis incognitis hinc inde impendi scimus, & quam caute procedendum Episcopis, curandumque, ut hujusmodi cultum

(1) *Sane hæc miracula præcessisse debuerant, nec subsequentia factum præcedens comprobant*, ait Mabill. pag. 629.

modi Martyribus. tum vel non permittant, vel abrogent; vel saltem prudenter temperent, & restringant. Neque quis contra hæc obmoveat, quod de facto plures in Ecclesia e. g. S. Christophorus, & quidam SS. Martyres publice colantur, de quibus ex Majorum traditione nihil certi accepimus. Verum magna est inter utrosque distantia, magnum intervallum: quia cultus hujusmodi Sanctorum habet suam authoritatem a primitiva Ecclesia & traditione ad nos usque derivata, cui sine dubio martyrium vel sanctitas illorum fuerit comprobata. Quare etsi nulla de illorum actis ad nos pervenerit notitia, hanc sufficientissime supplet authoritas primitivæ Ecclesiæ: id quod de Sanctis incognitis dici nequit. Hactenus de regulis in cultu reliquiarum observandis.

Non certo constat de sanctitate quorumdam, & tamen coluntur, & quare?

De cultu Reliquiarum.

Jam de ipso dogmate nobis agendum foret, *an cultus reliquiarum sit præceptus aut saltem licitus?* Sed ne falcem in alienam messem immittamus, cum hæc materia sit disquisitionis Theologicæ, fusiori deductione abstinemus. Interim licebit nobis dogma catholicum paucis exponere. Duo autem complectitur dogma catholicum, quorum primum est, cultum reliquiarum non esse absolute præceptum; alterum, illum esse licitum pium ac utilem.

Non est præceptus, nec absolute necessarius.

Illud primum inde ostenditur, quod tale præceptum nec in scriptura, nec in traditione, nec in aliquo Concilio aut decreto Ecclesiæ inveniatur. Equidem Synodus Tridentina definiit, SS. reliquiis venerationem & honorem deberi, easque non inutiliter honorari: attamen nullum præceptum legitur, quo cultus positivus singulis fidelibus præcipiatur (m). Neque quemquam offendere debet verbum *debere:* id enim vel de quadam summa decentia, vel cultu negativo intelligendum est, quatenus eas inhonorare inhibetur.

Est licitus pius & utilis.

Alterum dogma demonstrant Scripturæ, Traditio, & argumenta Theologica. Scripturæ quidem, utpote in quibus Deus hujusmodi cultum etiam prodigiis & miraculis approbasse legitur, dum per corpora non tantum vivorum ac mortuorum, sed etiam per illorum vestes & umbras patravit miracula in gratiam illorum, qui similia venerabantur. In Deuteronomio (n) legitur, quod Deus ipse corpus Moysis sepeliverit. Quodnam majus honoris argumentum afferri potest? In lib. 4. Reg. insigni miraculo honoravit pallium Eliæ quando Propheta iste pallio suo aquas Jordanis tangens eas mirabiliter

Ex Scriptura.

(m) Sess. 25. in Decret. de invocat. ubi sic legitur: *Affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas a fidelibus inutiliter honorari, damnandos esse.* (n) Cap. 34. v. 6.

biliter divisit. Illustri quoque prodigio commendavit corpus Elisæi, dum ad ejus contactum vitam mortuo restituit (o). Sed nec desunt exempla novæ legis. Nonne mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, simul ut tetigit vestimentum Christi, sanata est a plaga (p)? Tantæ efficaciæ erat, quidquid Apostolorum erat, ut sola umbra Petri infirmos curaret (q), sola sudaria & semicinctia Pauli variis mederentur infirmitatibus, & dæmonia ejicerent (r). Quod si tanta fuit virtus vestimentorum, quantæ non erunt reliquiæ & corpora Sanctorum?

Ex Traditione. Accedit traditio & perpetuus usus Ecclesiæ ab ætate Apostolorum ad nostra usque tempora. Sane teste Eusebio (s) summa cum reverentia in Ecclesia Hierosolymitana S. Jacobi asservata fuit Cathedra. S. Ignatii M. reliquias summa cura collegerunt & asservarunt Presbyteri & Diaconi Ecclesiæ Antiochenæ. S. Joannis Bapt. reliquias Sebaste in Armenia cum summo honore fuisse asservatas testatur Rufinus (t). S. Polycarpi Sæc. II. martyrio coronati reliquias summa in veneratione fuisse habitas in Ecclesia Smyrnensi probat epistola ab Ecclesia Smyrnensi scripta, quæ extat apud Eusebium (u). Sæculo III. dum S. Cyprianus sub ipso ferali ictu esset, ne quid sanguinis in terram efflueret, linteamina ac manuaria fuisse supposita, ejusque corpus ingenti cum triumpho mandatum fuisse terræ, testantur acta Proconsularia. Sæculo IV. jam Ecclesia summam curam adhibuit, ut veri Martyres a falsis secernerentur, jamjam altaria super eorum corpora erigebantur, eorum ossibus oscula figebantur a Christianis, priusquam ad Eucharistiam accederent: idque Donatistarum schismati occasionem præbuit: eo quod Lucilla factiosa non minus, ac potens fœmina a Cæciliano Carthaginensi Archidiacono correpta fuerat, quia id honoris Martyri nondum vindicato detulerat (x). Plenæ sunt hujusmodi exemplis historiæ ac antiqua documenta. Id ipsum probant solennes translationes SS. Martyrum, S. Stephani, de qua, & miraculis hac occasione patratis fidem facit S. Augustinus (y), SS. Gervasii & Protasii, de qua testatur S. Ambrosius (z), unaque refert prodigia propriis oculis usurpata. Quid jam de SS. Patribus dicamus, qui unanimi consensu cultum reliquiarum approbarunt? An non sepulchrum Christi

(o) Cap. 13. v. 21. (p) Matth. 9. v. 20. & seq.
(q) Act. 5. v. 15. (r) Act. 19. v. 11. (s) Lib. 7. Hist. cap. 19.
(t) Lib. 2. hist. cap. 26. (u) Lib. 4. cap. 15.
(x) Optatus lib. 1. contra Donat. (y) Lib. 22. de Civit. Dei. (z) Epist. 22.

Christi, mons Calvariæ, locus Nativitatis in præsepio, sepulchra SS. Apostolorum Petri & Pauli, S. Jacobi Compostellæ in Hispania (a), aliorumque sepulchra & corpora semper summo in honore fuerunt habita? An non Ecclesia Eunomium, & Vigilantium, aliosque contrarium sentientes constanter damnavit, & proscripsit? Eccur Ecclesia super corpora SS. Martyrum templa exstrui curavit, imo in Concil. Carthag. V. Can. 4. inhibuit, ne altaria absque Martyrum reliquiis exstruantur?

Ex rationibus Theologicis.

Sed nec desunt rationes Theologicæ, quibus id dogma demonstratum manet. Quid enim impietatis & idololatriæ in cultu reliquiarum lateat? an non corpora & reliquiæ Sanctorum summam merentur venerationem, quod fuerint viva membra Christi, templum Spiritus S., instrumenta bonorum operum? num cultus ille superstitiosus dici meretur, quem Deus innumeris quasi prodigiis commendavit? cur Deus linguam S. Joannis Nepomuceni incorruptam conservavit? cur ex ossibus S. Walburgæ salutiferum, & variis morbis medendis aptissimum oleum emanare facit? cur tot SS. Corpora & membra a corruptione immunia servavit? qualia plura in locis pluribus ostenduntur. Nonne hæc & his similia Sectarios plene convincere, & pudore suffundere deberent? Non ignoro, quid ad hæc reponant Sectarii: nempe hæc omnia causis naturalibus, & non nunquam Catholicorum fraudibus adscribunt. Ast quo argumento id probabunt? Demus etiam, quod hinc inde falsæ colantur reliquiæ: exinde tamen non sequitur, quod hic cultus sit impius, superstitiosus, & idololatricus: cum enim hic cultus sit respectivus, & omnis cultus ultimato collimet ad Deum tanquam objectum cultus principalissimum, semper verum erit, quod sit cultus pius, quod Sancti ipsi colantur, & in Sanctis principaliter colatur Deus. Præter intentionem fusiores in hac materia fuimus. Sed non pœnitet, quia hæc a paucis discutiuntur, & multis desunt libri, in quibus hæc leguntur.

§. XXIV.

Studium liturgicum necessarium, utilissimum, præstantissimum.

Superest, ut de studio liturgiarum, vel potius disciplinæ ritualis, quam hodie *Theologiam liturgicam* appellant, illiusque necessitate, utilitate & præstantia agamus. Profecto si quod est studium ad Religionem conservandam, Ecclesiam veram a falsis discernendam, & demonstrandam, ad hæreticos & Sectarios confundendos, mores fidelium

(a) Sunt, qui S. Jacobum in Hispaniam venisse negant, aut in dubium vocant. Sed istud ad hanc materiam parum vel nihil facit.

lium inſtruendos ac informandos, ac demum ad diſciplinam externam Eccleſiæ recte dirigendam Theologis præprimis, & Juris eccleſiaſtici Doctoribus apprime neceſſarium, utiliſſimum, quin & de ſe præſtantiſſimum, illud eſſe ſtudium liturgiarum, facile ab omnibus ſublimioris eruditionis ſtudioſis dignoſcitur. Cum enim Dominus Deus non modo Religionem aliquam cordibus noſtris ſolo lumine naturæ cognoſcibilem, quam *naturalem* vocamus, impreſſerit, verum etiam certos modos, quibus ab homine coli adorarique velit, adeoque Religionem quamdam revelaverit, ac ex plurimorum Doctorum ſententia revelare debuerit (b), atque a nobis non cultu duntaxat interno, ſed etiam externo, id eſt certis ritibus cultus interni conteſtativis adorari voluerit, quorum aliqui ad ſubſtantialia Religionis (c), alii ad adiaphora pertinent (d), & a cœtu eccleſiaſtico libere quidem, ſed ex cauſis gravibus fortaſſis ad exprimendum myſterium, ad decorem domus Dei (e) aſſumuntur, profecto Religionis & Eccleſiæ intereſt, ut hi ritus & ceremoniæ ſive a Deo ad conteſtandum debitum ſibi cultum inſtitutæ, ſive libere aſſumptæ non tantum non ignorentur; ſed etiam dilucidentur, fidelibusque explanentur, ne ex illorum ignorantia, deſpectu, contemptu & vilipenſione ſequatur ipſum Religionis excidium, Religio pedetentim in ſubſtantialibus deficiat, & ſuo tempore in ſuperſtitionem degeneret.

Deus cultu interno & externo adorari vult.

Ritus alii ſubſtantiales, alii accidentales.

Eorum notitia ſumme neceſſaria

Fac enim ritus Religionis chriſtianæ ſubſtantiales e.g. ritum baptiſmi, aliorumque Sacramentorum ignorari, nunquid actum erit de Religione chriſtiana? fac ritus ab Apoſtolis, Conciliis, Pontificibus, & Epiſcopis decretos vilipendi, negligi, & contemni, nunquid mera confuſio, mera turbatio, merum chaos naſcetur in univerſa Eccleſia? Et nunquid intereſt vel maxime Religionis, ut ſua conſervetur puritas & integritas, & ſupremo Numini exhibeatur cultus externus purus, integer; non ſuperſtitioſus, non idololatricus? Quid jam futurum exiſtimamus, ſi negligantur liturgiæ antiquæ, deſpiciantur antiqui Eccleſiarum ritus, ſtudium liturgicum contemnatur?

Reſpective ad Religionem Chriſtianam.

X 2 Ipſius

(b) De Religione naturali & revelata, utraque demonſtrabili vid. Tom. I. Quæſt. I. de Jur. Eccleſ. in genere cap. 2. §. 2. & ſeq.

(c) E.g. in lege antiqua circumciſio, eſus agni paſchalis; in nova baptiſmus, & apud Catholicos ſacrificium Miſſæ.

(d) Innumeri ritus in adminiſtratione Sacramentorum e. g. exorciſmi in baptiſmo.

(e) E. g. unctio in baptiſmo, ornatus Eccleſiarum &c.

Respective ad Ecclesiam christianam. Ipsius etiam Ecclesiæ Christianæ intereft, ut ftudium liturgicum excolatur: cum enim plures fint cœtus facri, qui nomine Chriftianitatis gloriantur, nota quadam characteriftica opus eft, ut, quæ fit vera, & genuina Ecclefia dignofcatur. *Nota characteriftica Ecclefiæ veræ eft cultus externus fecundum præfcriptum legis divinæ adornatus.* Ego autem fic exiftimo, inter cœteras notas characterifticas Ecclefiæ vere chriftianæ computandum effe cultum externum, quem fecundum præfcriptum legis divinæ Deo exhibere jubemur. Quod fi jam cœtus quiscunque facer ab hoc præfcripto in cultu divino externo & ritu quodam fubltantiali deflectat, inaniter prorfus nomine Ecclefiæ veræ gloriatur. Demus jam, quod Chriftus Dominus Sacrificium Miffæ inftituerit, quemadmodum nos Catholici credimus: Demus ulterius hunc ritum in quocunque cœtu facro deficere, nemo profecto erit, qui talem Ecclefiam effe veram dicere aufus fuerit. *Ritus & cæremonias docent liturgiæ.* Undenam autem melius difcimus ritus & cæremonias cultui externo infervientes, a Chrifto præceptas, & ab Apoftolis traditas, quam ex antiquis liturgiis, praxi & confuetudine primitivæ Ecclefiæ, quam ipfi hodierni Sectarii puram adhuc, integram, immaculatam & fimplicem fufpiciunt? Etfi vero pofterior Ecclefia ritus & ceremonias mirum in modum auxerit & multiplicaverit, id factum eft cum fumma difcretione ex caufis honeftis, & gravibus, retentis ritibus fubftantialibus, quos & Chriftus inftituit, & Apoftoli tradiderunt.

Scientia liturgica eft neceffaria ad confundendos Sectarios. Hæc ipfa liturgiarum fcientia plurimum utilitatis affert ad confundendos hodiernos Sectarios, eosque plurium errorum convincendos, quos in fuis doctrinis potiffimum in materia Sacramentorum, in cultu Sanctorum & facrarum reliquiarum commiferunt. Si hiftorias liturgicas antiquiffimas, antiquas, & noviores luftremus, facile comperiemus, quod antiquiores potiffimum, & non nulli etiam noviores Sectarii nihil habuerint antiquius, quam ut defævirent in Sancta Sanctorum, in Sacrificium Miffæ, in facraria, templa, altaria, facerdotes, & quidquid facrum & fanctum effe aut dici poteft. *Potiffimum errarunt in doctrinis ad liturgiam fpectantibus. Exemplo funt antiquiffimi hæretici.* Ut filentio prætereamus antiquiffimos hæreticos Nicolaitas, Simonianos, Menandrianos, Gnofticos, Carpocratianos, Ophitas, Marcionitas, Montaniftas, aliaque hujusmodi nominum & hominum monftra, qui inceftis, funeftisque facrificiis rem liturgicam defœdarunt; Arianos & Donatiftas, qui in Sacerdotes catholicos, eorum templa, vafa & altaria, aliaque facra defævierunt; *Qui in omnia facra fuum furorem effuderunt.* Iconoclaftas, qui in facras imagines omnem furorem & fævitiem exercuerunt; Waldenfes, qui ecclefiaftica officia inania effe ducebant, ecclefias, altaria, eorumque confecrationem, ornatum & facram fupellectilem, indumenta, luminaria, thurificationes, aquam benedictam, proceffiones, exorcismos aliosque facros ritus

ritus a Ministris ecclesiæ fieri solitos deridebant, aspernabantur, & liturgica omnia conculcabant, & tanquam superstitiosa rejiciebant (f). Quid non tentarunt, quid non perpetrarunt Calvinistæ? quippe qui non erubuere Sanctorum imagines & reliquias flammis addicere, altaria subvertere, templa incendere, ecclesias spoliare, Sacerdotes trucidare, Sanctum Domini canibus projicere, sanctaque omnia conculcare & conspurcare (g). *Etiam noviores præsertim Calvinistæ.*

Quantum vero liturgiæ, earumque notitia & studium ad mores instruendos informandosque, ad pietatem fovendam nutriendamque, devotionem excitandam, charitatem inflammandam tribuant, quis satis edicere valeat? Cum enim eum in finem Christus & Ecclesia ritus & cæremonias instituerit, ut supremo Numini cultus decenter exhibeatur, in domo Dei omnia ordinate fiant, sane interest vel maxime Religionis & Ecclesiæ, ut fideles in cultu externo, & in ritibus ac ceremoniis decenter instruantur, ne illorum pietas in superstitionem degeneret; vera autem pietas consolidetur, roboretur, & muniatur. Audire lubeat Cardinalem de Bona (h), qui super hac re ita discurrit: *licet ipsæ ceremoniæ nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem, sunt tamen actus externi religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superiora elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio, & veri fideles a pseudochristianis & heterodoxis discernuntur.* *Notitia liturgiarum est necessaria ad mores informandos.* *Fideles in cultu externo sunt necessario instruendi.*

Quid de disciplina ecclesiastica dicamus? Ad hanc profecto recte dirigendam vel maxime necessaria est notitia liturgiarum: siquidem, quidquid est disciplinæ ecclesiasticæ, id ferme omne ad res liturgicas pertinere videtur. Quoniam vero quemadmodum in aliis rebus disciplinaribus, ita etiam in ritibus, ceremoniis, aliisque rebus liturgicis multi irrepserunt abusus, & adhuc irrepere possunt, opus est quadam disciplina, quæ nobis leges liturgicas explicet, & interpretetur, tradat regulas, secundum quas abusibus obviari, cultus externus in honorem Dei, salutem animarum, ac bonum Ecclesiæ dirigi valeat. Sed quænam hæc alia est disciplina, quam Theologia liturgica? quæ tanto magis est necessaria, quanto majores sunt cavillationes Sectariorum contra ritus & ceremonias Ecclesiæ Catholicæ (i) in eo inaniter glorian- *Scientia liturgica ad disciplinam recte dirigendam necessaria.* *Propter abusus tollendos & impediendos.* *Et confundendos Sectarios*

X 3 tium,

(f) Vid. Benignus Bossuet Tom. II. Histor. Variat. a pag. 161. ad pag. 212.

(g) Plura vid. in Card. de Bona Præfat. Genér. §. V. (h) Ibid. §. III.

(i) Vid. supra dicta contra Boehmerum.

tium, quod jugum Ceremoniarum excusserint, sibique libertatem conscientiæ vindicaverint. Transmittamus enim conficta eorum dicteria, varios circa disciplinam commissos esse errores in uno alterove loco, quæ inde Ecclesiæ labes? Utique abusus & superstitio non fuit orta ex sacrorum rituum natura, sed contra Ecclesiæ mentem, vel ex mala applicatione, vel ruditate plebis, vel aliorum malitia? nunquid indifferentia non solum, sed etiam sanctissima in abusus detorqueri possunt vitio hominum? Vitia semper fuerunt, ac erunt, quamdiu dabuntur homines; abususque occurrunt in antiquis & novis temporibus: Num hæc Ecclesiæ imputari possunt? neutiquam. Hæc semper sua consilia eo direxit, ut contraveniret abusibus, quos Acatholici astuto plane consilio tanquam doctrinam ac disciplinam Ecclesiæ catholicæ venditare consueverunt. Abusus igitur non tollunt legitimum usum, sed illi sunt eradicandi, hominumque mores corrigendi agnoscente ipso Boehmero (k), dum ait: *Sunt ritus tantum honoris interni signa externa: sunt reverentiæ debitæ testimonia, & devotionis excitamenta: signa autem sunt arbitraria, nec per se vitium habent, id potius accipiunt ex malitia cordis humani, pravaque intentione eorum, qui signis hisce arbitrariis abutuntur. In corde hominum subsidet superstitio, ibi quærenda, ibi quoque expungenda est, neque illam in totum suppresseris, si vel maxime ritus minueris, cum radix superstitionis eo ipso ex cordibus hominum haud evellatur, sed per solidum pietatis exercitium mutata mente expellatur.* Neque ipse Lutherus a ritibus & ceremoniis adeo alienus fuit, ut non gravissime Carlstadio ceremonias ecclesiasticas abolenti indignaretur.

Cavillationes eorum inanes sunt.

Abusus non debent imputari Ecclesiæ, nec tollunt usum bonum.

Testimonium Boehmeri pro bono usu rituum.

Quid jam de necessitate notitiæ liturgicæ ad Theologiam potissimum polemicam & Sacramentariam dicamus? Nunquid præcipua utriusque capita potissimum consistunt in dilucidandis ritibus, ceremoniis & formulis, quas vel Christus instituit, vel Ecclesia præcepit, vel consuetudo introduxit? *Denique ad Theologiam Polemicam solidius tractandam,* ait Vir a Sacris Catholicis alienus (l), *hoc studium vel maxime pertinet. Itaque qui de cultu & invocatione Sanctorum accurati quid dare tentaverit, sine veterum recentiorumque liturgiarum inspectione nihil egregii efficiet. Idem de cultu imaginum & reliquiarum dictum esto.* Et nunquid disciplina liturgica hodie insignem prorsus Theologiæ partem efficit, quam *Theologiam liturgicam* appellamus?

Scientia liturgica ad Theologiam necessaria.

Potissimum Polemicam.

Idem

(k) Differt. de jure liturg. Eccles. pag. 21.

(l) Cit. Pfaffius, quem ideo citare placuit, ut testimonium haberemus, contra quod Sectarii vix possunt excipere.

Idem judicium esto de Jurisprudentia ecclesiastica. Sane cultum publicum ritusque ecclesiasticos præcipuum illius esse objectum, res ipsa docet. Agitur in Jure ecclesiastico de Magistratibus sacris & Personis ecclesiasticis: Quæso quanto ceremoniarum apparatu defungendum est in ordinatione Clericorum, consecratione Episcoporum, & celebratione divinorum? Agitur de rebus sacris, de administratione Sacramentorum, consecratione & benedictione altarium, ecclesiarum, cœmeteriorum, celebratione festorum, cultu Sanctorum, & reliquiarum. Nunquid hæc omnia & singula ad jus ceremoniale ecclesiasticum & liturgicum spectant? ut adeo mirum non sit, quod Doctores Juris ecclesiastici noviores in tradendo jure ecclesiastico præcipuam ferme partem consecrent cultui publico, ritibusque ecclesiasticis explanandis. *Etiam ad Jurisprudentiam ecclesiasticam. Cujus præcipuum objectum est cultus publicus.*

Nihil ergo mirum videri debet, quod sicut ad excolendas alias scientias institutæ sunt Societates eruditæ, sic etiam ad excolendas res liturgicas erectæ sint Academiæ. Hunc in finem eruditissimus & gloriosissimæ memoriæ Pontifex Benedictus XIV. fundavit Academiam *Conciliorum* ac *Rituum*, quæ statutis temporibus in Palatio Quirinali celebratur, cujusque socii per elaborationes eruditarum Dissertationum rem liturgicam illustrant. Ad exemplum hujus Pontificiæ Academiæ alia in Lusitania, scilicet *Academia Conimbricensis liturgica* erecta fuit. Idem laudatissimus Pontifex primum, quantum scimus, constituit Professorem sacrorum Rituum Romæ in collegio Romano, quod munus delatum fuit P. Avezedo S. J. ab editis operibus liturgicis celeberrimo. Jamque aliæ Academiæ Catholicæ, Viennensis & Salisburgensis scientiam liturgicam excolere incipiunt, optime perspectum habentes, quantæ necessitatis, utilitatis & præstantiæ sit studium liturgiarum. *Academiæ ad illustrandas res liturgicas institutæ. Talem instituit Benedictus XIV.*

Jam ad ipsum studium liturgicum gressum promoveamus; & quæ ad notitiam, vel si dicere malis, scientiam liturgicam perfecte acquirendam sint necessaria, videamus. Id antequam præstemus, explicandum erit, quæ sit genuina scientia ritualis seu liturgica. Est nempe notitia liturgiarum conjuncta cum scientia eas recte interpretandi ac sapienter applicandi in ordine ad cultum supremo Numini in Ecclesia a Christo instituta decenter exhibendum, utpote ad quem ultimato omnes leges liturgicæ & liturgiæ collimant. *De Studio liturgico. Quæ sit genuina scientia liturgica?*

Ex hoc jam manifeste sequitur, duo præcipue ad hanc scientiam requiri, nempe *notitiam liturgiarum*, & *scientiam* eas scite *applicandi.* Age, & qua arte quis sibi perfectam liturgiarum notitiam comparare possit & debeat, dispiciamus. Hanc ad instar aliarum scientiarum ex libris esse hauriendam, nemo est, qui dubitet. Idcirco necesse est, ut quis *Requisita illius sunt duo. Requiritur notitia librorum & scri-*

ptorum liturgicorum. quis sibi comparet notitiam librorum ecclesiasticorum, in quibus de liturgiis, aliisque ad liturgias pertinentibus agitur; & ipsorum Scriptorum, qui hanc materiam ex professo tractarunt. In eo ergo mihi desudandum, ut libros & Scriptores rerum liturgicarum manifestos faciam. Sed neque in hoc fusiori calamo immorandum, quod hoc labore egregie defunctus sit Robertus Sala in *Præfatione generali* ad libros rerum liturgicarum Cardinalis de Bona (m). Quoniam vero discipulis potissimum scribimus, quibus hæc opera ad manus non sunt, præcipuos non nisi Scriptores recensebimus, eosque in quinque classes dividemus, in quarum prima Scriptores rerum liturgicarum antiquos; in secunda recentiores; in tertia eos, qui particulares ecclesiarum liturgias exornarunt; in quarta collectores liturgiarum & Scriptorum de rebus liturgicis agentium; in quinta Scriptores Protestanticos in medium proferemus.

Quæ haurienda ex Præf. gener. P. Sala ad res liturgicas Card. de Bona.

Scriptores rerum liturgicarum sunt quintuplicis generis.

Scriptores antiqui recensentur.

Scriptores rerum liturgicarum antiqui sunt præcipue sequentes: Isidorus Hispalensis (n). Venerabilis Beda (o) Amalarius Metensis (p), Rabanus Maurus (q), Walafridus Strabo (r), Regino (s), Micrologus (t), Ivo Carnotensis (u), Rupertus Tuitiensis (x), Guilielmus Durandus aliique (y).

Nec

(m) §. IV. (n) Scripsit duos libros de offic. divin., quos multi Scriptores putant esse apocryphos. Vid. infra dicenda Cap. IV. §. XI.

(o) Inter hujus opera occurrit liber de officiis, circa quem sunt diversa Criticorum judicia. Vid. infra Cap. IV. §. XII.

(p) Scripsit libros IV. de divin. offic. Vid. Alex. Natal. Hist. Eccles. Tom. VI.

(q) Vid. infra Cap. V. §. VIII. ubi de operibus illius, inter quæ huc pertinent libri tres de Instit. Cleric. Item vid. Mabillonii *Elogium Rabani historicum.*

(r) Fuit Monachus Benedictinus, Rabani Mauri discipulus, postea Augiæ Majoris Abbas, & scripsit librum de divinis officiis. Vid. Præfatio gener. P. Sala.

(s) Scripsit librum de discip. Eccles. vid. infra Cap. V. §. X.

(t) De hoc vid. Mabillonius in Ord. Rom. & P. Sala in cit. Præf. generali.

(u) De Eccles. sacram. ac officiis & præcipuis per annum festis. Vid. infra Cap. V. §. XII.

(x) Abbas Cœnobii Tuitiensis de divin. offic. libri 12. sunt tamen Scriptores quidam, qui illos in dubium vocant, de quo vid. Nat. Alex. Hist. Eccles. Tom. VI. m. pag. 521.

(y) Fuit Episcopus Wimatensis, & communius dicitur Speculator, ac scripsit Rationale divinorum officiorum in octo libros distributum. Vid. cit. Præfat.

Nec desunt recentiores Scriptores, qui a Sæc. XV. usque ad novissima tempora ritus ceremoniasque illustrarunt, quorum præcipui sunt Augustinus Patritius (z), Joan. Steph. Durantius (a), Florentinus Vanderhaver (b), Gabr. Albaspinæus (c), Barth. Gavanto (d), Joan. Bona Cardinal. (e), Robertus Sala (f), Joan. Morinus (g), Cabassutius (h), Edm. Martene (i), Card. Thomasius (k), Benedictus XIII. P. M. (l), Benedictus XIV. P. M. (m), P. Azevedo S. J. (n), Joseph *Recentiores.*

(z) Scripsit libros tres de Ritibus Eccles. ad Leonem X. P. M. de quo vid. Antonius Dürr Comment. Hist. de Episcopo Puerorum Mogunt. 1755 edita.

(a) Fuit Præses Senatus Tolos., cujus nomine prodierunt de *Ritibus Ecclesiæ* libri tres. Vid. mox citatus author.

(b) Edidit. Antiq. liturg. Syntagma tribus Tomis in 8. divisum. De hoc vid. cit. Præf. gener.

(c) Episcopus Aurelianensis, vir immensæ eruditionis, & a multis editis operibus celebratissimus, e quibus huc potissimum pertinent libri duo observationum Eccles. aliique.

(d) Cleric. Regul. S. Pauli Barnabita, scripsit *Thesaurum sacrorum Rituum*, qui Romæ prodiit 1630. Notis vero illustratus fuit a P. Merati Cler. Regul. Theat. Venet. 1738.

(e) Scripsit celeberrimus hic Author opera plura ad illustrandam liturgiam summe proficua, quæ pluribus recensere labor foret supervacaneus.

(f) Hic opera liturgica Card. de Bona eruditissimis illustravit notis.

(g) Duo præcipue hujus Authoris opera sunt celeberrima, unum de S. Eccles. Ordin.; alterum de Pœnitent. utrumque ad illustrandos ritus antiquissimos in administratione Sacramentorum adhiberi solitos peropportunum.

(h) Edidit Notitiam Eccles. Concil., in qua plurima leguntur ad rem liturgicam facientia.

(i) Scripsit hic Author, si quis alius plurima illustrandæ rei liturgicæ opportunissima, & inter alia libros IV. de antiquis Eccles. Ritibus, tractatum de antiq. Eccles. discip. in celebrandis divinis offic. Item de antiquis Monachorum Ritibus.

(k) De hoc infra dicemus.

(l) Ejus opuscula liturgica prodierunt Romæ 1726.

(m) Hujus opera aliunde sunt notissima, inter quæ huc faciunt, quæ scripsit de SS. Missæ sacrificio, & de Servorum DEI Beatificatione, ac festis &c. plura infra dicentur.

(n) Natione Lusitanus S. J., qui procuravit novam Operum Benedicti XIV. editionem

ſeph Catalanus (o). Cæteros Scriptores, qui vel de ritibus particularibus e. g. in ſacrificio Miſſæ obſervandis, quales plures recenſet Sala, vel non niſi accidentaliter in ordine ad alias materias illuſtrandas, vel pauca admodum de rebus liturgicis ſcripſerunt, ſtudioſe prætermittimus, & lectores ad alios Scriptores ablegamus (p).

Scriptores liturgiarum particularium.

His accenſendi ſunt Scriptores, qui particulares Eccleſiarum liturgias illuſtrarunt, inter quos veniunt primo loco duo Congregationis S. Mauri lumina Hugo Menardus (q), & Joan. Mabillonius (r), quibus accedunt Lud. Ant. Muratorius (s), & Joan. Pier (t).

Scriptores Collectionum.

Præter hos extant authores, vel potius collectores, qui liturgias, & Scriptores ad rem liturgicam pertinentes improbo labore collegerunt. Inter antiquiores recenſentur Joan. Cochlæus, Wolf. Lazius, Georg. Caſſander, Claudius de Saintes, Melchior Ittorpius, Jacobus Pamelius.

---

tionem, illiusque opera vaſtiſſima redegit in compendium, & ab eo conſtitutus eſt primus Profeſſor SS. Rituum in collegio Romano, ubi cum applauſu rem docet liturgicam. Orationes ab ipſo habitæ ſub auſpicio novarum lectionum præmiſſæ ſunt novæ editioni *tract. de SS. Miſſ. Sacrificio*, de anno 1748. in quarto. Occupatur in *novo theſauro liturgico* colligendo.

(o) Edidit *Pontificale Rom. notis illuſtratum*, & *Commentarium in Aug. Patritii opus de Ritibus Eccleſiæ.*

(p) Ad citatum P. Sala, & Pfaffium in cit. Differt. de liturg. Nos celebriores, & illos, qui magis generica tradunt, ſelegimus. Plerique, quos recenſet cit. P. Sala, agunt de ritibus, qui in Sacrificio Miſſæ adhiberi ſolent.

(q) Præter alia egregia opera ad rem liturgicam pertinentia edidit *Sacramentarium S. Gregorii M. cum notis.*

(r) Huc pertinet *Commentarius in Ordin. Rom.*, quem inſeruit Muſæo Italico Tom. II. Item *Tractatus de liturgia Gallicana*; ejus *epiſtola de liturgiæ Gallicanæ abrogatione* Tom. I. Oper. poſthum.

(s) Edidit *liturgiam Rom. veterem*, in qua Miſſalia & Sacramentaria antiqua continentur. Præmiſit Præfationem valde notabilem, quæ duabus conſiſtit partibus, in quarum prima exhibetur hiſtoria antiquæ liturgiæ Romanæ. Secunda pars eſt Polemica contra impugnatores rituum Eccleſ. Rom. ſcripſit etiam *Diſſertationem de Ritibus Ambroſianæ Eccleſiæ*, quæ extat. Tom. IV. Antiq. Ital.

(t) Scripſit *tractatum Hiſtorico-Chronologicum de liturgia antiqua Hiſpan. Gothica, Iſidoriana, Mozarabica, & Toletana.*

lius. Noviores ſunt Card. Thomaſius (u), Card. Quirinus (x), Aſſemannus (y), P. Azevedo (z). Huc pertinent Decreta congregationis Rituum in unum collecta (a).

Scriptores liturgiarum Proteſtantici.

Ipſi etiam DD. Proteſtantici rebus liturgicis illuſtrandis omnem navant operam: niſi dicere velis, maligno id ab ipſis fieri animo, & potius ſtudio impugnandi, quam illuſtrandi. Quidquid de hoc ſit, ſaltem multum utilitatis referet, quisquis hos authores legerit, dummodo nigrum ab albo, vile a pretioſo ſciat bene diſcernere. Inter hos celebriores, aut ſaltem notiores ſunt Joach. Hildebrand (b), Boehmerus (c), Mat-

(u) Collegit Thomaſius reſponſoria, Antiphonaria, libros Miſſarum, codices Sacramentorum Rom. Eccleſiæ. Operum Thomaſii novam editionem notis illuſtratam procuravit Ant. Franc. Vezzoſi Ord. Cleric. Reg. Theatin.

(x) Etiam in re liturgica Quirinus Philologorum hujus ævi fere Princeps habet ſua merita. Hic, dum Clemens XI. cogitaverat inſtituere Congregationem ad examinandos libros Græcorum ac Orientalium liturgicos, ut illius conatus juvaret, credidit ſe optime facturum, ſi exactam officiorum Græcorum editionem ex antiquis codicibus depromptam adornaret. Jamque actu edidit Tom. I. ſub titulo: *Officium quadrageſimale Græcorum recognitum & caſtigatum ad fidem præſtantiſſimi Codicis Barberini in latinum ſermonem converſum atque Diatribis illuſtratum.* Cum ecce! Secretarius Congregationis metuens, ne editis hiſce libris Pontifex Congregationem tanquam ſuperfluam ſupprimeret, rem callide eo deduxit, ut ipſa Congregatio daret decretum inhibitivum, ne reliqui publicarentur Tomi. Edidit tamen poſtea *Enchiridion Græcorum, quod de illorum dogmatibus, & Ritibus Rom. Pontificum decreta poſt ſchiſmatis epocham edita, nunc primum in unum collecta complectitur.*

(y) Incepit hic Author publicare *codicem liturgicum univerſæ Eccleſiæ*, ſub titulo: *Codex liturgicus univerſæ Eccleſiæ in 15. libros diſtributus &c.*

(z) Edidit anno 1748. *Conſpectum Theſauri liturgici.* Erit hæc collectio Scriptorum liturgicorum locupletiſſima, & conſtabit X. Tomis.

(a) Venetiis anno 1750. prodiere *Decreta authentica ſacræ Rituum Congregationis notis illuſtrata ad SS. Papam Benedictum XIV.* Item Bergami anno 1751. *Rituale expenſum*, ſive in S. Congregationum decreta Commentarius Authore Fr. Antonio Cavalieri de Bergamo Ord. Erem. S. Auguſt.

(b) Differt. de Ritibus ſacris Helmſtad. 1655.

(c), Matthæus Pfaffius (d), Caſpar Calvœrius (e) & Joan. Fridericus (f).

Itali ſingularem merentur laudem, & inter hos Scriptores excellunt.

Plures hujusmodi Scriptores afferunt P. Sala, & Pfaffius locis ſupra citatis. Inter Scriptores liturgicos primam laudem procul dubio merentur Itali, quorum libri in hac potiſſimum materia in ſingulos annos vulgati ferme omnem numerum excedunt, ut adeo recte ſcripſiſſe videatur Author della ſtoria letteraria d'Italia (g): regna piu che giammai nella noſtra Italia il genio liturgico.

De libris liturgicis remiſſive.

Ad ſtudium liturgicum vel maxime pertinet notitia ipſarum liturgiarum, aliorumque librorum eccleſiaſticorum, quales ſunt *Ritualia*, *Pontificalia*, *Sacramentaria*, aliique. Quoniam vero de his per decurſum hujus capitis egimus, longiori deductione ſuperſedemus. In compendio hos libros tam Catholicos, quam Proteſtanticos recenſet Pfaffius (h).

De Scientia proprie liturgica.

Ad alteram partem *Scientiæ liturgicæ* devolvimur, quæ non conſiſtit in nuda & ſimplici notitia liturgiarum, librorum, & Authorum; ſed vel maxime in habitu leges liturgicas rite interpretandi, & applicandi. Quid enim juvat, ſi quis ſua memoria complectatur omnes libros, & leges liturgicas, niſi etiam calleat regulas illas in bonum religionis & inſtructionem fidelium ſcite applicandi? Itaque quemadmodum aliæ ſcientiæ, ita etiam ſcientia liturgica habet ſua *Præcognita* & *ſubſidia*, ſine quibus perfecte obtineri, aut rite applicari non poteſt. Ad *Præcognita* referimus principia Religionis chriſtianæ, nec non ſacratioris Theologiæ. Religio nobis manifeſtat modos, quibus DEUS a nobis coli velit: Theologia ſuppeditat principia, ritus & ceremonias ad fines præſtitutos debite applicandi. Quod ſi jam ritus & ceremoniæ a modis colendi DEUM revelatis degenerent, aut ſi a fine debito deflectant, inanes ſunt, ſuperſtitioſi ſunt, mali, imo peſſimi ſunt. Et undenam media hiſce malis contraveniendi depromenda ſunt, niſi ex ſolidioribus Theologiæ principiis? Vel ad ſolas regulas diſciplinæ liturgicæ directrices reflectamus: nunquid hæ ex principiis Theologiæ tam generalibus quam particularibus deſumuntur? qua arte ſtudioſus rei liturgicæ ritus ſubſtan-

Quæ habet ſua Præcognita & ſubſidia.

Quæ ſint Præcognita?

Huc pertinent principia ſolidioris Theologiæ.

(c) Diſſert. de jure liturg. Tomo III. Jur. Eccleſ. præmiſſa.

(d) *Diſquiſitio de liturgiis, Miſſalibus, Agendis, & libris Eccleſ. Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis veteris & modernæ.*

(e) Scripſit *Rituale eccleſiaſticum* Jenæ anno 1704. editum.

(f) *Liturgia vetus & nova* ibidem edita 1705.

(g) Tom. I. cap. 4. (h. Sæp. cit. Diſquiſ.

fubftantiales ab accidentalibus, neceffarios ab indifferentibus difcriminabit, nifi Theologia fuppeditet regulas certas & tutas? Undenam venere tot abufus, qui in re liturgica, in ritibus & ceremoniis irrepferunt? nifi quod quidam fuæ pietati nimium fidentes contemptis, vel certe non intellectis fanioribus Theologiæ principiis ex indifcreto zelo ritus adoptaverint magis ad deftructionem, quam ædificationem facientes, quos, fi ad accuratiorem Ecclefiæ & Theologiæ trutinam vocemus, nefcio fane, utrum ab Ecclefia admitti valeant. Itaque antequam quis fe Theologiæ liturgicæ confecret, antea prima Theologiæ principia optime imbibat, neceffe eft. Ipfi autem Magiftri in eo laborent, ut præcepta faniora, & regulas certiores ac fecuriores tradant, & doceant. *Abufus ex neglectis principiis Theologicis.*

Inter fubfidia numeramus præcipue Hiftoriam ecclefiafticam, nec non fcientiam Criticam faniorem. Quemadmodum ambæ hæ fcientiæ funt veluti manuductrices cæterarum fcientiarum, ita etiam fcientiæ liturgicæ. Hiftoria docet originem, occafionem, fcopum & finem, quando, qua occafione & in quem finem ritus quidam introducti, vel abrogati, vel in locum antiquorum novi fuerint fubftituti: Critica fuppeditat regulas difcernendi inter verum & falfum. *Subfidia funt Hiftoria ecclefiaftica & fanior Critica.*

Hæc veluti obiter dicta, & occafionem fublimius cogitandi altiusque ruminandi fuppeditare volumus. Aliunde præter intentionem in hac materia prolixiores fuimus. Pro majori commendatione ftudii liturgici apponimus verba Doctoris Proteftantici, ut lector videat, quanti etiam Doctores a noftris facris alieni liturgias, illarumque ftudium æftiment: *Cum libri ecclefiaftici,* ait Pfaffius (i), *liturgiæ atque Agendæ, quæ vocant ecclefiaftica publica authoritate, atque approbatione totius, ubi quidem eorum eft ufus, ecclefiæ gaudeant, cum etiam antiquiffimæ illæ, quæ in ecclefia Orientali, atque Occidentali olim viguere, atque etiamnum vigent, liturgiæ ex apoftolicis temporibus multa trahant, cum denique non nifi ex liturgiis cultus publici ratio derivari, atque erui poffit, facile eft perfpicere, magnam easdem lucem omni Hiftoriæ ecclefiafticæ; maxime vero Dogmaticæ, & Rituali afferre, nec faltem curiofitatem Eruditorum pafcere, fed & præclaris egregiisque obfervationibus animum imbuere.* Idem repetit in Epimetro dictæ Difquifitionis pag. 72. ubi hæc fubdit: *Porro quænam veteris Ecclefiæ de Sacramentis fingulis doctrina extiterit, ex his maxime tanquam ex earum fontibus difcere nos oportet, nec inane hoc eft, quod jam diximus, veteres liturgias* *Pro confirmatione dictorum affertur teftimonium Matthæi Pfaffii.*

(i) Cit. Differt. quam ad calcem fuarum Inftit. Hift. Ecclef. attexuit Tubingæ anno 1721.

liturgias egregiis quoque observationibus asceticis, atque haud temnenda pietate animum imbuere, quod qui inficiari audet, legat, quæsumus, liturgias Græcas, legat eam, quæ in Constitutionibus Apostolicis extat, legat Chrysostomianam, legat & Joan. Bonæ libros, quibus res liturgicas veteres explicavit, egregiisque animadversionibus adspersit. Denique ad Theologiam Polemicam solidius tractandam hoc studium vel maxime pertinet. Ita qui de cultu, & invocatione Sanctorum accurati quid dare tentaverit, sine veterum, recentiorumque liturgiarum inspectione nihil egregii efficiet. Idem de cultu imaginum, & Reliquiarum B. V. Deiparæ dictum esto. Hæc Heterodoxus Scriptor, *ex quo*, loquimur cum P. Sala (k), *vides, quam Viro sacro Deique cultus amantissimo dignum, ac Religioni promovendæ proficuum sit venerandæ antiquitatis liturgicæ studium.*

CAPUT III.

De Canonibus & Constitutionibus Apostolicis nec non libris Dionysianis.

§. I. *De Canonibus, & constitutionibus Apostolicis remissive.* II. *De earum Authentia.* III. *De Collectione Dionysiana, seu libris Dionysio Areopagitæ adscriptis.* IV. *De authore & ætate eorum.*

§. I.

Canones Apostolorum cum constitutionibus Apostolicis non debent confundi.

Ad Canones, & Constitutiones Apostolicas delabimur, de quibus jam antea & alibi satis prolixe egimus (l). Hic quædam per modum appendicis adjicienda sunt, atque illud præprimis, quod Canones Apostolici cum ipsis Constitutionibus Apostolicis confundi non debeant. Collectio Canonum, prout refertur ad calcem Decreti Gratiani, continet Canones 84. Constitutiones vero Apostolicæ octo continentur Libris. Quidquid cæteroquin de his Canonibus & Constitutionibus, eorum origine, Authore, numero, & authoritate traditur, id omne incertum est. Nescio profecto, an aliqua sit collectio ac ista, quæ Viros doctissimos in tot opiniones distraxit, eorumque industriam ac vires ingenii ita fatigavit, ut in fine finali fateri debuerint, se oleum & operam in indaganda veritate perdidisse. Diversas super his Scriptorum opiniones

(k) In Præf. gener. pag. 67.
(l) Quæ. I. de Jur. Can. in genere.

niones singulari industria præter alios recenset Georgius Pertschius in parvo opusculo, quod inscripsit: Kurze Historie des Canonischen, und Kirchen-Rechts (m): Diversa etiam desuper judicia Authorum, præsertim Beveregii, Dallæi, atque suum proprium doctissime explanat celeberrimus Joannes Cotelerius, unaque tam in Canones, quam in Constitutiones singulari eruditione commentatur (n), cui id laudis jure meritissimo tribuit Pertschius, quod editionem Constitutionum Apostolicarum optimam adornaverit. Itaque inter varias de origine, antiquitate, & receptione Canonum disputantium ac diffidentium sententias summopere placet opinio laudatissimi Cotelerii, qui veluti Mediatorem agit inter Franciscum Turrianum, & Dallæum, quorum prior Canones Apostolicos omnes Apostolis tanquam Authoribus vindicat; posterior eosdem cuidam impostori hæretico adscribit. Idcirco contendit Cotelerius, eos nec ab Apostolis, nec ab impostore hæretico; sed a Viris Apostolicis secundo, tertiove Ecclesiæ Sæculo constitutos fuisse, publicatosque; successive vero aliorum antiquissimorum monumentorum instar interpolatos, ac adulteratos; cæterum vero in illis non nisi doctrinas Virorum Apostolicorum in Synodis definitas contineri, quæ circa finem Sæculi tertii sub nomine Canonum Apostolicorum in corpus istud, quod hodie circumfertur, relatæ sunt, usque adeo, ut hæc Canonum antiquissimorum Sylloge nihil aliud esse videatur, quam Codex Canonum primitivæ Ecclesiæ (o). Ad hanc suam opinionem dilucidandam observat complures ab ipsa etiam Apostolorum ætate Synodos fuisse celebratas. Exemplo sint ipsi Apostoli, qui controversiam de observantia legalium in Concilio Jerosolym. diremerunt. Sæc. II. oborta est controversia de celebrando Paschate, ad quam dijudicandam plurima passim ab Episcopis celebrata sunt Concilia, Romanum, Palæstinum, Ponticum, Gallicanum. Et quoniam multæ hujusmodi Controversiæ istis diebus exortæ fuerant, dubium non est, frequentes etiam in

Variæ Doctorum de his opiniones & judicia.

Placet judicium Cotelerii veluti medium inter diffidentes.

Synodi a tempore Apostolorum fuere satis frequentes.

(m) Erster Abtheilung.

(n) Volum. 1. & 2. Patrum Apost. & quidem in diversis locis.

(o) Volum. II. pag. 11. ubi agit de Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ, e.g. Canone Apostolorum 7. cautum est, ne quis sanctum Pascha ante æquinoctium celebret, quod idem a diversis Synodis in causa Paschatis decretum esse legimus. Item Canone 52. decernitur, ut resipiscentes recipiantur in ecclesiam, quod idem antea a Synodo Romana institutum esse testatur Eusebius Hist. Eccles. lib. 6. cap. 43.

Canones Apostolici conveniunt cum moribus & institutis primitivæ Ecclesiæ.

in iis dirimendis habitas fuiſſe Synodos (p). Verum ulterius obſervari vult Cotelerius, nihil in his Canonibus Apoſtolicis decerni, quod non moribus ac inſtitutis primitivæ Eccleſiæ ad amuſſim conveniat: eo quod ex Origene, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Cypriano, aliisque Scriptoribus evidenter oſtendi valeat, ea omnia, quæ in his Canonibus leguntur, Sæculo II. & III. in viridi fuiſſe obſervantia. Porro, cum hæc Canonum præſcripta nec in Scripturis legantur, neque furtim & fortuito irrepſiſſe in uſum Eccleſiæ quisquam aſſirmare auſerit, ſupereſt, ut illa ſtatutis Epiſcoporum, & decretis Synodorum, vel etiam obſervantiis, & moribus eccleſiarum adſcribamus.

Videntur originaliter eſſe meræ obſervantiæ, & ſtatuta Synodorum ac Epiſcoporum.

Ex quo conſectarium eſt, quod Canones iſti originaliter conſiderati nihil aliud fuerint, quam Decreta Synodorum, quæ per tria priora æræ chriſtianæ Sæcula diverſis temporibus, locisque fuerunt habitæ. Quæ ſententia eo probabilior redditur, quo evidentius oſtendi poteſt, haud pauca, quæ in canonibus continentur, a primitivæ Eccleſiæ Synodis fuiſſe conſtituta, & ex his deprompta. Sed nec de eo dubitari poteſt, quod ſimiles Synodorum Canones hinc inde in eccleſiis, illis præcipue, pro quibus erant conditi, fuerint aſſervati: etſi pleraque, neſcio quo fato, antiquiorum Synodorum acta periiſſe in hodiernam usque diem lugeamus.

Succeſſive in codicem referebantur.

Contigit ergo, quod ſequioribus temporibus contigiſſe ſcimus, ut hi canones vel ab uno vel pluribus ac diverſis egregiis, ac boni publici ſtudioſioribus Viris ſolicite conquirerentur, ac denique in unum quaſi codicem colligerentur.

Ab hæreticis more tunc conſueto adulterabantur.

Et quia Sæc. IV. & V. innumeri per Eccleſiam graſſabantur Hæretici, qui nihil non intentatum reliquerunt, ut codices antiquos ſuis erroribus minus faventes adulterarent, ita quidem, ut in ipſos ſacros codices manus violentas injicere non erubeſcerent (q), mirum videri non debet, quod Canones Apoſtolici; magis tamen Conſtitutiones Apoſtolorum tantopere fuerint adulteratæ, jamque in iis manifeſti errores, ac hæreſes deprehendantur (r).

Quo tempore, quo loco & authore hæc facta ſint, ignoratur.

Quo autem tempore, quo loco, quo Authore hæc facta ſint, definire non audemus. Adhuc nobis placet opinio, quam alibi defendimus, nempe hanc Collectionem prodiiſſe in Sæc. III., & ſucceſſive fuiſſe tum auctam tum

(p) Plura hujus rei exempla aſſert Cotelerius loc. cit.

(q) Germon de veter. hæret. Eccleſ. Cod. corruptoribus.

(r) Notant Doctores, quod Conſtitutiones aperte ſapiant Arianismum, & Pelagianismum: & hoc ipſum eſt, quod multis Doctoribus perſuaſit, ut exiſtimarent, illarum Authorem fuiſſe Arianum.

tum adulteratam, quod aliis etiam codicibus contigiſſe ſcimus, ſingulariter *Codici*, quem vocamus Univerſalis Eccleſiæ, qui primo terminabatur canonibus Conſtantinopolitanis; poſtea Chalcedonenſibus, Trullanis, Carthaginenſibus, aliiſque quamplurimis locupletatus, & exauctus eſt. Neque quemquam offendere debet inſcriptio, qua vocantur *Canones Apoſtolici*: hoc enim nomine ipſos inſignivit Author hujus Collectionis: vel quod a Viris Apoſtolicis fuerint ſanciti; vel Apoſtolorum doctrinæ eſſent conſentanei; vel quod ab ipſis Apoſtolis traditi eſſe crederentur.

§. II.

De Authentia horum Canonum eſt conclamatum.

De Authentia vero horum Canonum jam conclamatum eſſe videtur, non tantum, quod notas ſuppoſitionis præſeferant apertiſſimas; ſed quod jam nemo amplius illorum etiam, qui antiquatas opiniones pro aris & focis alias defendere conſueverunt, illarum patrocinium aſſumere, & authoritatem defendere audeat. Plura videantur alibi (s).

§. III.

Recenſentur libri Dionyſiani.

Reliquum eſt, ut de Collectione Dionyſiana agamus, quam Dionyſio Areopagitæ, de quo fit mentio in ſacris literis (t), adſcribunt, quemque in Galliam prædicandi Evangelii cauſa veniſſe, & primum Epiſcopum Pariſienſem fuiſſe, paſſim antiquiores Scriptores teſtantur (u). Varii eidem adſcribuntur libri, quos recenſet Elias Dupin (x). Hos inter præcipui ſunt libri de cœleſti Hierarchia, de divinis Nominibus, de Theologia Myſtica, decem Epiſtolæ ad diverſos ſcriptæ. Magnæ authoritatis hos libros fuiſſe apud Doctores antiquiores, Theologos Scholaſticos maxime, utpote qui plura, quæ de Deo, & Angelis ſcripſerunt, ex his libris hauſerunt, vel ex ſolo S. Thoma Aquinate colligitur, qui illos ſub nomine Divi Dionyſii quam frequentiſſime citare dignoſcitur. Ad noſtrum ſcopum facit liber de eccleſ. Hierarchia, qui ſi genuinus illius fœtus eſt, ſane Eccleſia ingentem habet theſaurum, atque collectionem Canonum ampliſſimam tanto pretioſiorem quanto antiquiorem, & ad demonſtranda plura capita diſciplinæ eccleſiaſticæ antiquæ aptiorem. Verum pauciſſimi jam ſunt, qui illius defen-

Huc pertinet liber de Eccleſ. Hierarchia de ſe valde pretioſus.

Jam pauciſſimi etiam ex Gallis il-

(s) Quæſt. de Jur. Eccleſ. in genere.

(t) Act. 17. v. 34.

(u) Vide Natal. Alexander in Hiſtoria Sæc. I. Diſſert. 16. ſeq.

(x) In Biblioth. Tom. I. pag. 56.

tum velut genuinum defendunt. defensionem in se suscipiunt, ex Scriptoribus etiam Gallis (y), qui, quamvis olim historiam vulgarem de adventu Dionysii in Galliam, prædicatione, & episcopatu, una cum libris eidem communius attributis pro aris & focis defenderint, nescio quid gloriæ suæ genti inde accessurum existimantes, plures tamen ex hodiernis veritatis defendendæ, quam gloriæ aucupandæ studiosiores non tantum horum patrocinium assumere non audent, verum etiam illorum suppositionem fortissimis argumentis impugnare non verentur. Utriusque sententiæ argumenta fusiori dissertatione deducit citatus Alexander Natalis, quæ, quanta possumus maxima brevitate in medium proferre liceat.

Pro illius authentia militat argumentum possessionis & præscriptionis. Pro sententia affirmativa Author hic unicum affert argumentum, nempe argumentum possessionis; aut si dicere lubeat, præscriptionis, ac omnem vim & robur collocat 1mo in possessione antiquissima undecim sæculorum, quorum lapsu, id est a Sæculo quinto usque ad Erasmum hi libri Dionysio semper a Conciliis Generalibus, Pontificibus, Patribus, omnibusque Scriptoribus ecclesiasticis, excepto solo quodam Anonymo, fuere adscripti; nec sub alterius nomine citati. 2do refutat argumentum negativum, quo utuntur Doctores contrariæ opinionis, asserendo, quod libri hi per quatuor Sæcula in ecclesia fuerint incogniti, a nemine citati, neque a Conciliis, neque a Patribus laudati, neque ad defendenda fidei dogmata, vel stabiliendam disciplinam unquam assumpti: cum tamen contra hæreticos, & ad dilucidandam disciplinam ecclesiasticam fortissima suppeditassent argumenta. Utrum vero responsa hujus celeberrimi Doctoris argumentis contrariis satisfaciant, prudenti Lectoris judicio dijudicandum relinquimus.

Contra militant argumenta plurima & fortissima, & quæ? Econtra Doctores cæteri, qui libros hos suppositionis damnant, ingens argumentorum agmen in aciem educunt, quæ obiter & in compendio referre liceat. Primo utuntur argumento negativo mox antea proposito, quod nempe libri isti per IV. prima Sæcula toti Ecclesiæ fuerint incogniti, quin sufficiens ratio dari queat, cur fuerint subtracti, occultati; vel quo fato illos occultari, & abscondi contigerit. Num enim hæretici libros hos subtraxerunt, & suppresserunt? sed quomodo id probant Doctores contrarii? Conjectura hæc est nulli fundamento innixa. Et quomodo fieri potuit, ut libri hi unice in manus hæreticorum

(y) Ex Catholicis Scriptoribus illos impugnant Lupus, Papebrochius, Morinus, Launoius, Tillemontius, Elias Du Pin, Anton. Pagi; ex Acatholicis Pearsonius, Rivetus, Usserius, Joan. Dallæus, Tenzelius. Ex Gallis eos defendere conatur Nat. Alexander in Histor. Eccles. Sæc. I. Dissert. XXII.

corum venirent? num *Disciplina Arcani* illos in lucem producere vetuit? sed quare, & quidem ad sæculum usque quintum (z)? Secundo illa possessio a parte adversa in vim argumenti assumpta non justa, non legitima, ac suspecta de malo principio est, nec fundatur facto legitimo: quis enim libros illos primitus produxit? fuerunt nempe hæretici Severiani, qui illos in quodam colloquio cum Episcopis catholicis in palatio Justiniani Imperatoris habito primi citarunt an. 532. post Christum natum. Et quomodo proferebantur? tanquam libri incerti: *sicut suspicamini*, ajebant Catholici (a). Quare proferebant? ut suos probarent errores: Contra quos? contra Catholicos. Tertio libri hi continent plura paradoxa, incognita, cum temporum ac rerum circumstantiis incombinabilia: Describunt ritus solemnes baptismi, quos Ecclesia assumpsit, postquam persecutiones cessarunt: loquuntur de templis, quæ eo tempore nondum fuerunt: mentionem faciunt de Monachis, quorum institutum ad Sæc. IV. referendum est: utuntur ad explicandum mysterium Trinitatis & Incarnationis verbis nondum usitatis, & in sæculo quarto tantum ab Ecclesia receptis (b). Hæc & plura alia sane paradoxa recenset Elias Du Pin. Quarto Ipsum argumentum scriptionis, stylus, & methodus scribendi hos libros sane multum facit suspectos. Agit hic Author de rebus & mysteriis sublimissimis e. g. de Trinitate, de Angelis & Angelorum choris, & quidem methodo prorsus mirabili, tunc temporis inusitata, argumentis ex Philosophia Platonica depromptis, verbis nondum usualibus, difficultates in hoc scriptionis argumento occurrentes curiosius rimatur, quæstiones novas, speculativas, inutiles & tales, de quibus nemo tunc somniaverat, excitat, atque a scribendi methodo, ab argumentis Scriptorum tunc usitatis quam longissime recedit.

Hos libros primi in lucem produxerunt Severiani hæretici.

Et quidem tanquam incertos.

Continent paradoxa, incerta, incognita.

Ex multiplici capite sunt suspecti.

Tria enim operum genera primis Ecclesiæ sæculis scribebantur; Apologiæ pro religione; Epistolæ ad instruendos fideles; & tractatus contra hæreticos: Num ergo credibile est, quod Author tam sublimis ingenii, qualis fuisse videtur ille Pseudo-Dionysius, vires sui ingenii ad dilucidandas quæstiones adeo sublimes & speculativas impendere & non

Triplicis generis opera primis temporibus scribebantur.

(z) Id equidem existimat Eman. Schellstrat, sed sine sufficienti fundamento, quem propterea juste castigavit Tenzelius de Disciplina Arcani part. 2.

(a) *Unde indicare potestis*, ajunt Severianis Episcopi, *hæc testimonia, quæ Dionysii Areopagitæ esse dicitis, vera esse, sicut suspicamini: si enim illius essent, B. Cyrillum latere non potuissent.*

(b) E. g. utuntur voce *Hypostasis* ad significandam personam: cum tamen sensus hujus verbi pro Persona primum exeunte sæculo quarto fuerit determinatus.

non potius pro bono Religionis, pro defenſione fidei, pro inſtructione fidelium tota contentione certare, & ſcribere voluerit, eo potiſſimum tempore, quo Eccleſia & Religio defenſoribus contra Gentiles & hæreticos, fideles Doctoribus & inſtructoribus in Doctrina Chriſtiana, Martyres exhortatoribus indigebant? profecto tempus tunc non erat diſputandi de myſteriis ſublimibus, excitandi quæſtiones ſcholaſticas, ſubtilizandi, philoſophandi. Aut num Apoſtoli & Evangeliſtæ, aut cæteri Scriptores Apoſtolis coævi talia & quidem methodo prorſus nova, ſublimi, ac ſuperba ſcripſerunt? Stylus etiam tumidus eſt, & affectatus, verbis phaleratis, ampullatis figuris, ratiunculis philoſophicis hic Scriptor utitur: cum tamen ſtylus illius ævi fuerit quodammodo ſimplex, ad regulas artium bene compoſitus & talis, qui omnem ſuperbum figurarum ornatum, aut affectatas dicendi periodos penitus reſpuebat. Quinto tanti roboris non videntur eſſe argumenta, vel authoritas, quibus pars adverſa ad comprobandam cum veritatem, tum antiquitatem horum librorum ſuſtentatur: illa enim antiquiſſima poſſeſſio, cum ſit nova, ſuſpecta, & malum, aut certe ſuſpectum habuerit initium, tanti roboris eſſe non debet, ut contra fortiſſima argumenta ex temporum rerumque circumſtantiis deprompta, atque in ſanioribus Critices regulis fundata prævalere debeat. Ad hæc illorum Patrum & Scriptorum monumenta, quæ in teſtes ſuæ ſententiæ allegant Doctores contrarii, ſuſpectæ, & dubiæ ſunt fidei: profecto illa ſcholia Dionyſii Alexandrini in Dionyſium Areopagitam ex teſtimonio Anaſtaſii, & Maximi ſcripta nec Euſebius nec Hieronymus recenſet: alius ſit igitur, oportet, Dionyſius Alexandrinus: vel ab aliquo Græco ſub nomine Dionyſii Alexandrini Scholia illa in libros Dionyſio Areopagitæ afflictos fuerunt ſuppoſita.

Expugnatur prætenſa poſſeſſio.

Sed nec bene citantur quæſtiones Athanaſii; aut Homiliæ Origenis in varia novi Teſtamenti loca: quia inter omnes convenit, hæc opera nec Athanaſii eſſe, nec Origenis. Idem dicendum de Concione, quæ ſub nomine Chryſoſtomi citatur: cum potius Joannis Jejunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani quam Chryſoſtomi eſſe videatur. Nicephori vero, nec non aliorum Recentiorum Scriptorum authoritas nihil aliud probat, quam eorum tempore hos libros Dionyſio Areopagitæ afflictos fuiſſe: Ex quo enim hi libri ineunte Sæculo VI. viſi ſunt, brevi non parum momenti & authoritatis adepti, & ambabus manibus a Conciliis, Pontificibus, & Scriptoribus ſunt apprehenſi. Nonne idem factum obtinuerunt alia documenta ſuppoſita, ficta, ſub nomine Apoſtolorum, Pontificum, & celebriorum Patrum procuſa,

ſa, & orbi chriſtiano velut obtruſa (c)? Huic ſententiæ fortiſſimum accedit argumentum, ſi verum eſt, quod Dionyſius Areopagita nunquam in Galliam venerit; & ille Dionyſius Galliæ Apoſtolus longe alius fuerit a Dionyſio Areopagita, prout demonſtrant ſepoſito partium ſtudio Viri eruditiſſimi, & Scriptores Galliarum celeberrimi (d). *Num Dionyſius Areopagita venerit in Galliam?*

§. IV.

Inquirendum jam in Authorem & ætatem librorum Dionyſianorum. Diverſæ hac in re ſunt Doctorum opiniones. Pearſonius illorum ætatem refert ad annum 330., cui non nulli alii adſtipulantur (e), quorum tamen opinionem egregie refellit Tillemontius aſſerens, eos ante ſæculum quintum non fuiſſe procuſos (f). Sunt alii, qui ipſum annum, quo primam lucem aſpexerunt, determinare conantur, eosque rejiciunt ad annum 431. usque ad annum 451. (g). Dodwellius opinatur, quod illorum Author fuerit Gregorius M., qui illos per orbem catholicum ſaltem publicari fecerat (h), cujus tamen doctrina communiter exploditur. Prima eaque certiora veſtigia reperiuntur in Sæc. VI. in celebri illo Conventu ab Epiſcopis orthodoxis, & Severianis in palatio Juſtiniani Imperatoris habito, in quo Severiani ſuos errores ex libris Dionyſii tueri, defendere, ac confirmare ſtuduerunt (i). Itaque plures exiſtimant illos Libros eſſe confictos a quodam Sectæ Severianæ, natione Judæo, cæteroquin Philoſophiæ Platonicæ addicto, qui ut libris ſuis majorem authoritatem conciliaret, eos ſub nomine Dionyſii Areopagitæ publicos fecit (k). Atque hæc de Collectionibus Canonum primitivæ Eccleſiæ ſcripta ſufficiant. Jam ad Sæculum IV. & ſequentia progrediamur. *Quis author, & quæ ætas librorum Dionyſianorum?*

(c) E. g. Canones apoſtolici, Epiſtolæ Decretales antiquorum Pontificum &c.

(d) Petrus de Marca, Launoius, Du Pin, Morinus, &c.

(e) In Vindiciis Epiſt. Ignat. part. 2. cap. 10.

(f) Memoires Tom. 2.

(g) Nourriſius in apparatu ad Biblio. Pat. Diſſert. 10. Uſſerius, Morinus, Launoius.

(h) De Jure La'corum Sacerd.

(i) Mich. Lequien, Elias Du Pin.

(k) Tillemont, Dallæus &c. quamplurima enim in his libris occurrunt, quæ Platonismum ſapiunt.

CAPUT IV.

De Collectionibus Juris ecclesiastici a Sæculo quarto usque ad Collectionem Photianam in Orientali, & Isidorianam in Ecclesia Occidentali.

§. I. *Prima Collectio Canonum prodiit Sæculo quarto, & quare?* II. *De Collectionibus Ecclesiæ Orientalis, specialiter de Codice Universalis Ecclesiæ.* III. *De Collectione Synodi Trullanæ.* IV. *De Collectione Joannis Antiocheni vulgo Scholastici, & alia cujusdam Authoris incerti.* V. *De Collectionibus Ecclesiæ Occidentalis, ubi singulariter agitur de additione Canonum Concilii Sardicensis, & hujus Can. 3. in quo Appellationes ad Sedem Pontificiam videntur esse statutæ, vel stabilitæ.* - VI. *De Collectionibus Ecclesiæ Africanæ.* VII. *De Collectione Dionysii Exigui.* VIII. *De Codice Fulgentii Ferrandi.* IX. *Martini Bracarensis.* X. *Cresconii Africani.* XI. *Isidori Hispalensis.* XII. *De Canonibus Pœnitentialibus.* XIII. *De Collectione Hadriani Pontificis.* XIV. *De Libro diurno Romanorum Pontificum.* XV. *De quibusdam Collectionibus minus celebribus Theodulfi Episcopi Aurelianensis, Theodori Cantuariensis, Egberti Eboracensis, Hucarii, Bonifacii.* XVI. *De Codice Canonum Pœnitentiæ.* XVII. *De Capitularibus Francorum remissive.*

§. I.

Ecclesia primitiva collectionem Canonum non habuit.

Ex dictis Cap. præced. demonstratum manet, hactenus authenticam Canonum Collectionem per tria prima Sæcula excussis omni, qua par erat, & possibile, industria antiquissimis documentis non potuisse reperiri. Inconcussa itaque manet Virorum doctissimorum doctrina (1), existimantium, quod Ecclesia primitiva sola Scriptura, Traditionibus, Observantiis & Moribus fuerit gubernata: etsi diversi canones hinc inde in diversis Synodis particularibus conditi ecclesiis non desuerint, quos tamen

(1) Petri de Marca in Differt. de antiq. Canonum Collect. Petri Coustant. &c.

tamen magis in corde Sacerdotum cum traditione, tum quotidiano ecclesiarum usu impressos vixisse, quam in publicum evulgatos; neque ab una Ecclesia alteri, prout sequioribus temporibus factum esse novimus, communicatos, & hac ratione in orbem catholicum fuisse diffusos jure optimo existimari potest. Et quamvis hujus rei plures, eæque fat validæ rationes dari queant, illam nihilominus præ reliquis in medium proferre placuit, quam in Viro eruditissimo Petro Coustant legere licuit (m). Voluit nempe primitiva Ecclesia prudentis Oeconomiæ studiosissima, ut eadem cautione fides, & Disciplina ecclesiastica tractaretur. Norunt omnes, quam solicita, quam circumspecta fuerit Ecclesia in propalandis fidei mysteriis sublimioribus: ita quidem, ut in præsentia Ethnicorum & Catechumenorum quam solicite caveret, ne quæ vocula excideret, qua mysterium christianæ Religionis prodi posset. Noverint ista, qui vel obiter legerint, quæ de *Disciplina Arcani* nostrates tradere solent: quidquid contradicant Heterodoxi, qui illam veluti Asylum ignorantiæ traducere non erubescunt, ad quam toties appellare necessum habent Catholici, quoties dogmata fidei ex Scriptura & Traditione, vel authentiam librorum ex antiquioribus documentis demonstrare non possunt. In hanc rem luculentum est testimonium S. Basilii, quod vel unum instar omnium esse potest. Hic in Lib. de Spiritu S. (n) plurimos recenset ritus, nullis consignatos literis, *sed*, ut ejus verbis utamur, *ex Apostolorum traditione in Mysterio, id est, in occulto acceptos: ut enim*, inquit, *signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, ut ad Orientem versi precemur, quis scripto docuit? Consecramus aquam Baptismatis, & oleum Unctionis, ex quibus scriptis? nonne ex tacita, secretaque traditione? quod ter immergatur homo, unde haustum? nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso tectam retinuerunt?* mox silentii hujus rationem reddit: *Pulchre quidem illi edocti erant Mysteriorum majestatem silentio conservari, nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto?* Hæc Religio Patrum nostrorum erat. Accedit, quod, licet inter ecclesias summa fuerit animorum conjunctio, & in doctrina fidei ac morum communicatio & concentratio, in iis tamen, quæ disciplinam ecclesiasticam concernebant, quælibet Ecclesia suos retinebat mores, ac observantias, a quibus recedere piaculum credebat. Recolantur memoria duæ celeberrimæ controversiæ in causa Rebaptizantium & Quartodecimanorum: Nonne tam Africani,

Hujus ratio datur ex Oeconomia Ecclesiæ, & disciplina Arcani.

Hujus luculentum testimonium ex S. Basilio.

(m) In Præf. part. 2. Epist. Rom. Pontif. (n) Cap. 27.

ni, quam Patres Asiatici ad suas provocabant traditiones, mores, & observantias?

Restituta Ecclesiæ pace Episcopi convenere in Synodos.

Verum post partam Ecclesiæ tranquillitatem, post dilatatos ejus fines, & in immensum auctos, succrescentibus in dies hæresum, schismatum, vitiorumque zizaniis erupit tandem in publicum, & in orbis totius luce visus, servatusque est ecclesiasticæ disciplinæ ordo: Convenere palam, & frequentius ad eum vel confirmandum, ne laberetur; vel, ubi collapsus erat, restituendum Episcopi, ac, prout postulabat temporum aut regionum varietas, veteres regulas novis auxerunt, illustraruntque.

Triplicis generis Concilia.

Triplicis generis Concilia, *Provincialia*, *Nationalia*, & *Universalia* jam in Sæculo quarto fuisse celebrata, testantur historiæ omnes. Provincialia dicebantur illa, ad quæ conveniebant Episcopi unius Provinciæ; Nationalia, quibus intererant Episcopi alicujus Diœcesis (o); Universalia ad quæ vocabantur Episcopi variarum Diœcesium. In his causæ fidei, morum & disciplinæ ecclesiasticæ agebantur, varii canones, & ordinationes ecclesiasticæ condebantur, controversiæ decidebantur, singulariter in causas excommunicatorum & ejectorum, an excommunicatio jure sit facta, inquirebatur. Quod si in Synodis Provincialibus causæ controversæ exitum non sortiebantur, convocanda erat Synodus Nationalis, in qua causæ novo examini subjiciebantur, provocantium querelæ audiebantur, & ultimato judicio terminabantur, a quo non amplius provocare licebat. Causæ fidei potissimum necessitatem convocandi Synodos generales fecerunt, ut hæreses & causæ controversæ tanto majori pondere opprimerentur, quanto majori authoritate Episcopos universi orbis catholici in unum confluentes esse præditos jure credebatur.

De clausulis Canonum fidei & disciplinæ. Frequentia Conciliorum.

Canones fidei condebantur cum clausula: *Credit Catholica Ecclesia;* Canones Disciplinæ cum clausula: *Placet: visum est.* Concilia Provincialia ex præscripto Concilii Nicæni quot annis bis celebrari debebant: Nationalia & Universalia pro exigentia rerum toties habebantur, quoties ea habenda esse videbantur. Jam in Sæc. IV. duæ Synodi Generales, Nicæna I. & Constantinopolitana I., Nationales & Provinciales plures fuere celebratæ. Celebriores ex his procul dubio sunt Ancyrana, Neo Cæsariensis, Gangrensis, Antiochena (p), Laodicena. In his Synodis quamplurimi canones disciplinam ecclesiasticam spectantes condebantur. Habemus in hodier-

(o) Diœcesis constabat ex multis Provinciis. Vid. dicta in Differt. de Statu Ecclesiæ Cap. 3.

(p) Hæc pertinet ad Sæc. III.

hodiernam usque diem Canones Concili Eliberitani (q); Arelatensis Canones 22.; Ancyrani 25.; Neo-Cæsareensis 15.; Gangrensis 22.

Ex hac Synodorum frequentia procul dubio multitudo Canonum, & singularis inter Ecclesias, Provincias, & Dioeceses communio & unio etiam in rebus disciplinaribus oriri debuerat. Ne ergo Unionis vinculum rumperetur, & ne canones saluberrime conditi in oblivionem abirent; atque ut communio hæc, unio, & uniformitas in doctrina fidei, morum, nec non in observantia disciplinæ ecclesiasticæ eo facilius & fortius conservaretur, visum erat e re & bono Ecclesiæ fore, si Canones in unum quasi corpus colligerentur, ut, quæ sint decreta & constituta, agenda & observanda, Ecclesiæ, Episcopi & Clerici non ignorarent. *Quare Canones fuerint in Codicem redacti?*

Ex hoc ipso capite factum esse credimus, quod Patres in Concilio Nicæno congregati canones illius secum ad suas ecclesias deportaverint, ac libris suis ecclesiasticis inseruerint (r). Ingens illa mutatio disciplinæ ecclesiasticæ in Sæc. IV. facta, novus Ordo Hierarchicus inter Clericos & Episcopos introductus (s), alteratio Pœnitentiæ publicæ & excommunicationis, introductio variorum rituum, ac ceremoniarum, controversiæ inter Ecclesias & Episcopos ratione prærogativarum obortæ, nova Judiciorum & Appellationum forma, Status Monachorum noviter introductus, & sexcenta alia haud secus Collectionibus Canonum, ac ipsis canonibus statuendis occasionem præbuisse non dubitamus. Hæc de Origine Collectionum in genere.

§. II.

Ordiamur a Collectionibus Ecclesiæ Orientalis. Prima, eaque genuina Collectio Canonum communiter reputatur Collectio Canonum Ecclesiæ Orientalis, quæ passim *Codex Universalis Ecclesiæ* appellatur. De Canonibus in hoc Codice contentis, origine, Authore, nomine, incrementis, & authoritate illius non satis constat. Illud inprimis certum habetur, quod Græci jam ante Concilium Chalcedonense suum Cano- *Collectiones Ecclesiæ Orientalis. De Codice universalis Ecclesiæ.*

(q) De hac Synodo multa disputantur, quæ non sunt hujus loci.

(r) Vid. Petrus de Marca de Concord. Lib. 3. Cap. 2. & 3.

(s) Olim Hierarchia tribus absolvebatur gradibus, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Labente hoc Sæculo quibusdam Ecclesiis Antiochenæ, Alexandrinæ, Constantinopolitanæ certæ decretæ prærogativæ, & dignitates Patriarchicæ, Metropoliticæ introductæ.

Græci ante Concil. Chalcedon. suum habuere Codicem.

Canonum Codicem habuerint, utpote ad quem in eo provocaverunt, ex eo controversias deciderunt, eumque speciali judicio approbarunt. Discutiebatur in hac Synodo causa Caroli & Dorothei, aliorumque ex horum parte stantium, & *sancta Synodus dixit* : *sacri Patrum Canones legantur, & Commentariis inserantur.* Can. 1. Et en! Aëtius Archidiaconus & Primicerius recitabat Synodi Antiochenæ Canones 4. 5. 16. & 17. sed non sub ejus Concilii nomine, neque sub numeris, quibus in ea continentur, sed generaliter, & sub aliis longe numeris, videlicet tanquam Canones 83. 88. 95. & 96., quod signum manifestum est, canones istos ex quodam Codice Canonum in unum corpus relatorum fuisse recitatos. Hunc vero Codicem a Patribus in hac Synodo congregatis fuisse approbatum, constat ex verbis supra allegatis, quibus dicitur: *Sacri Patrum Canones legantur, & Commentariis inserantur* (t).

Quinam in hoc Codice Canones contineantur.

Quoad ipsos Canones huic Codici insertos inter Doctores convenit, illum fuisse congestum ex Canonibus Concilii Nicæni, Ancyrani, Neo-Cæsariensis, Gangrensis, Antiocheni, & Laodiceni; illiusque Compilatorem 20. Canones ex Synodo Nicæna, 24. ex Ancyrana, 14. ex Neo-Cæsariensi, 20. ex Gangrensi, 25. ex Antiochena, 59. ex Laodicena, tres ex Constantinopolitana &c. mutuasse, ex quibus omnibus simul junctis consurgit numerus 156. Canonum. Probat id Dionysius, qui hunc Codicem Græcum transtulit in latinum : Hic enim in Præfatione suæ Collectionis expresse testatur, quod in suo opere & disponendis Canonibus eum tenuerit ordinem , quem in exemplari græco servatum esse deprehenderat (u). Jam vero prima Dionysianæ Collectionis parte Canones sic dispositos invenimus , ut Nicæni frontem occupent; sequantur dein Ancyrani , Neo-Cæsarienses, Gangrenses , Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani , omnes in 165. capita digesti, atque ea serie numerorum, quam in citandis horum Canonum non nullis secuta est Synodus Chalcedonensis.

Neque

(t) Vid. Constant. in Præfat. multo magis id ostenditur ex Can. 1. Synodi Chalced., qui ex versione Dionysii Exigui sic habet: *Regulas Sanctorum Patrum per singula nunc usque Concilia constitutas proprium robur obtinere decrevimus.*

(u) Ait enim in Præf. *Regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, quæ in Asiaticis Diœcesibus celebrata sunt, sive quæ ante eam, sive quæ postmodum facta sunt, usque ad Synodum 150. Pontificum, qui apud Constantinopolin convenerant, sub ordine numerorum, id est a primo capite ad 165., sicut habetur in græca authoritate, digessimus.*

Neque originem, neque Authorem hujus Codicis hactenus invenire concessum fuit. Originem quidam referunt ad annum 385. sed sine sufficienti fundamento. Authorem illius quidam putant fuisse quemdam Stephanum Episcopum Ephesinum, ea ratione ducti, quod vetus Codex manuscriptus in Bibliotheca Palatina repertus illius nomen præseferat (w). Quoniam vero Stephanus iste Sæc. sequenti vixit, & ipsi Concilio Chalcedonensi interfuit, in quo Codex iste fuit lectus & approbatus, vix etiam cum umbra veritatis eidem adscribi potest. Fortassis secundæ Editionis & Collationis per Canones Chalcedonenses auctæ, cum majori veritate Author dici posset. Aliis hæc Collectio opera Sabini apud Heracleam in Thracia Macedonianorum Episcopi concinnata fuisse videtur. Verum illa, quæ Sabino attribuitur, Collectio ab hac, de qua nobis est sermo, toto cœlo videtur esse diversa. Quo igitur tempore, quo Authore hæc Collectio fuerit concinnata; item an Author Codicem hunc authoritate privata, vel publica speciali Synodi cujusdam orientalis decreto congesserit, est & manet incertum. De eo tamen satis constat, eum in Imperio Orientali fuisse editum: eoquod non alios Canones quam Synodorum particularium contineat.

Origo, & Author hujus codicis ignoratur.

In Oriente fuit editus.

Codicem hunc græce & latine e vetusto manuscripto Græco sub initium hujus sæculi evulgavit Christophorus Justellus, & sub nomine *Codicis Canonum Ecclesiæ universæ* notis illustravit. Quærunt itaque Doctores, quo jure Codex hic hoc nomine compellari possit & debeat? Num ideo fortassis, quod hoc Codice tempore Concilii Chalcedonensis omnes Ecclesiæ usæ fuerint: verum id a veritate abludere, testis omni exceptione major est Innocentius I., qui testatur, tempore Concilii Chalcedonensis in usu Ecclesiæ Romanæ alium Codicem non fuisse, quam Codicem Canonum Nicænorum & Sardicensium; neque alios Canones esse recipiendos, si ab his dissentiant (x). Sed nec post Concilium Chalcedonense Codex iste per receptionem in universa Ecclesia factus

Quo jure dici possit Codex universæ Ecclesiæ?

(w) Vid. Petrus de Marca de Concord. lib. 3. cap. 3. & Douiatius lib. 3. c. 3.

(x) In epist. 5. ad Theophilum, ubi sic habet: *Sub testibus Nicæni Concilii Canonibus (alium Canonem Romana non admittit Ecclesia) securitatem habebis: & in Epist. 7. quod Canonum observantiam attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicææ definiti erant, quos solos sectari, & agnoscere debet Ecclesia Catholica.* Et paulo post subjicit: *Sin autem a quibusdam alii proferantur, qui a Nicænis dissentiunt, hi ab Episcopis Catholicis rejiciuntur.* In his verbis Pontifex alludit ad Canones Antiochenos ab Adversariis Chrysostomi compositos, quos agnoscere noluit.

ctus est universalis: cum Ecclesia latina suum Codicem proprium habuerit; nec verosimile sit, quod Leo I. Pontifex hunc Codicem receperit: quippe in quo continebantur Canones Concilii Constantinop. I., quos laudatus Pontifex sibi oblatos constanter rejecit (y). Nec obest, quod Leo Synodum Chalcedonensem & hoc ipso hunc Codicem approbaverit, sicque saltem a tempore hujus Synodi vim universalem obtinuerit: nam quæ fuerit mens Leonis, ipse sat aperte indigitat in Epist. ad hanc Synodum, & ad Maximum Antiochenum data, in qua se declarat, quod ea, quæ de fide sunt, approbet; quæ Nicænis Canonibus contrariantur, damnet; cætera vero, in quantum cum Synodo Nicæna conveniunt, repudiare non velit (z). Qua ratione hic Codex in Ecclesia etiam Latina authoritatem obtinuerit, infra dicemus. Itaque existimant Doctores, eatenus hunc Codicem dici posse *universæ Ecclesiæ*, quatenus Ecclesia illum in Synodo Chalced. ad decidendas causas publicas adhibuit (a). Sed ne hoc quidem facile admisero: tum quod causæ illæ causæ fuerint Græcorum tantum: tum quod Leo I. ipse ex dictis hunc Codicem simpliciter non approbaverit. Quod si tamen ad Sæc. usque VII. & VIII. progrediamur, quo Ecclesia Romana Codicem Dionysianum recepit, quidni dicatur Codex universæ Ecclesiæ? Melius itaque hic Codex dicitur *Collectio Canonum Orientalium*, prout illum inscripsit celeberrimus Jurisconsultus Franciscus Florens (b).

Incrementa hujus Codicis.

Ex dictis colligitur, quonamusque Codex sese extenderit tempore Concilii Chalcedonensis. Successu temporis eidem accesserunt varia incrementa: unde etiam post Concilium Chalced. altera prodiit Collectio, quam aliqui adscribunt Stephano Ephesino, de quo supra diximus. Fundamentum conjecturæ inde desumunt, quod prædictus Stephanus Concilio Chalcedonensi interfuerit, & illius cum in subscriptionibus, tum in actionibus iterata fiat mentio (c). Alii existimant, Stephanum huic Collectioni nonnisi Canones Concilii Constantinopolitani I.; alium quemdam Canones Concilii Chalcedonensis addidisse (d).

Quænam huic codici in secunda editione fuere addita?

Inde consurgit Quæstio, quænam ergo huic Codici fuerint adjecta? ferme communis est opinio, eidem accessisse Canones Concilii Constantinop. I. quatuor, Ephesini octo, Chalcedonensis viginti novem, ita ut tota

(y) Coustantius in Præfat.

(z) Petrus de Marca de Concor. Lib. 3. Cap. 3. N. 5.

(a) Van-Espen Part. 2. Cap. 1. §. IV.

(b) Vid. Douiat Lib. 3. cap. 4. (c) Idem ibid.

(d) Pertschius Ursprung der Kirchen-Gesetze, erster Abtheilung.

tota Collectio constaret 207. Canonibus. Contradicit tamen Petrus Coustant, & prætendit, huic Collectioni ad Dionysium usque solos Canones Concilii Chalced. fuisse adjectos, idque confirmat testimonio ipsius Dionysii, qui postquam Canones hujus Codicis tempore Concilii Chalcedonensis contentos enumeravit, subjicit: *Tum Chalcedonensis Concilii decreta subdentes in his Græcorum Canonum finem esse declaramus.* Quapropter concludit, quod Codex ille Justellianus ne quidem Codex Græcorum, multo minus universæ Ecclesiæ labente Sæc. V. fuerit (e).

In hoc Codice celebriorum Synodorum Canones prætermissi & quare.

Mirum haud paucis videtur, quod huic Græcorum Collectioni Canones quidam Antiocheni, quos Arianorum fætum esse constat, inserti, in Concilio Chalcedonensi pro regulis ecclesiasticis probati, usque demum recepti fuerint, prætermissis Canonibus celebriorum Synodorum, quales fuere quinque per Asiam habitæ, præsertim Arelatensis &c., & Sardicensis, quarum prima contra Donatistas ex omnibus Occidentis provinciis mandato Constantini in Gallia celebrata *plenaria & universalis* a S. Augustino vocatur; altera vero in Orientis partibus celebrata, & instar appendicis Canonibus Nicænis adjecta habebatur. Haud multum a vero nos aberrare existimamus, si id Authoris, seu Collectoris ignorantiæ, & Græcorum ambitioni, ac dissidiis Orientales inter & Occidentales tribuamus. Prodiit enim Collectio in Oriente: Author illius probabilius fuit Græcus, qui pro gloria gentis suæ laboravit, & Canones Orientalium vel ignoravit, vel sponte prætermisit. Scissuræ erant inter Orientales & Occidentales cum ob Canones Antiochenos, tum Sardicenses: ægre habebat Occidentales, quod Græci Conciliabulum Tyrium contra S. Athanasium celebratum, illiusque sententiam confirmaverint, & insuper in odium quasi Romanæ Ecclesiæ in Synodo Antiochena statuerint, ne appellationes extra Provinciam fierent. Unde & in Synodo Sardicensi Orientales ab Occidentalibus discesserant, in cujus Canone 3. dein appellationes ad Romanum Pontificem vel statutæ vel confirmatæ fuerunt. Inde factum est, quod Græci apud Latinos quadam Arianismi suspicione laborarent, eo ipso, quod Canones Synodi Antiochenæ, cujus fidei formula oblique adversabatur Nicænæ, receperint, & provocationes extra Provinciam concedere noluerint.

Ignorantia Collectoris, ambitio Græcorum, & dissidia in causa fuere.

Itaque mirari jam non subit, quod Græci neque Canones Carthaginenses, neque Sardicenses receperint: illos enim, ut dictum fuit, Author collectionis vel ignoravit, vel studiose prætermisit; hos autem

 admitte-

(e) In Præf. ad Episc. Pontif. N. 53.

admittere noluere, quod suæ disciplinæ quoad provocationes & appellationes receptæ adversarentur, de quo infra fusius agemus. Ex eo tamen Græci hæreseos argui non debent, quod Canones Antiochenos ab Arianis procusos, & in fide suspectos in Synodo Chalcedonensi pro regulis ecclesiasticis acceptaverint. Nam acceptarunt illos quoad capita disciplinæ; non quoad capita fidei. Neque id novum esse existimandum est. Plura exempla in historiis prostant, ex quibus innotescit, quod vel soli Canones fidei, vel soli Canones disciplinæ recepti sint: Sic Canones fidei Concilii Constantinop. I. non vero disciplinæ in Ecclesia latina recepti sunt: id quod Innocentius I., & Gregorius M. testantur (f). Id ipsum de Concilio Chalcedonensi idem S. Gregorius testatur (g).

Nova accepit incrementa ex nova Collectione, cujus Author ignoratur.

Nova iterum incrementa accepit antiqua illa Collectio Ecclesiæ Orientalis, dum nova paulo post in lucem prodiit Collectio, cujus Author ignoratur. Non pauci eam adscribunt cuidam Abbati Theodoro vel Theodoto: Turrianus Constantino Scholastico Patriarchæ Constantinop., Antonius Augustinus Joanni Scholastico, Petrus de Marca, Douiat, aliique Theodoreto Cyrensi Episcopo in Syria eam vindicant. Atque hæc ultima opinio primas apud hodiernos Scriptores obtinet In hac igitur Collectione superadditi sunt Canones Apostolici, & Sardicenses, quorum illi ob nominis Apostolici reverentiam in fronte collocati; hi ante Neo-Cæsarienses & Gangrenses interjecti. Ordo hujus Collectionis legitur in Indice ante Joannis Scholastici Collectionem descripto. Et quod magis est, ipsa etiam hæc Collectio expansis Synodorum Canonibus habetur in Codice Manuscripto Regiæ Bibliothecæ in Gallia (h). Utrum vero hæc Collectio sit illa, quam Justinianus confirmavit in Novel. 131., prout communius Authores volunt, haud abs re dubitatur: partim quia Imperator nullo verbo Canonum Apostolicorum meminit, & solummodo Canones IV. Conciliorum Generalium anteriorum approbat: partim quia Ecclesia Orientalis Canones Sardicenses semper abhorruit.

Dionysius Exiguus hanc Collectionem suæ inseruit.

Quod Dionysius Exiguus Codicem Orientalis Ecclesiæ suæ etiam Collectioni inseruerit, aliunde notum est. Quid vero ulterius incrementi eidem accesserit ex Synodo Trullana, Cap. seq. audiemus.

Super-

(f) Lib. 6. Epist. 31. (g) Lib. 5. Epist. 14.
(h) Vid. Petrus de Marca Lib. 3. de Concord. cap. 3. & Douiat lib. 3. cap. 4. & 5.

Supereſt, ut de authoritate hujus Codicis in utraque Eccleſia Orientali, & Occidentali agamus. Qualem & quantam authoritatem habuerit in Eccleſia Orientali ante Synodum Chalcedonenſem, non adeo manifeſtum eſt. Eam ſane fuiſſe ſummam, inde colligere licet, quod in Synodo Chalcedonenſi per modum regulæ ad decidendas controverſias aſſumptus, ſummoque cum applauſu approbatus fuerit. A tempore ergo Concilii Chalcedonenſis apud Orientales vices cujusdam legis fundamentalis ſuſtinuit. Eundem etiam ingenti cum applauſu approbavit Juſtinianus Imperator an. 541. cujus rei fidem facit Novella 131. cujus verba omnino legi merentur: liceat illa apponere: *Sancimus vicem legum obtinere ſanctas eccleſiaſticas regulas, quæ a ſanctis quatuor Conciliis expoſitæ ſunt, aut firmatæ, hoc eſt in Nicæna trecentorum decem & octo, & in Conſtantinopolitana Sanctorum centum quinquaginta Patrum, & in Epheſina prima, in qua Neſtorius eſt damnatus, & in Chalcedonia, in qua Eutyches cum Neſtorio anathematizatus eſt: Prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, ſicut ſanctas Scripturas accipimus, & regulas ſicut leges obſervamus.*

De authoritate hujus Codicis in Eccleſia Orientali.

Fuit ſumma.

Ad Eccleſiam Occidentalem veniamus. Profecto Codicem hunc in Eccleſia Occidentali ante Synodum Chalcedonenſem non fuiſſe receptum ex teſtimonio Innocentii I. manet comprobatum. Utrum vero poſt Synodum Chalcedonenſem vim legis eccleſiaſticæ obtinuerit, ex eo, quod Leo ipſe Pontifex Synodum illam approbaverit, dubium manet ex ſupra dictis. Id certum videtur, quod Leo Synodum Chalcedonenſem non ex integro approbaverit, ſpecialiter Can. 28. reprobaverit (i). Et quis ſibi perſuadeat, quod hanc Collectionem ex integro etiam pro Eccleſia Occidentali ultimato judicio approbare voluerit, utpote in qua continebantur Canones Antiocheni ab Arianis contra S. Athanaſium procuſi; nec non illi, qui jus provocandi ad Judicem ſuperiorem intra limites Provinciæ reſtringunt. Placet igitur judicium Illuſtriſſimi Petri de Marca, qui ex ipſa epiſtola Leonis ad Synodum data illius mentem colligit, dicitque, quod Leo tria ibidem doceat, nempe ſe *probare, quæ de fide ſunt decreta; quæ contra regulas Nicænas tentata ſunt, ſe nunquam Apoſtolicæ Sedis conſenſu firmaturum; quæ ab Epiſcopis diſcuſſa*

Illius authoritas in Eccleſia Occidentali incerta.

Judicium Petri de Marca deſuper.

(i) Fuit hic Canon ab Anatolio, aliisque Epiſcopis Orientalibus procuſus, in quo Epiſcopo Conſtantinopolitano eadem Jura, prærogativæ ac præeminentiæ, quæ habet Romanus Pontifex adſtruuntur, ſed non fuit acceptatus. Vid. Nat. Alexander ad Sæc. V.

discussa sunt, se non repudiaturum, ea lege, ne Nicœnis Canonibus adversentur (k).

Id certum est, quod post habitam Synodum Chalcedonensem Canones græci latinitate donati sint, & Occidentalibus communicati, interpretatione in eam rem elaborata, cujus meminit Dionysius Exiguus ejusque exemplar antiquissimum retinet adhuc Bibliotheca Vaticana a Viris eruditis laudatum. Quidquid jam sit, non displicet doctrina Petri de Marca docentis, quod Ecclesia Romana Canones Orientalium Synodorum susceperit, eosque adhibuerit in causarum & negotiorum ecclesiasticorum disputatione, demptis iis, quos suis juribus officere existimabat; quin tamen Collectionem illam Græcam acceptaverit: sed potius Leo accepto per suos Legatos Codice Orientali novam Collectionem adornari curavit, quæ dein sola per 60. & amplius annos usque ad Collectionem Dionysianam in Occidente viguit. Imo in Gallia hanc Collectionem usque ad tempora Hadriani Pontificis & Caroli M. viguisse, donec nempe Carolus M. Collectionem Dionysii Exigui ab Hadriano acceptam eo secum detulerit, testatur Petrus de Marca (l). Petrus Coustant existimat, Codicem, qui ante Synodum Chalcedonensem proprius erat Græcorum, Ecclesiæ universæ communem evasisse ante Sæculi VI. exitum, ita tamen, ut ejus canones nec reciperentur omnes, nec pari authoritate donarentur.

Codex hic diu obtinuit in Gallia.

§. III.

Per aliam Collectionem hæc Collectio fuit aucta, de cujus authoritate non constat.

In immensum quasi aucta fuit Collectio Orientalis Ecclesiæ per novam Collectionem, de cujus nec initio nec Authore constat: nisi dicere velimus, quod Synodus Trullana, seu Quini-sexta anno 692. habita hanc additionem fecerit, & prædictæ Collectioni quamplurimos Canones tum ex Conciliorum Decretis, tum Patrum Græcorum responsis desumptos adjecerit, eisque Canonum Collectioni adornandæ ansam præbuerit (m). Historia Synodi Trullanæ, seu Quini-Sextæ hæc est: Sæculo VI. anno 553. Vigilio Pontifice & Justiniano Imperatore Constantinopoli convenere 165. Episcopi in causa Nestorianorum, Eutychianorum, Origenistarum, *& famosorum trium Capitulorum* (n). Eodem

Historia Synodi Trullanæ seu Quini-sextæ.

(k) De Concord. Imper. lib. 3. Cap. 3.

(l) In Differt. de veter. Collect. Canon.

(m) Hanc Collectionem ante Synodum Trullanam fuisse factam existimat Pertschius Opusc. sæpe citato: Erste Abtheilung §. 31.

(n) Douiat. lib. 3. Cap. 6.

dem Sæculo Anno 681. ſub Agathone Papa & Conſtantino Pogonato Conſtantinopoli, & quidem in Trullo novum celebratum fuit Concilium convenientibus 170. Epiſcopis contra Monothelitas unius in Chriſto voluntatis aſſertores.

Jam cum in utraque Synodo non niſi capita fidei fuerint declarata, & quidem in priori 14. Anathematiſmi duntaxat præter Anathematum in Origeniſtarum errores capita conditi; in poſteriori vero Authores Monothelitarum, quos inter etiam recenſetur Honorius Pontifex, anathemate perculſi, quin aliqui canones diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantes emanaverint (o), iterato in præfato Trullo confluxerunt 227. Epiſcopi, qui defectum anteriorum Synodorum ſupplere volentes, manu ſane non parca 102. Canones condiderunt, quot nulla anterior Synodus ediderat. Inter hos Canones famoſior eſt Canon 2dus, quo ſuas Collectiones anteriores in immenſum auxerunt, ſtatueruntque, recipiendos eſſe, præter canones prioribus Collectionibus inſertos, Canones Apoſtolicos numero 85., Carthaginenſes, & Sardicenſes; item Conſtantinopolitanos Conſtantinopoli ſub Nectario conditos una cum epiſtolis Canonicis Dionyſii, Petri, Athanaſii, Timothei, Theophili, ac Cyrilli Alexandrinorum Præſulum; item Gregorii Thavmaturgi, Baſilii Cæſareenſis, Gregorii Nyſſeni, Gregorii Theologi, Amphilochii Iconienſis, & Gennadii Patriarchæ, quibus adjecerunt in honorem S. Cypriani canonem Synodi Africanæ in cauſa Rebaptizantium editum, & demum in fine finali prohibuerunt, ne quis hos Canones adulterare, aut alios admittere, vel adjicere præſumat (p). Atque hæc eſt genuina hiſtoria Synodi Trullanæ, & canonum ex illius declaratione vim legis obtinentium.

Canon II. illius valde famoſus.

Pro faciliori intellectu quædam ſubnectere liceat de nomine, & authoritate hujus Synodi. Vocatur hæc Synodus paſſim *Trullana*, vel *Quini-ſexta*: *Trullana* vocatur a loco, in quo fuit celebrata, nempe a *Trullo*, qui fuit Secretarium Palatii imperialis ſuperne fornicatum; *Quini-ſexta*: quod eſſet velut appendix anteriorum Synodorum ad ſupplendum defectum illarum conformiter dictis *convocata*. In Eccleſia Orientali hæc Synodus ſummam ſemper authoritatem habuit: Eccleſia Occidentalis illam nunquam agnovit authenticam: cum eidem neque Pontifices per ſuos Legatos præfuerint, neque ſubſcripſerint, neque

Nomina illius declarantur.

Illius authoritas in Eccleſia Orientali ſumma, in Occidentali nulla.

(o) Vid. Quæſt. noſtra tertia de Concil. cap. 1. §. V.

p) Vid. Petrus Couſtant in Præf. N. 59.

neque occiduarum provinciarum Episcopi interfuerint. Et licet suus ad subscribendum Pontifici fuerit relictus locus, & Gortynæus in Creta Episcopus, aliique velut ejus vicem supplentes subscripserint, hanc tamen subscriptionem nunquam Pontifex ratihabuit, nec ratihabere voluit, aut potuit: quod in ea plura disciplinæ ecclesiasticæ in Ecclesia Romana receptæ contraria fuerint decreta, & præcipue Cœlibatus Clericorum damnatus. Plura in hac Synodo absona & dissona recenset Cabassutius (q). Atque ex his apparet, quibus ex Conciliis, quorum & e Patrum Scriptis in hac Synodo hæc nova Collectio fuerit coagmentata, & quanta tunc canonum moles ad priores collectiones accesserit.

§. IV.

Nova Collectio Joannis Antiocheni vulgo Scholastici.

Omnes hactenus recensitæ Collectiones Ecclesiæ Orientalis neutiquam secundum ordinem materiarum, sed magis Conciliorum & epistolarum fuerunt dispositæ. Novam, & nova methodo concinnatam Collectionem molitus est, & ad finem etiam perduxit Joannes Antiochenus, vulgo Scholasticus, ideo ita dictus, quod ex schola Advocatorum in numerum Clericorum fuerit adoptatus (r). Erat Joannes ex Sirmi pago Antiochiæ finitimo oriundus, Presbyter primus Antiochenus, & Apocrisiarius, & demum ad urbis Patriarchatum an. 574. evectus, ac ultimo in exilium depulsus. Duplicem hic Author adornavit Collectionem, quarum una vocatur *Concordia*, vel *Collectio Canonum*; altera *Nomo Canon*: quarum prior indubitanter eidem adscribenda; altera vero est dubia, sicut infra dicemus (s). Dum adhuc simplex erat Presbyter Antiochenus, circa annum 550. operi suo manum admovit, illudque in 50. titulos divisit nova prorsus methodo, nec ordine temporis servato, nec serie, seu consequentia numerorum pro more veterum usitato, sed potius ad quemlibet titulum canones eo pertinentes apposuit. Agit hic Collector primitus de Patriarchis, postea de Metropolitis, de Episcopis, & horum obligationibus, de Chor-Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Diaconissis, de Ordinibus, Monachis, Catechumenis, Lapsis, Hæreticis reversis, de quibusdam delictis, de Matrimonio, de conventibus ecclesiasticis, Officiis Divinis, obser-

Et hæc duplex, Concordia, & Nomo-Canon.

(q) In Notitia Eccles. Sæc. VII. pag. 326.

(r) Advocati enim, & qui ex illorum ordine prodibant. olim vocabantur Scholastici teste Douiat. lib. 3. cap. 9.

(s) Vid. Franciscus Florens, & Douiat loc. cit.

observantia Canonum, de Synodis, & observandis in canendo, psallendo, & lectione scripturæ. Ad hanc Collectionem ordinandam adhibuit Codicem Universalis, seu Orientalis Ecclesiæ, & probabilius secundum, qui post Concilium Chalcedonense emanavit, & a pluribus Theodoreto adscribitur. Colligitur id ex indice, sive ordine canonum Præfationi subjuncto (t). Præter canones ex dicta Collectione mutuatos adjecit Canones Apostolorum numero 85,, Sardicenses 21., & 68. ex Epistolis S. Basilii. Tria hujus Collectionis extant exemplaria manu descripta, unum admodum vetustum Romæ in Bibliotheca Vaticana ex Bibliotheca Palatina Heidelberga Romam delatum; alterum in Bibliotheca Petri Seguerii quondam Franciæ Cancellarii; tertium in Bibliotheca Claramontani Collegii S. J. Lutetiæ.

De Nomo-Canone. Altera Collectio, quæ Joanni Scholastico adscribitur, est illa, quæ vocatur *Nomo-Canon*, quod idem est, ac *collatio Canonum* cum legibus Imperatoriis. Contexuit illam vel adhuc ut Presbytèr (u); vel ut Patriarcha (x), circa annum 554. In hac adornanda eundem servavit ordinem, quem in sua Concordia Canonum. Divisit illam in 50. titulos, & in his eosdem canones adducit, quos allegavit in sua Concordia, cum hoc discrimine, quod in priori Collectione canones integros & plenos; in hac vero quasi per Indicem eorum sensum brevi quodam verborum compendio expressum conscripserit. Subjungit ad omnes titulos ex Codice & Novellis Justiniani constitutiones Imperatorias, in quantum cum suis titulis, & canonibus correspondent. Nam finis illius principalior fuit, ostendere Concordiam inter leges ecclesiasticas & Imperatorias. Ad titulum 9, 12, 21, 23, 31, 43, & 50. insinuat, quod nullas constitutiones invenire potuerit, quæ cum titulis, materiis, & canonibus convenirent. Ad calcem totius Collectionis adjunxit 84. capita ex iisdem Novellis desumpta, quæ ex suo judicio canonibus congruere videntur.

Incertum est, utrum Joannes Scholasticus auctor sit Nomo-Canonis. Haud abs re supra animadvertimus, recte dubitari, utrum hic Nomo-Canon ex integro revera sit Joannis Scholastici: contendunt enim Franciscus Florens, & Petrus de Marca, illius Authorem esse Theodoretum Cyrensem eatenus, quatenus Theodoretus Collectionem hanc 50. tiulorum ex solis canonibus digessit, cui dein Joannes Scholasticus

(t) In hoc recensentur post Canones Apostolorum decem Synodorum Canones, nempe Nycænæ, Ancyranæ, Neo-Cæsariensis, Gangrensis, Laodicenæ, Constantinopolitanæ I., Ephesinæ, & Chalcedonensis.

(u) Douiat lib. 3. cap. 9. §. 7. (x) Ita existimat Pertschius loc. cit. pag. 86.

lasticus excerpta legum duntaxat adjecit. Id ut opinentur, ea potissimum ratione ducuntur: quod hæc Collectio nomine Theodoreti inscribatur in manuscripto Bibliothecæ Regiæ; in fine vero Collectionis expresse additum legatur, quod Joannes Scholasticus leges Imperatorias subjunxerit, id quod Theodoretus facere non poterat: quia magna pars legum, quæ ibidem allegatur, primum post mortem Theodoreti lucem aspexerunt (y). Contradicunt Scriptores alii, & dictam Collectionem Joanni vindicant: eo quod in pluribus Codicibus Manuscriptis mox ab initio Collectionis illius nomen præfigatur. Sed quid huic quæstioni multum immorabimur?

Fuit magnæ authoritatis in Ecclesia Orientali, quam perdidit post Collectionem Photianam.

Hæc Joannis Scholastici Collectio magnæ profecto authoritatis fuit in Ecclesia Orientali, quam tamen perdidit, postquam Collectio Photiana, de qua in sequenti capite agemus, publicam lucem aspexit, & per Ecclesiam Orientalem dominatum accepit. Itaque hæ sunt Collectiones Ecclesiæ Orientalis usque ad tempora Photii.

§. V.

De Collectionibus Ecclesiæ Occidentalis.

Ad Collectiones seu Codices Ecclesiæ Occidentalis dilucidandos progredimur. Jam aliquoties ex Innocentio I. animadvertimus, quod Ecclesia Occidentalis in primis tribus sæculis Codicem Canonum non habuerit, eorumque loco Scripturam sacram, Traditionem, mores, & consuetudines observaverit, etsi quosdam saltem canones scriptos ecclesias particulares hinc inde in Synodis particularibus conditos habuisse vix inficiari valeamus. Postquam vero sibi Codicem scriptum Canonum adoptavit, in adornandis Collectionibus eandem secuta fuit methodum, quam observarunt Collectores Codicum Orientalium. Nempe sicuti Græci, ita etiam Collectores Romani primitus non nisi Canones Conciliorum secundum seriem temporum digesserunt. In Ecclesia Occidentali brevi post accesserunt Decreta ac Decretales Epistolæ Romanorum Pontificum, & quidem, uti sapientissime animadvertit, monetque Vir Celeberrimus Petrus Coustant, jam tempore Siricii Papæ: quippe qui ad Himerium Tarraconensem Episcopum ita scribit: *Statuta Sedis Apostolicæ vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum ignorare sit liberum* (z). Demum placuit Canones & Decreta

Addiderunt epistolas Decretales Pontificum.

(y) Petrus de Marca de Concord. lib. 3. cap. 4.

(z) Orientales Decretorum Pontificiorum modicam curam habuere. In Ecclesia Occidentali etiam jam Dionysius Exiguus suæ Collectioni inseruit Epistolas Romanorum Pontificum a Siricio usque ad Hormisdam.

ta in certas classes, & capita distribuere, & singulis titulis pro varietate materiarum canones convenientes apponere (a).

Jam ad id devolvitur Quæstio, an, & qualem Ecclesia Occidentalis habuerit Codicem, seu Collectionem Canonum Sæc. IV. & V. Celeberrimus Petrus de Marca duplicem distinquit Collectionem Ecclesiæ Romanæ, unam vetustissimam, quæ ante Concilium Chalcedonense; alteram vetustam, quæ post illud obtinuit: Illa prior continet solos Canones Nicænos & Sardicenses, quibus solis teste Innocentio I. Ecclesia Romana a tempore Concilii Nicæni regebatur; altera plures canones ex Codice Orientalis Ecclesiæ in Concilio Chalcedonensi approbato desumptos, quos Leo I. demptis iis, qui juribus Pontificis officere videbantur, Codici Ecclesiæ Romanæ inseri, & sic novam Collectionem Canonum adornari jusserat (b).

Qualis Ecclesiæ Occidentalis Codex Sæc. IV. & V.? Desuper disputant Petrus de Marca, & Petrus Coustant.

Huic opinioni se vehementer opponit eruditissimus Petrus Coustant, qui falsum esse existimat, quod Collectio illa, quæ tempore Siricii & Innocentii I. in usu Ecclesiæ Romanæ fuit, solis canonibus Nicænis & Sardicensibus constiterit: quia, prout antea probatum dedimus ex Epist. Siricii, jam tunc moris erat, ut Codicibus Romanis non modo Canones Conciliorum, sed etiam Decreta & Decretales Epistolæ Pontificum inscriberentur. Alterum, quod Petrus de Marca assert de Collectione jussu Leonis congesta, omnino improbabile videtur Coustantio: eo quod tota rerum series, quam Petrus de Marca refert, nulli authoritati, nullique fundamento nitatur: ubinam enim legitur, quod Legati Pontificii illum Codicem Chalcedone secum Romam deportaverint, illum Leoni exhibuerint, Leo canones quosdam suis juribus minus faventes expungi; cæteros vero novæ Collectioni inseri voluerit? Et quis nescit, Leonem semper Codicem illum Orientalis Ecclesiæ propter Canones Constantinopolitanos eidem insertos abhorruisse: adeoque non sat probabile videtur, quod eidem etiam quoad partem tantum aliquid authoritatis tribuere voluerit (c).

Absit, ut horum clarissimorum Virorum interpretem, vel arbitrum agere præsumamus. Subliniori ingenio judicium relinquimus. Nobis sufficit, si probemus, quod Ecclesia Romana in suo regimine Codicem Canonum habuerit. Id vero probant non modo epistolæ variæ Innocentii I. supra allatæ; verum etiam alia rationum gravissimarum momen-

Habuit Ecclesia Romana tunc temporis suum Codicem.

(a) Ex his primus fuit Martinus Bracarensis, quem secuti sunt Cresconius, Burchardus &c.

(b) Vid. Differt. de Collect. vet. Petri de Marca.

(c) In Præfat. sæpius citata.

momenta. Nam jam tempore Concilii Chalcedonenſ. in Eccleſia Romana, prout optime diſcurrit Van-Eſpen (d), viguiſſe quemdam Codicem, argumento ſat manifeſto eſt, quod ad alium Legati Pontificii provocaverint; ad alium Græci: dum enim Orientales ingenti animorum contentione ſuo Patriarchæ quemdam Primatum, & prærogativas ſoli Romano Pontifici proprias vindicare laborabant, atque ad Canonem 3. Conſtantinopolitanum appellabant, repoſuit Lucentius Sedis Apoſtolicæ Vicarius: *Canones iſtius Synodi Conſtantinop. in Synodi conſtitutionibus non habentur.* Ulterius in eodem Concilio Paſchaſinus Sedis Apoſtolicæ Vicarius recitavit ſanctorum Patrum Can. VI. id eſt Canonem VI. Concilii Nicæni, in quo Eccleſiæ Romanæ Primatus adſtruitur: ad quod ſane non habebant, quod opponerent Orientales (e). Accedit, quod principaliſſima cauſa, quæ Dionyſium ad concinnandum novum Codicem permoverat, illa fuerit, ut Eccleſia longe accuratiorem haberet Codicem, quam eſſent illi, qui eo ævo circumferebantur. Propterea mirum non eſt, quod in hodiernam usque diem multi circumferantur hujusmodi Codices, hinc inde in Bibliothecis in Manuſcriptis aſſerventur, & eorum aliqui non ita pridem in lucem publicam producti fuerint, quales ſunt Codex a Juſtello Juſtellianus (f), Quesnellianus (g) ex Manuſcriptis Codicibus Thuaneo, & Oxonienſi deſumptus, & noviſſimæ operum S. Leonis editioni per modum appendicis additus; item Longobardicus ex Bibliotheca Colbertina in lucem editus (h) &c. Cæterum omnes hi Codices ſuſpecti videntur, & an ullus eorum ſit genuinus ac ſincerus, jure optimo dubitatur. Deſuper legi meretur eruditiſſimus Couſtant, qui Codices iſtos ſecundum accuratiores critices regulas accuratiſſime examinavit (i). Idem fecit Van-Eſpen, qui ſuas animadverſiones in Codicem Juſtellianum, & Quesnellianum Juris publici fecit, ac ſuum deſuper judicium communicavit: & quidem illum priorem neutiquam genuinum eſſe Codicem, illum nempe, quo Eccleſia Romana ante Collectionem Dionyſianam uſa fuit; poſteriorem vero multas genuinitatis notas præſeferre aſſeruit (k). Quidquid jam ſit de veritate horum Codicum, nobis ſufficit oſtendiſſe, quod Eccleſia Romana Codicem ſibi proprium a Sæc. IV. usque ad Collectionem Dionyſianam habuerit. Duo

Plures hujusmodi Codices hodie circumferuntur.

(d) Van-Eſpen, part. 2. cap. 2. (e) Idem ibidem.

(f) Hunc juris publici fecit Henricus Juſtellus filius Chriſtophori Juſtelli.

(g) Hunc edidit Paſchaſius Quesnellius Tom. 2. Operum S. Leonis.

(h) Ita vocatur, quia literis Longobardicis fuit exaratus.

(i) De quo vid. Couſtant. §. 2. Præfat. (k) Part. 2. c. 2. §. 3. & ſequent.

Duo potissimum sunt, quæ nostram industriam morantur, ne in recensendis cæteris Collectionibus ulterius pergat, nobisque digna sunt visa, ut accuratiori examini subjiciantur. Vidimus hactenus, quomodo Occidentales & Orientales in recipiendis canonibus inter se fuerint divisi, & quidem priores canones quosdam Antiochenos & Constantinopolitanos; posteriores vero Sardicenses, & Carthaginenses recipere dedignati sint. Nobis unice de Sardicensibus agere placuit, quos Romani Pontifices Canonibus Nicænis per modum Appendicis addiderunt; & Orientales acceptare constanter recusarunt: partim quod inter Canones Nicænos non fuerint reperti: partim quod in Can. 3. & 4. Concilii Sardicensis appellationes transmarinæ contra Synodum Antiochenam & disciplinam veterem Orientalis Ecclesiæ videantur esse stabilitæ, aut noviter introductæ. Itaque duo sunt, quæ in examen vocabimus, quorum primum est, utrum Ecclesia Romana, vel potius Romani Pontifices studiose & pia quasi fraude Canones Sardicenses Canonibus Nicænis adjecerint; alterum vero, an in citatis canonibus tertio & quarto Synodi Sardicensis appellationes, transmarinæ potissimum, fuerint statutæ?

Occidentales & Orientales Canones non æqualiter recipiebant.

Sardicenses recipere nolebant Orientales & quare?

Dubia de his Canonibus.

Pro utraque Quæstione dilucidanda juvabit historiam scire, quæ utrique controversiæ ansam præbuit. Celebranda erat Synodus Carthagine ex omnibus Africæ Episcopis, ad quam Zosimus Pontifex suos misit Legatos, & inter alia jussit, ut, si PP. Africani agerent de appellationibus ad Romanum Pontificem, Legati Pontificii eas omni modo urgerent, suamque sententiam authoritate Concilii Nicæni stabilirent, quod & egregie fecerunt. Reponebant Africani, hunc Canonem in suis exemplaribus Concilii Nicæni non reperiri: quare decreverunt mittere Legatos ad Episcopos Alexand. & Constantinop., utpote in quorum Ecclesiis authentica dicebantur reservari exemplaria. Placuit consilium utrique parti. Et en! Canon iste non reperiebatur; sed potius deprehensum fuit, canonem, ad quem provocarunt Legati Pontificii, esse Canonem tertium Concilii Sardicensis. Quid ulterius in hac causa actum fuerit, dicere huc non pertinet.

Occasionem dubitandi præbuit Synodus Carthaginensis, cujus historia refertur.

Jam de additione Canonum Sardicensium videamus, utrum nempe Pontifices alicujus doli, fraudis, ac imposturæ accusari valeant, quasi vero studiose hos canones adjecerint canonibus Nicænis, eum in finem, ut jus appellationum sibi vindicarent, & appellationes, vel quascunque provocationes a Conciliis Provincialibus maxime in causa depositionis Episcoporum, aliter quam Canones Antiocheni volunt, & Nicæni velle videntur, ad se attraherent. Verum absit, ut Romanos

Pontifices pessime accusantur imposturæ in additione Canonum Sardicensium.

nos Pontifices tanti criminis reos faciamus. Si quid in hac causa actum fuit, optima sane ratione, & consilio id factum esse nobis firmissime persuasum habemus. Aut enim Julium Pontificem, sub quo Synodus Sardicensis celebrata fuit, aut illius Successores immediatos, aut Zosimum & Bonifacium, hujusmodi appellationes mirum in modum urgentes, sub quibus Synodus Carthaginensis agebatur, hujus criminis, fraudis & imposturæ reos facimus? demus quod Julius, illiusque immediati Successores, quibus historia Synodi Sardicensis non poterat esse incognita, hanc additionem fecerint: num propterea fraudis, & doli argui possunt? id nemo sanus, qui historiam hujus Synodi vel obiter inspexerit, dicere vel affirmare ausus fuerit. Convocata fuit hæc Synodus consensu utriusque Imperatoris Constantis & Constantii, ex causa prorsus legitima & prægnantissima, ut fides Nicænæ Synodi multum labefactata sustentaretur, in loco prorsus opportuno, nempe Sardicæ, quæ erat confinis civitas, & intermedia Provinciis Orientis, & Occidentis, sub Præsidio Julii Romani Pontificis per Osium Cordubensem, confluentibus plusquam 376, teste Socrate, Episcopis Occidentalibus, & 76. Orientalibus, qui tamen ultimi erant ex colluvie Arianorum, & causæ suæ diffisi urbe Sardica relicta Philopopolim Thraciæ urbem concesserunt Pseudo-Synodum habituri sub Præside Stephano Episcopo Antiocheno. Jam quærere liceat, an non Pontifices Romani jure optimo hos canones Nicænis canonibus addere, & illa discessio Arianorum effectum Synodalium Canonum impedire potuerit? Et sane! ipsum jam Innocentium I., esto in pluribus locis unice ad Canones Nicænos provocet, hosque solos observari velit (l), nihilominus in variis suis epistolis etiam ad canones Sardicenses provocasse constat (m): quod signo manifesto est, Ecclesiam Romanam jam ante Zosimum & Bonifacium canones Sardicenses Nicænis subjecisse, & hoc ipso fraudis accusari non posse, id tanto minus ausuram, quanto facilius fraus detegi potuisset. Atque hoc argumenti genus eo fortius militat pro Zosimo & Bonifacio, quo minus affectati mendacii aut imposturæ argui valeant. Quo enim

Juste hanc additionem fecerunt.

(l) In Epist. ad Theoph. Alexand. in qua ait: *Si conscientiæ confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum in Christo proxime celebrandam, & illic juxta Nicæni Concilii Canones & decreta contende: alios quippe Canones Romana non admittit Ecclesia.* Et ad Clerum populumque Constantinop. *Canonibus porro obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti, quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam, & juxta eos judicare.*

(m) Van-Espen Part. 2. §. 2.

enim consilio, si ex præmeditata fraude id actum fuisset, tam facile consentire potuissent, ut pro conquirendis authenticis exemplaribus Concilii Nicæni ad Ecclesias Alexandrinam & Antiochenam Legati mitterentur: quandoquidem dubitare non potuissent (si nimirum scivissent, canonem a se citatum non esse Nicænum, sed Sardicensem) fraudem detegendam, & se mendacii, & imposturæ convincendos?

De sensu Canonis Sardicensis III.

Altera quæstio de sensu & intellectu Canonis III. Sardicensis majoris est difficultatis, de qua nos jam alibi obiter egimus (n). Controversia agitur inter Doctores Catholicos, qui duplicem movent quæstionem, primo, an in illo Canone adstruatur jus appellandi ad Romanum Pontificem: secundo, an Jus appellandi potius stabilitum, quam noviter introductum dici debeat?

Quinam in eo jus retractandi, & quinam jus appellandi in eo agnoscant?

In hoc Canone merum jus retractandi, reformandi, & revidendi suspiciunt Petrus de Marca (o) & Elias Dupin (p); verum jus appellandi Natal. Alex. Christianus Lupus, aliique (q). Jus novum sive appellandi, sive quomodolibet ad Pontificem provocandi antea non concessum idem agnoscit Petrus de Marca; econtra jus potius stabilitum quam noviter concessum citatus Natal. Alexander. Altius repetenda res est, si has controversias plenius intelligere velimus, & præprimis separanda est quæstio Juris a quæstione facti:

Separanda quæstio juris & facti.

De Jure instituitur quæstio, si quæratur, an de Jure divino detur facultas provocandi ad Pontificem, casu quo a Judice inferiori, Episcopo, Metropolita, Synodo Provinciali, vel Nationali se læsum quis existimet. De facto quæritur, si instituatur quæstio, an jus istud appellandi fuerit in usu Ecclesiæ, nullo Jure, Canone, vel consuetudine contraria restrictum, limitatum aut omnino sublatum.

Jus appellandi ad Pontificem ex Primatu descendit.

Quæstio Juris nostra opinione facillimæ est decisionis: nam si semel in Pontifice revereamur quemdam primatum Jurisdictionis, sane Jus appellandi inde velut appendix necessaria consequitur: quid enim aliud est Jus appellandi, quam jus provocandi ad Judicem superiorem velut ex ipso jure naturæ fluens? in quantum nempe sapit speciem necessariæ defensionis, eum in finem, ut appellanti fiat Justitia, in qua se per Judicem inferiorem læsum esse queritur. Si ergo Pontifex vi primatus vices

(n) Differt. I. de Jure Ecclef. Part. Cap. 2. §. 9.

(o) Lib. 7. ferme per totum.

(p) De antiqua Ecclef. difcip. Differt. 2. cap. 1. & feq.

(q) In Hift. Ecclef. Sæc. IV. Differt. 18.

vices legitimi Judicis sustinet, quo ausu ipsi admissionem vel exactionem appellationum abnegare sustinemus? hæc tamen non ita intelligi volumus: quasi vero Jus istud appellandi nullam admittat restrictionem, limitationem, quin vel per canones, pacta & fœdera, contrariam consuetudinem ex legitima causa in bonum ecclesiarum alterari, ac intra certos limites coarctari possit. Quidquid enim Juris Christus Pontifici concessit, id omne in ædificationem, non in destructionem, in bonum Ecclesiæ concessum esse existimandum est: Aliter si dicamus, non modo Patres Africanos sese appellationibus vehementissime opponentes, verum etiam Episcopos Germaniæ sua gravamina contra avocationes, & appellationes ad Pontificem factas tam in Conciliis Ecclesiæ, quam in Comitiis deponentes, ipsum etiam Concilium Tridentinum, quod appellationibus hisce arctiores posuit limites, erroris accusare debebimus. Et qua ratione excusabimus praxin hodiernam legibus publicis confirmatam, ex qua scimus, quod multi Judices inferiores *Jus de non appellando* habeant, atque multæ etiam in utroque Jure dentur causæ, a quibus appellare non licet, esto Jus appellandi in ipso Jure naturæ sit fundatum?

Patitur tamen restrictionem.

Quæstio facti ex historia primorum sæculorum est decidenda.

Ut quæstio facti rite intelligatur, res altius est repetenda, & ex historia dilucidanda. In eo ergo cardo difficultatis vertitur, quid primo in primis tribus Ecclesiæ sæculis moribus, consuetudinibus & observantiis fuerit introductum: ab his enim omne Juris pondus & authoritas petenda est, singulariter, an illis temporibus a sententia Metropolitarum, & Synodorum Provincialium ad Romanos Pontifices fuerit appellatum, vel potius summa decidendi causas potestas penes Synodos provinciales rescisso omni appellationis remedio fuerit? Secundo, quid in Synodo Nicæna, & Antiochena; & tertio quid in Sardicensi fuerit decretum, & postea in praxi obtinuerit?

In tribus primis sæculis non videtur esse facta appellatio ad Pontificem.

In tribus primis Ecclesiæ sæculis penes Synodos Provinciales supremam judicandi & decidendi potestatem resedisse, quamplurimis exemplis demonstrari potest, quin vel ullum authenticum legalis appellationis ad Romanos Pontifices exemplum afferri valeat, aut si quis appellationem tentaverit, Episcopi non contradixerint, eamque veluti inanem, & juribus suis, vel ecclesiasticæ disciplinæ contrariam non agnoverint. Exemplo sit Cyprianus, qui vehementius non nihil pro suis juribus zelabat, & vehementer conquerebatur contra Cornelium Papam, quod Clericos quosdam, & quemdam Pseudo-Episcopum a se damnatos in suam communionem recipere voluerit. Verba Cypriani sunt valde prægnantia, unaque rationem hujus disciplinæ indigitant:

Post

Post ista, inquit Cyprianus, *navigare audent, & ad Petri Cathedram, unde unitas sacerdotalis exorta est, & profanis & schismaticis literas ferre. Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac justum, uniuscujusque causa illic audiatur, ubi crimen est commissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere; sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint &c.* & infra: *jam causa eorum cognita est, jam de eis sententia dicta est* (r). Animadvertamus, quæso, rationes, quibus Cyprianus ad similes provocationes reprobandas, & Episcoporum potestatem in ferendis sententiis supremam defendendam ducitur: ait enim, quod Episcopis *portio gregis sit commissa*, pro qua ipsi rationem dare debent; ait: *ubi crimen est commissum, ubi testes adhiberi possunt, ibi causam examinandam.* Et quid justius, quid æquius, quid ad facilitandam decisionem causæ opportunius esse queat? Idem Cyprianus ab Episcopis Hispaniæ consultus in causa Basilidis & Martialis Episcoporum ob crimen idololatriæ depositorum, & a Stephano Papa, quem dolose induxerant, in communionem receptorum, illos admonuit, hortatus est, stimulavit, ut priori suo judicio & sententiæ firmissime adhærerent, nec illam infringi paterentur. Quid ulterius inter Cyprianum & Stephanum Papam in controversia de rebaptizandis ab hæretico baptizatis, inter Victorem & PP. Asiaticos in controversia de celebrando Paschate, actum fuerit; quam parvi & Africani & Asiatici judicium Pontificum habuerint, quam constanter suo judicio inhæserint, res aliunde est notissima. Et quis ignorat, causas schismatum & hæresum in Synodis particularibus fuisse examinatas, decisas, terminatas? Confugere non raro hæretici a Synodo Provinciali damnati ad Romanos Pontifices; sed non per viam appellationis legitimæ, non ut Pontifices novum judicium assumant, causam de novo examinent, retractent, decidant; sed ut illorum patrocinium aucupentur, & authoritate aliquo modo sustententur. Quin ipsi etiam Pontifices non raro hujusmodi causas non susceperunt, ac taliter venientes veluti a limine repulerunt: aut si illos ex quacunque causa in communionem receperunt, contradicentes sibi habuere Episcopos, qui pro suis juribus, authoritate judiciorum, & disciplina suarum ecclesiarum strenue semper decertarunt. Confugit ad Pontificem Marcion damnatus a suo proprio Patre:

Demonstratur exemplo S. Cypriani.

Causæ etiam majores in Synodis particularibus decisæ.

Quomodo hæretici confugerint ad Romanos Pontifices.

(r) Lib. 1. Epist. 3.

Patre: sed quid responsi tulit? Nos injussu venerandi Patris tui facere illud non possumus: *Una siquidem fides est, & animorum una consensio.* Romam venere Fortunatus, & Felicissimus ab Africanis damnati: Porro non modo contradixerunt Africani, sed ipse etiam Pontifex Cornelius nec de illorum causa judicavit, nec ejus retractationem decrevit, imo ne quidem illos, utpote damnatos a suis Episcopis audire voluit. Et nunquid hæretici & schismatici e.g. Donatistæ, Ariani ad Imperatores provocarunt? anne catholicus quis similes provocationes approbare auserit? profecto si totam antiquitatem priorum sæculorum percurramus, vix ullum authenticæ appellationis exemplum reperire erit, aut si quæ admodum pauca extarent, magis juri & consuetudini ordinariæ; quam exemplis quibusdam & factis undecunque petitis standum foret (s).

Exemplum authenticæ appellationis vix reperibile?

Quid Synodus Nicæna in hac materia statuerit?

Ad alteram periodum id est ad Sæc. IV. promoveamus gradum, & quid Synodus Nicæna statuerit, videamus. Canon. 5. sic habet: *De his, qui communione privantur, sive ex Clero, sive ex Laico ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Et infra: *placuit annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis Provinciæ congregatis discutiantur hujusmodi quæstiones, & sic qui suo evidenter peccarunt Episcopo, excommunicati ab omnibus æstimentur, usquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam.* Profecto Canon hic authoritatem Conciliorum particularium mirum in modum confirmat, ac omnem provocationem prohibuisse sat manifeste constat: jubentur enim excommunicati a Synodo tamdiu extra communionem stare, donec eisdem Episcopis mitiorem ferre sententiam placuerit. Quod si a judicio Synodorum Provincialium provocare licuisset, qua ratione relaxatio sententiæ, aut illius confirmatio Synodo vel Episcopo, & non potius Superiori, ad quem provocare liceret, vindicari & adstrui potuisset? Cum Synodo Nicæna conveniunt Synodi subsequentes, Constantinopolitana I., Antiochenæ plures. Audire lubeat, quid Synodi Antiochenæ statuerint, quas parum favisse Occidentalibus præsertim Romanis Pontificibus in hac ipsa appellationum controversia, inde fortissimum depromitur argumentum, quod Romani Præsules canones Antiochenos recipere recusaverint; Orientales vero Synodo Sardicensi Synodos Antiochenas constanter opposuerint. Concilii Antiocheni Canon

Videtur contraria appellationibus.

Plures aliæ Synodi particulares contrariantur.

(s) Elias Dupin de antiq. Discip. Differt. 2. & Petrus de Marca lib. 7. cap. 1.

non 15, sic habet: *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem Provinciæ, cunctique consonantes eandem contra illum formam decreti protulerint, hunc apud alios minime judicari, sed firmam concordantium Episcoporum Provinciæ manere authoritatem.* Verum in hac ipsa Synodo Patres Africani a sua veteri disciplina, & Canone antea lato recesserunt, dum Can. 12. sic statuerunt: *Si quis a proprio Episcopo Presbyter, aut a Synodo Episcopus fuerit damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oporteat ad majus Episcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere justa, plurimis Episcopis suggerant, & eorum discussiones ac judicia præstolentur.* Ecce! in priori canone Synodis authoritas suprema tribuitur; in hoc datur potestas ad majora Episcoporum Concilia provocandi: nunquid manifesta correctio? In conciliandis his canonibus Doctores Galli non conveniunt. Petrus de Marca canonem 12. intelligit de casu, quo quis damnatus a Synodo juxta morem tunc consuetum, & conformiter legibus Imperatoriis ab Imperatore rescriptum obtinuerit, quo causa retractari jubetur (t). Elias Du Pin canonem sic intelligit, ut sensus sit, neutiquam licere damnatis ad Synodum majorem provocare; sed ipsis judicibus esse facultatem convocandi Synodum majorem, casu quo damnatus Imperatorem sollicitaverit, ut restituatur, aut nova quædam moliatur: ut hoc modo eo efficacius compescatur, & authoritatis pondere veluti obruatur (u).

Synodus Antiochena videtur sibi ipsi contradicere.

Hanc porro disciplinam mordicus retinuerunt Orientales, & Occidentalibus succensuerunt, quod vellent judicia in Oriente finita refricare. Id contestati sunt in Epist. ad Julium, ac dein in Concilio Philippopolitano, ubi queruntur, Athanasium receptum esse in communionem ab Occidentalibus, postquam damnatus fuerat in Oriente; atque quod a Synodo Sardicensi recesserint, se excusant, asserendo, se noluisse communicare cum illis, qui damnatos a se non rejicerent, nec dignum exhiberent honorem Orientis Concilio. Sed dicet aliquis, hæc exempla pessime afferri: cum sint mera facta hæreticorum, quæ regulam facere nequeunt, & a nemine Catholicorum approbari possunt. Verum non eo consilio id facimus, ut illorum causam approbemus, sed ut

Orientales inhæserunt constanter veteri disciplinæ.

(t) In hanc rem citat Petrus de Marca L. Ult. Cod. de Appell. in qua istud remedium vocatur *retractatio*, & Novel. 119. cap. 5. putat ergo, quod tunc temporis Imperatores habuerint jus concedendi rescripta pro revisione supremorum judiciorum etiam ecclesiasticorum.

(u) Loc. cit. §. 2.

ut tantum ostendamus, quæ fuerit Orientalium disciplina, quæ non modo ex his, sed etiam ex antecedentibus iisque legitimis testimoniis sufficienter manet comprobata.

In Synodo Sardicensi authoritas Synodorum particularium diminuta.

Jam ad ipsam Synodum Sardicensem delabimur, cui procul dubio occasionem præbuere causæ Arianorum & Athanasii: dum enim plures Orientales Arianis aperte favebant, nihil non tentarunt in Athanasium, illum damnarunt, judicia Occidentalium contempserunt, provocationes ad Romanum Pontificem inhibuerunt, & sua tantum judicia in arcem supremæ potestatis collocarunt. Quapropter in Synodo Sardicensi de restringenda authoritate Synodorum particularium, & vindicandis appellationibus, aliisque provocationibus ad Romanum Pontificem fuit actum, ac demum famosus ille Canon. 3., de quo nobis hic præcipue agendum, cum sequentibus 4. 5. conditus. Diversæ autem sunt versiones hujus Canonis ex Codice Græco, quos legendos exhibet Elias Du Pin (x). Placuit communiorem adducere, quæ sic habet: *Osius Episcopus dixit: quod si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se causam bonam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo, & si judicaverit judicium esse renovandum, renovetur, & det Judices* (y); *si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt, si hoc omnibus placet. Respondet Synodus, placet.*

Canon III. hujus Synodi famosus.

Ex hoc Canone ortum trahunt duæ celeberrimæ controversiæ de jure appellandi.

Atque hic est ille Canon, ex quo dimanarunt duæ illæ controversiæ supra expositæ, utrum nempe in illo Jus appellandi ad Romanos Pontifices noviter statutum, vel potius stabilitum fuerit; & an in illo non tam Jus appellandi, quam potius retractandi, revidendi, & in certo sensu reformandi sit contentum? Prima Quæstio difficultate caret, si vera sint, quæ supra ex praxi, observantia, & consuetudine primitivæ Ecclesiæ deduximus: Esto enim Jus appellandi fundetur certa quadam ratione in Jure Divino, & Primatu Romani Pontificis, potuit tamen eidem derogari per contrariam consuetudinem, traditionem & observantiam Ecclesiæ. Profecto si structuram & œconomiam primitivæ Ecclesiæ, si observantiam, & praxin Ecclesiarum, si temporum, aliarumque rerum circumstantias ad sublimiorem trutinam vocemus, si ea, quæ supra retulimus, vera sint, difficillime sane Jus appellandi ad Roma-

Jus appellandi ad Pontificem ex observantia & praxi Ecclesiæ an-

(x) Dissert. 2. §. 3. Ubi varias versiones recenset.

(y) Editio Græca ex versione Gentiani habet: *Per propinquos Provinciæ Episcopos.* Vid. Du Pin. loc. cit.

Romanum Pontificem vindicabimus. Iterum rogamus, ut, si quod tale exemplum appellationis legitimæ & legalis in omnibus documentis historicis prostet, illud in medium producatur: quod si aliqua hujusmodi exempla reperiri possint, illa certe erunt rarissima, quæ sane observantiam communiorem elidere nequeunt. *tiquæ difficillime vindicatur.*

Afferunt quidem Doctores contrarii plura, quæ tamen si accuratius examinentur, nihil vel parum authoritatis habere videntur: Nam ut hujusmodi exempla convincenter probent, probandum incumbit parti adversæ, quod illi, qui ad Sedem Pontificiam provocaverunt, vel simpliciter confugerunt, & illius assistentiam implorarunt, non tantum Pontificem tanquam legitimum Superiorem imploraverint, ut causam contra se decisam de novo suo examini subjiciat, acta revideat, sententiam a Judice inferiore latam corrigat, emendet, vel confirmet; verum etiam quod ipsi Pontifices causam controversam judicialiter, & legitime de novo reassumpserint, & modo a legibus præscripto ultimato suo judicio, anteriorem sententiam Judicis inferioris vel confirmando, vel reformando deciderint. Huic opinioni robur addit ipsa Synodus Nicæna, dum statuit, ut pro terminandis controversiis majoribus singulis annis duæ Synodi Provinciales celebrentur. Ulterius si jam antea appellationes ad Pontificem usu obtinuerunt, ad quid Synodus Sardicensis Can. III. singulariter statuit, ut a Synodo particulari ad Romanum Pontificem possit provocari? & quare in hoc ipso canone verbis adeo demissis, & ad excessum usque humilibus usi sunt Patres Sardicenses: *Honoremus S. Petri memoriam, & si vobis visum fuerit, scribatur Julio Episcopo Romano?* Num Oeconomiæ causa id factum esse credimus? imo ita factum esse non ex vano suspicamur, ut Orientales eo facilius se in sententiam Occidentalium flecti sinerent. Interim hanc Quæstionem multum habere nominis ex mox dicendis patebit. *Exempla ab AA adducta sufficienter non probant.* *Synodus Nicæna & Sardicensis juri appellandi contrariantur.*

Denique ad ultimam Quæstionem dilucidandam devolvimur, qua quæritur, an in citato canone Jus appellandi, vel potius retractandi contineatur? Etiam hæc Quæstio tantæ difficultatis, nostra saltem opinione, non est, ut non facile possit resolvi, si modo verba canonis ex una; ex altera vero parte discrimen inter appellationem, & retractationem bene intelligatur. In eo consistit hoc discrimen, quod Judex Superior vigore appellationis apud se interpositæ possit sententiam Judicis inferioris confirmare, corrigere, emendare, annullare, prout ipsi visum fuerit, vel per se, vel per Judices delegatos qualescunque *Utrum in Can. III. jus appellandi vel retractandi statutum?* *Discrimen inter jus appellandi & retractandi.*

cum

cum effectibus a Jure appellationi annexis (z); econtra vi retractationis restrictam habeat potestatem eatenus, quatenus acta Judicialia equidem examinare, & sententiam Judicis inferioris confirmare; neutiquam tamen per se illam emendare, corrigere & annullare valeat, sed potius, casu quo sententiam reformandam existimet, teneatur illius examen & decisionem Judicibus delegatis, non quibuscunque, sed *vicinis* & *regionariis committere*, quibus citra ordinem in appellatorio observandum acta prioris judicii revidere, approbare, confirmare; non tamen sententiam ferre licebit: sed potius, casu quo non omnia legitime fuisse acta constiterit, obligatio incumbet procurandi, ut causa in Synodo majori discutiatur, examinetur, & decidatur.

Explicatur citatus Canon.

Jam verba canonis expendamus: dicitur inprimis: *Petri memoriam honoremus*, quæ verba videntur significare, quod antea Jus appellandi ad Pontificem nondum obtinuerit: secus canon diceret: *Jus antiquum conservemus*. Ex hoc ulterius consequitur, hunc canonem unice in reverentiam & honorem Sedis Apostolicæ fuisse conditum. Dicitur ulterius, ut iterum *Concilium renovetur*, quæ verba sane ex naturali suo sensu aliud non dicunt, quam quod Pontificis sit iudicium ferre, an novum examen causæ in novo, eoque majori Concilio sit concedendum; & quidem si judicat, *judicium esse renovandum*, non ipse judicet, sed *det Judices*, non qualescunque sed *vicinos*, qui *Provinciæ* sunt *vicini*, ita tamen, ut ipse possit unum ex suis Legatum mittere. Audiamus textum in Can. V. prout legitur in editione Dionysii: *Osius Episcopus dixit: Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi Regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit* (a), *qui dejectus fuerat, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si justum putaverit, ut renovetur judicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia inquirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si quis, qui rogat suam causam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet &c.* Denique dicitur, *si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt.* Ex his, quis non luce meri-

Potius jus retractandi quam appellandi statutum.

(z) Tales effectus sunt, quod omnia debeant manere in suspenso; nihil agi, & attentari valeat, & tota causa ad Judicem superiorem devolvatur.

(a) Verbum *Appellationis* non adeo stricte esse sumendum, suadent verba sequentia a nobis explicata.

meridiana clarius perſpicit in hoc canone neutiquam de Jure appellandi, quod ſane eſt ampliſſimum, ſed unice de Jure retractandi valde reſtricto agi: cum utique Pontifici nulla reformandi cauſam, ſed unice poteſtas judicandi, an judicium ſit reformandum in Concilio, concedatur, & quidem ea lege, ut hoc ipſum non per ſe, ſed per delegatos, & quidem *Epiſcopos vicinos* facere, & ad ſummum aliquem ex ſuis adjungere; & ne quidem hi ipſi cauſam de novo decidere, ſed unice cognoſcere valeant, an major Synodus ſit concedenda, ut in ea cauſa novo judicio ſubmittatur, & finaliter decidatur. Id addere neceſſarium duximus: quod, cum eo tempore judicia eccleſiaſtica non adeo accurate ſecundum normam Juris civilis, & cum ſtrepitu forenſi fuerint celebrata (b), ſane neque adeo accurate Judices eccleſiaſtici inter Jus appellandi, & retractandi diſtinxiſſe videantur.

De receptione Synodi Sardic. in Eccleſia tam Orientali quam Occidentali.

Innumera adhuc dicenda forent, quæ tum ad Canones Sardicenſes, tum ad jus appellandi ſpectant, de quibus videantur DD. ſæpius in hac materia citati. Id jam dicendum ſupereſt, an, & quandonam Canones Sardicenſes in Eccleſia tam Occidentali, quam Orientali fuerint recepti. Orientales pertinaciter tam in Synodo Sardicenſi, quam poſt illam ſuis juribus, ac diſciplinæ inhæſiſſe, atque cauſas graviores in Synodis Provincialibus, & poſtea Majoribus ſeu Diœceſanis decidiſſe in comperto eſt. Sane cur Orientales a Synodo Sardicenſi diſceſſerint, cauſam vix aliam allegant, niſi hanc: quod Occidentales contra Canones Antiochenos, & antiquam Eccleſiæ conſuetudinem de cauſis Orientalium cognoſcere velint (c). Poſt Synodum Sardicenſem in Concilio Conſtantinop. & Chalcedonenſi novo canone ſuam diſciplinam corroborarunt, ſtatueruntque, ut a Synodo Provinciali ad Diœceſanam ſeu majorem, cui præſideat Exarchus; cauſæ vero Metropolitanorum mox ad ipſum Exarchum deferantur: quod ideo factum eſſe exiſtimamus, quia Metropolitani magna authoritate pollebant in Synodis Provincialibus, & difficile erat eos ibi judicari (d). Hæc Eccleſiæ Orientalis jura ſua lege munivit Juſtinianus Imperator (e): ipſi vero

(b) Incepere Epiſcopi ſua judicia cum ſtrepitu forenſi exercere circa Sæc. XII. vid. Quæſt. 1. de Jure Canon. in genere.

(c) Prout legitur in Epiſt. Synodica eorum, cujus fragmentum recenſet Petrus de Marca lib. 7. cap. 4. N. 5.

(d) Can. 2. Conſtantinop. & Can. 17. Concil. Chalced.

(e) Nov. 123. cap. 22. & in Novel. 137.

Orientales sua disciplina inhæserunt usque ad Synodum Trullanam. vero Orientales huic disciplinæ suæ adhæserunt usque ad Synodum Trullanam, quæ suæ Collectioni etiam inseri voluit Canones Sardicenses, & inter hos illos tres, qui ad Romani Pontificis authoritatem pertinent. Verum non ea fuit hujus Synodi mens, ut propterea Jurisdictioni Romani Pontificis submittere voluerit appellationes Episcoporum: *Mens Synodi Trullanæ exponitur.* cum eidem Collectioni inserti quoque fuerint Canones Concilii Constantinop. & Chalcedonensis, qui unicuique Patriarchæ supremum harum causarum judicium commiserunt. Nihil ergo aliud voluit Synodus Trullana, quam ostendere, quæ & quanta sit potestas Romani Pontificis in suo Patriarchatu, cujus limitibus voluit circumscribere potestatem ex Canonibus Sardicensibus ei vindicatam, unaque ostendere, hanc potestatem ei non a Concilio Nicæno, sed Sardicensi esse concessam. *Orientales etiam post Synodum Trullanam suis juribus inhærebant.* Quapropter Orientales etiam post Synodum Trullanam in possessione suæ disciplinæ perseverarunt, & causas Episcoporum in Synodis Provincialibus agitarunt; postea vero ad Exarchum seu Synodum Diœcesanam eas detulerunt, apud quam erat supremum judicium: cujus rei testes sunt Photius in suo Nomo-Canone, Zonaras, & Balsamon in Commentariis ad hos canones.

Etiam in Occidente Canones Sardicenses non statim fuerunt recepti. Sed nec in Occidente Canones Sardicenses mox fuisse receptos; imo eisdem longo tempore fuisse contradictum, Historiæ nos docent. Ut enim nihil dicamus, quod ex constitutionibus Imperatoriis tunc temporis pro retractatione causæ in Synodo Provinciali discussæ rescriptum Imperatorium obtineri debuerit, quo jure sane Synodus Sardicensis Imperatores privare noluit, vel fortassis non potuit, cum sciamus, quod longe post Synodum Sardicensem Synodus Romana anno 478. ex omnibus Italiæ Episcopis Imperatori Gratiano supplicaverit, ut de hoc rigore aliquid velit remittere, quod & impetrarunt, res insuper notissima est, quod Canones Sardicenses ignoti fuerint Africæ & aliis *Fuere incogniti Africanis.* Provinciis extra Italiam usque ad tempora Zosimi, quos cum ille primus apud Africanos venditavit pro Nicænis, vehementer commovit Africanos, qui nil novi Juris sibi obtrudi patiebantur, & canones sibi propositos esse Synodi Nicænæ negabant, ut propterea Legati ad Ecclesias Alexandrinam & Antiochenam pro conquirendis genuinis exem*Tandem illos receperunt, sed quando, non constat.*plaribus Concilii Nicæni mitti debuerint. De hac re mox ab initio hujus Quæstionis egimus, & historiam rei gestæ compendiose retulimus. Post multas altercationes & continuos Romanorum Pontificum stimulos tandem Africani cesserunt. Quo tempore id factum sit, certo non constat. Causam fortassis præbuit Novella Constitutio Valentiniani, qui suggerente Leone I. anno 445. Romano Pontifici supremam autho-

authoritatem tribuit in judiciis Episcoporum, sive ii Itali, sive ex aliis provinciis Romano Imperio subjectis essent. Hæc res non potuit non Africanos ad observantiam Canonum Sardicensium quasi cogere. Accessit incursio Vandalorum, qui cum Ariani essent, & in Africa dominatum exercerent, Africanis necessitatem fecerunt arctiori vinculo sese cum Ecclesia Romana conjungendi (f). Quid ulterius actum sit, & an & quomodo Canones Sardicenses in Gallia aliisque Ecclesiis obtinuerint, nimis longum foret dicere.

§. VI.

Duplex collectio Ecclesiæ Africanæ.

Ad Collectiones Ecclesiæ Occidentalis jure optimo referimus Codicem Ecclesiæ Africanæ. Profecto si quæ alia, Ecclesia Africana fuit Mater fœcundissima diversarum Synodorum Celeberrimarum, quas inter eminent septem Synodi Carthaginenses, ut adeo mirum videri non debeat, si illarum canones in Codicem specialem fuerint relati. Duplicem Ecclesiæ Africanæ Codicem distinquit Petrus de Marca (g), veterem unum, alterum Dionysii Exigui: utrumque in Ecclesia Occidentali fuisse receptum, si, quæ Author ille refert, vera sunt, nemo dubitaverit. Historiam veteris Collectionis hoc modo refert: Celebrarunt Africani Synodum universalem totius Africæ, quæ sexta dicitur, sub Aurelio Carthaginis Episcopo præsente Faustino Legato Romanæ Sedis. In hac Synodo lecti fuere diversi canones in diversis Synodis Africanis conditi, quos & Aurelius & ipse Legatus Pontificis approbarunt. Horum Conciliorum gesta, & canones cum Faustinus Romam detulisset, Apostolicæ Sedis consensu adeo probata sunt, ut partem dein fecerint Collectionis Occidentalis veteris, quæ incipit a tertio Carthaginensi Concilio, & cœtera ex ordine complectitur, quæ habita sunt sub Aurelio usque ad Carthaginense septimum, prætermissis canonibus primæ & secundæ Synodi Carthaginensis. Voluere nempe Pontifices illos tantum canones suos facere, authoritate donare, & suo Codici inserere, quos vel ipsi per suos Legatos in Synodis præsentes approbarunt; vel de quibus ad ipsos relatio facta fuit; non vero reliquos, qui singulariter Ecclesiæ Africanæ ordinandæ destinati erant. Ex eo ergo quod canones Africani Codici Ecclesiæ Occidentalis authoritate Pontificia fuerint inserti, vim legis publicæ in universo Occidente obti-

Canones Africani ab Ecclesia Romana approbati, sed non omnes.

(f) Hæc fusius refert Petrus de Marca de Concord. Sacerd. lib. VII. cap. XVI.
(g) De vet. Collect. Can.

Præcipue Canones Synodi Carthag. IV.

Sectarii hos Canones rejiciunt & quare?

obtinuerunt. Inter canones istos eminent illi, qui ex Carthaginensi IV. sunt mutuati, in quibus forma celebrandarum Ordinationum in singulis gradibus præscribitur, & ad quos in controversiis fidei, maxime dum de Sacramento Ordinis agimus, haud raro appellamus. Atque hæc fortassis est ratio, cur Sectarii hos canones veluti rejectos a Romana Ecclesia haud aliter quam epistolas Pontificias, quas Pseudo-Isidorus suæ collectioni inseruit, rejicere soleant, ex frivola ratione, quod in Codice Dionysii Exigui non reperiantur. Sed quis nescit Collectionem Dionysii esse valde mancam, & defectuosam, & ab illo non nisi canones ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes fuisse adoptatos? Hæc Collectio procul dubio authorem habet illum ipsum, qui ex mandato Leonis I. Pontificis Collectionem Occidentalem composuit, eique canones Ecclesiæ Africanæ inseruit. Utrum hæc omnia, prout illa ex Petro de Marca retulimus, revera se ita habeant, absolute asserere formidamus propter ea, quæ in præcedentibus de Collectione Occidentali ex Petro Coustantio attulimus.

Altera Collectio Ecclesiæ Africanæ.

Altera Collectio Ecclesiæ Africanæ est illa, quam Dionysius Exiguus suo Codici inseruit, qui alium longe ordinem in describendis canonibus secutus est ab eo, qui jam receptus erat. Hanc Collectionem esse mancam, & defectuosam mox antea monuimus, non ideo tantum: quod non nisi canones ad disciplinam pertinentes selegerit; verum etiam quod canones non integros, prout in diversis Synodis fuerunt vel emendati vel declarati, inseruerit. Multum tamen debemus Dionysio, utpote qui suo Codici non tantum canones intexuit, sed etiam gesta Synodorum Africanarum, quod in anteriori Collectione fuerat intermissum; atque ulterius varios Conventus, in quibus de variis Provinciarum negotiis disceptatum fuit, recensuit.

Equidem Codicem istum esse Dionysii Exigui quidam in dubium vocare volunt, sed sine sufficienti ratione: quia hæc Collectio in illa forma, secundum quam est coordinata, ante Dionysium incognita fuit ipsis etiam Africanis, ne dicam cæteris latinis. Sane Ferrandus Dionysio vetustior, qui prima quatuor Concilia Carthaginensia laudat, illius non meminit.

Examinatur Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ a Justello editus sub nomine Canonum

Codicem canonum Ecclesiæ Africanæ sæculo elapso anno 1614. e vetusto quodam Manuscripto græce ac latine publicavit, notisque illustravit Christophorus Justellus Vir Juris ecclesiastici consultissimus, eumque titulo *Codex Canonum Ecclesiæ Africæ* insignivit, quem in quatuor partes dissectum nullo servato numero, aut etiam perturbato ordine Conciliorum Collectioni inseruit Severinus Binius, & postea, meliori

liori tamen ordine, Labbeus. Titulus quidem a Justello præfixus speciosus est, *Codex tamen*, uti loquitur Petrus Coustant (h) *nihil minus præstat, quam quod pollicetur:* nam, si opus ex titulo metiri velimus, in hoc Codice omnes prorsus canones, quos in usu habuere Patres Africani, contineri deberent; cum tamen nullos exhibeat, nisi quos Carthaginensis Synodus anno 419. celebrata, & in Secretario Basilicæ Fausti congregata vel ipsa condidit, vel a superioribus Conciliis intra Aurelii Carthaginensis Episcopi tempora conditos recitari jussit: atque hos canones ne quidem ad eum modum repræsentat, quo memoratæ Synodi actis inserti erant; sed quo Dionysius Collectioni suæ inserendos duxit. *Verbo dicam* (sunt verba citati Authoris) *purum putum est Dionysianæ Collectionis segmentum*, si ea demantur, quæ Justellus majoris explicationis gratia adjecit, id quod Coustant quamplurimis gravissimis argumentis demonstrare contendit, ubi etiam Labbeum reprehendit, quod hunc ipsum Codicem Collectioni Conciliorum sub nomine *Codicis integri Canonum Africanæ Ecclesiæ* inseruerit, pro canonum Africanorum Codice Collectionem Dionysianam venditare non dubitaverit, & *integrum Codicem* appellaverit illum, qui ne quidem unius Synodi, Carthagine nimirum anno 419. habitæ, gesta omnia continet. Idem ingenti argumentorum pondere ostendit Van-Espen, unaque defectus in hoc Codice contentos egregie facit manifestos (i). Nobis non vacat hisce diutius immorari.

Ecclesiæ Africæ. Hic Codex est defectuosus.

Pauca de authoritate hujus Codicis differamus. Si vera sint, quæ supra ex Petro de Marca de Collectione antiqua recensuimus, dubium non est, quin illa Collectio vetus in universa Ecclesia obtinuerit, summamque authoritatem habuerit. Altera etiam Collectio Dionysiana, cum illam Author ex actis Conciliorum, quæ in sæpius dicta Synodo Carthaginensi vel primum edita, vel relecta, probataque sunt, concinnaverit, haud immerito a Concilio Carthaginensi probata dici potest, & hoc ipso eandem authoritatem habet, quam illa vetus ex approbatione obtinuit. Quidquid tamen de hoc sit, quia Ecclesia Romana Codicem Dionysianum recepit, & in vim legis acceptavit, hoc ipso Codicem Africanum approbasse dicenda est. Unde haud immerito Correctores Romani ad Cap. 1. Dist. 20. notant, quod Ecclesia Romana canones Africanos probasse videatur, quando in *Codicem Canonum* referendos curavit. Et quod plus est, ipsa etiam Ecclesia Orientalis hunc Codicem suscepit, dum illum e latino in græcum versum sub nomine

De authoritate hujus Codicis.

 Syno-

(h) In præfat. part. 2. §. 6.

(i) Part. 2. cap. 3.

Synodi Carthaginensis in suum Codicem retulit, & in Synodo Quinisexta cum reliquis Codicis sui canonibus approbavit.

Non ex integro fuit receptus.

Optime tamen animadvertit Van Espen (k) id in sano sensu & non ita esse intelligendum, ac si Ecclesia Romana & Orientalis hunc Codicem ex integro, & secundum omnem suam latitudinem acceptaverit; sed in quantum canones in eo contenti disciplinæ utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis non contrariantur, ad eum modum, quo Decretales Gregorii IX. sunt recepti, quatenus Juribus particularibus & consuetudinibus Ecclesiarum particularium non sunt contrarii.

§. VII.

De Collectione Dionysii Exigui.

Transitum faciamus ad Collectiones canonum a Sæculo VI. usque ad Sæculum VIII. Inter has prima est Collectio Dionysii Exigui. Erat Dionysius natione Scytha, moribus Romanus, professione Monachus, statura pusillus, doctrina clarissimus, linguæ græcæ & latinæ peritissimus, sanctitate maximus, & vixit tempore Theodorici Regis Italiæ & Successorum ejus (l). Hic ergo, præterquam quod varia opuscula græca in latinum transtulerit, Cyclum Paschalem emendaverit, & Æram Christi vulgarem primus scripserit, novum Codicem canonum evulgavit. Quæ ad Cyclum Paschalem, & Æram Christi vulgarem pertinent, nos non attingunt: Id monuisse sufficiat, quod ille primus fuerit, qui annos a Christo numerare incepit, & Æram Christi invenit: quamquam in hac sua Æra lapsum fuisse omnes Chronologiæ peritiores fateantur, quod annos non nihil serius numerare inceperit (m). Verum hic annorum a Christo computandorum modus non statim sive in civili, sive in ecclesiastico usu obtinuit: In civili illum receptum tempore Caroli Martelli existimat Scaliger: in ecclesiastico longe tardius invaluit, & quidem sub Eugenio IV. summo Pontifice circa annum 1431. prout testatur Douiat ex Blondo Forolivienfi (n). Sed quid hæc ad nos? nobis unice de Codice a Dionysio adornato agendum.

De illius operibus.

Invenit Æram Christi, quæ non statim fuit recepta.

Quæ causa, ob quam Dionysius Codicem adornavit?

Itaque Dionysius fama doctrinæ & sanctitatis celeberrimus primitus a Laurentio Ecclesiæ Romanæ Diacono rogatus fuerat, ut manum suam adornandæ novæ Collectioni admoveret, eum in finem, ut, quia plures

(k) Loc. cit. §. 3.

(l) Dionysium miris laudibus exornant Cassiodorus ipsi coævus, Venerabilis Beda, Trithemius, Bellarminus &c.

(m) Ita testantur Trithemius, Bellarminus, Scaliger, Petavius, aliique.

(n) Lib. 3. Cap. 15. §. 8.

plures Codices canonum minus accurati & defectuosi tunc temporis circumferebantur, Ecclesia Romana Codicem accuratiorem haberet, cui tuto fidere posset. Admovit manum Dionysius huic operi circa annum Christi 496., sed non prius, nisi postquam ad preces Laurentii accessit petitio Stephani Episcopi Salonitani, cujus voluntati tandem parendum existimavit. Idcirco primam suae Collectionis partem exorsus est, & antiquiores canones, quos mox infra recensebimus, in unum volumen concinnavit.

Accesserat jam dudum huic operi extrema manus, cum ecce! Dionysio, ut Apostolicae Sedis Praesulum constituta, Decreta, Epistolas, seu Decretales Epistolas colligeret, Author fuit Julianus tituli S. Anastasiae Presbyter. Nec mora, familiaris sui precibus & officiis cessit Dionysius, & Decretales Pontificum literas, qua licuit diligentia, conquisitas (o) in ordinem digessit, atque alteram Collectionis suae partem Anno 500. conscribere inchoavit, & felici eventu totum opus absolvit.

Constat hic Codex duabus partibus.

Ex his ergo manifestum est, Codicem Dionysianum duabus constare partibus inter se, sive tempus confectionis, sive compilationis, sive materiem spectemus, prorsus & plurimum disparatis: prior enim tempore praecessit, & in se continet canones Conciliorum partim graecos, partim latinos; & ideo inscribitur *Codex Canonum Ecclesiasticorum*; posterior vero solas Epistolas Decretales sive Decreta Romanorum Pontificum, & ob id vocatur *Collectio Decretorum Pontificum Romanorum*. Cum in utraque parte singulares occurrant difficultates enodandae, quamlibet nostro examini subjicere placuit.

De prima parte seu Collectione Canonum.

Auspicemur a prima parte, seu a *Collectione Canonum*. Nemo sanus dubitaverit, quin Dionysius suum Codicem ex anterioribus Collectionibus, praesertim illis, quas vocamus Orientalis, & Occidentalis Ecclesiae, collegerit; plures tamen canones tam Apostolicos (p), quam Synodales (q) in his non contentos adjunxerit. Ordo autem Canonum sequens est: Orditur Dionysius a Canonibus Apostolicis, & horum 50. ponit: Sequuntur Canones ex Codice Universali deprompti: Et quidem Concilii Nicaeni, Ancyrani, Neo-Caesariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani I.: qui omnes faciunt numerum Canonum 165. Postea

(o) Nam ut ipse ait: *Praeteritorum Praesulum constituta, qua valui, cura & diligentia conquisivi.*

(p) E. g. Canones Apostolicos numero 50.

(q) Sardicenses 21, Synodorum Africanarum 138.

Poſtea de novo incipit, & affert 27. canones ex Concilio Chalcedonenſi. Exin ponit iterum novum numerum, & recenſet 29. Canones Concilii Sardicenſis. Denique ſubjungit ſub novo numero 138. Canones ex Conciliis Africanis (r). Hæc omnia videri poſſunt in Epiſtola, quam ipſe Dionyſius ad Stephanum Salonitanum dedit, & in locum Præfationis huic Operi præfixam legimus.

Plures Dionyſius ſuo Codici inſeruit Canones antea nulli Codici inſertos & quare?

Si jam quæratur, cur ergo Dionyſius huic Codici inſeruerit Canones Apoſtolicos, Conſtantinopolitanos, Sardicenſes, eſto Canones Apoſtolici & Sardicenſes in nullum Codicem fuerint inſerti; imo Apoſtolici a Gelaſio Papa rejecti; Conſtantinopolitani a Romanis Pontificibus, ſaltem aliqui eorum, non approbati; Sardicenſes autem ab Orientalibus eo tempore nondum agniti? Horum omnium rationem dabimus haud incongruam. Novimus quod Dionyſius ſuum Codicem latine & græce adornaverit, & utrique Eccleſiæ Occidentali, & Orientali conſulere voluerit, ut quælibet ſciret, quid apud utramque obtineret; præcipuam tamen curam impenderit Græco canonum Codici tum ordinando ſtrictius, tum caſtigatius elegantiusque vertendo, retenta etiam, quæ apud Græcos obtinebat, Capitulorum diviſione, atque id laboris non Romani Præſulis juſſu, ſed Epiſcopi Salonitani rogatu aggreſſus fuerit. Ut quid ergo mirum, quod canones Apoſtolicos, & Conſtantinopolitanos, qui magno in pretio habebantur apud Orientales, inſeruerit? etſi priores Hormiſda Pontifex ſecundum Gelaſium Papam inter apocrypha rejecerit (s), Conſtantinopolitanos vero Occidentales tempore Gregorii M. nondum receperint. Ut ergo Occidentales ſcirent, quinam canones in Eccleſia Orientali obtinerent, præfatos canones adjunxit. Eadem ratio perſuaſit, ut canones Sardicenſes inſereret, ne quid Occidentalibus adimere videretur, in quorum poſſeſſione jam erant, aut Græcos latere poſſet, quod in Romana Eccleſia jamjam legitime introductum fuerat.

Altera pars continet Decreta Pontificum, quæ ante Dionyſium nulli Collectioni fuerunt inſerta.

Altera Pars Codicis Dionyſiani continet Decreta Romanorum Pontificum, quæ nihil aliud ſunt, quam Decreta vel Reſponſa Pontificum ad cauſas dubias & controverſias propoſitas data, quæ paſſim dicuntur Epiſtolæ Decretales: eo quod ad conſultationem aliorum inſtar reſponſi fuerint perſcriptæ. Plerique Doctores exiſtimant, quod Dionyſius fuerit primus, qui Epiſtolas Pontificum conquiſivit, & in codicem

(r) Et hi antea Codici Univerſalis Eccleſiæ non erant inſerti.

(s) Canones Sardicenſes jam pridem obtinuerunt in Eccleſia Occidentali, uti ex dictis conſtat.

codicem retulit. Idcirco Sectarii mirum in modum carpunt, & traducunt Dionysium, quod simile opus molitus fuerit contra antiquam praxin & consuetudinem Ecclesiæ: cum ex dictis solis canonibus Conciliorum hic honor obtigerit, ut in codicem redigerentur, & exinde vim legis & authoritatis legalis obtinuerint; atque hoc modo Decreta Pontificum in vim legis ad instar canonum elevaverit. Aliam sequelam ex hoc ipso ducunt Doctores tam Catholici, quam Acatholici, hanc nempe: quod Epistolæ illæ antiquorum Pontificum a Clemente & Siricio hoc ipso sint suppositititiæ, adulterinæ, & spuriæ, quod Dionysius illas suæ Collectioni non inseruerit, quemadmodum inseruit juniorum Pontificum a Siricio usque ad Hormisdam.

Propterea a Sectariis reprehenditur.

Ut jam de Epistolis Decretalibus distinctius & accuratius agamus, nemo nisi emotæ mentis homo negaverit, quod a primordiis Ecclesiæ innumeræ emanaverint Pontificum Epistolæ Decretales: cum enim omnes & singuli, illi etiam, qui cum Pontificibus non nihil durius agebant, in Ecclesia Romana *Centrum Unitatis* ac Primatum agnoverint, dubium non est, quod quamplurimæ ad ipsorum judicium pervenerint querelæ, relationes, dubia, super quibus erat respondendum: anne ergo has Epistolas responsorias aut deperditas, aut neglectim habitas existimabimus? itaque tales epistolæ asservabantur Romæ in *Archiviis*, *Chartariis*, seu *Scriniis* Sedis Apostolicæ, prout passim apud Scriptores ecclesiasticos vocantur (t) quæ erant magnæ authoritatis: Ad ista liber erat aditus: ad hæc non modo ipsi Pontifices, sed alii etiam passim provocabant in controversiis, ut dictis & assertis, ipsisque juribus suis prætensis majorem conciliarent fidem (u).

Innumeræ Pontificum epistolæ Decretales, & quare?

Asservabantur in Archiviis Romanis.

Solebant autem Pontifices sua Decreta vel literas decretales etiam cæteris Episcopis per orbem catholicum diffusis communicare. Modus autem promulgandi erat duplex: aut enim mittebant ad Concilia, ut præsentibus Episcopis communicarentur; aut ad privatos Episcopos ea lege, ut eas cæteris Episcopis Provinciæ, aut Diœceseos notas facerent (x). Jam ut ad id veniamus, cujus gratia hæc dicta sunt:

Modus eas promulgandi.

(t) Sic Damasus in epist. 4. ait: *præter Episcopos subscripserunt alii Orientales Episcopi, quorum subscriptio in Archivio Romanæ Ecclesiæ asservatur.*

(u) S. Hieronymus adversus Rufinum lib. 3. ad Chartarium provocat his verbis: *si a me fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanæ Ecclesiæ Chartario non requiris?*

(x) Petrus Coustant. in Præfat. part. 1. sic Siricius scribit ad Himerium Tarraco-

Utrum Dionysius primus eas Codici inferuerit. sunt: quia igitur Dionysius communius habetur primus, qui decretales Epistolas in Codicem retulit, haud abs re inquiritur, utrum nemo alius præcesserit, qui tale opus fuerat molitus, ac epistolis Pontificiis eundem tribuerit honorem, atque canonibus, quos passim in codicem ecclesiarum publicum esse relatos non ignoramus.

Jam in præcedentibus, ubi de Collectione Ecclesiæ Occidentalis egimus, locum valde celebrem protulimus ex epistola Siricii Pontificis ad Himerium Tarraconensem perscripta, ex qua colligere licet, revera Decreta Sedis Pontificiæ Codici Ecclesiæ Occidentalis fuisse adjecta: scribit enim: *Statuta Sedis Apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum ignorare sit licitum.* Quomodo autem Pontifex id præcipere posset, nisi penes Sacerdotes esset Codex, unde ecclesiasticarum legum notitiam haurire possent? sive dein hic Codex authoritate publica sive privata fuerit compilatus. Quapropter Petrus Coustant *Videntur hæ epistolæ jam antea Codicibus insertæ.* ingentis eruditionis Vir existimat, quod Codex ille Ecclesiæ Occidentalis, quo Romani jam Sæc. IV. usi fuerunt, præter Synodos Nicœnas, & Sardicenses comprehenderit ipsa Pontificum Decreta, ac literas decretales. Idem Vir eruditus putat, quod si jam codices Occidentalis Ecclesiæ, qui ad nos pervenerunt, sive dein sinceri ac genuini, sive adulterini aut saltem corrupti sint, lustremus, haud difficulter deprehendamus, canonibus Conciliorum in Codicem relatis hinc inde immixtas esse Pontificum epistolas, cum hoc discrimine, quod in aliis minus; in aliis plus a Synodicis canonibus distinquantur. *In prima nimirum* (loquimur verbis Coustantii) *& secunda miscentur temere, in tertia non ita confuse, in postrema demum suo quoque ordine suoque loco hinc Synodici Canones, hinc Pontificum statuta collocantur.* Itaque primus fuit Dionysius, qui Pontificum decreta a Canonibus Conciliorum separavit, in meliorem ordinem redegit, methodo accuratiori, naturæ magis accommodata, & legentibus utiliori suo Codici inseruit.

Dionysius a Sectariis reprehenditur. Atque hoc ipsum est, quod Sectarii Dionysio vitio vertunt, quod ille hac sua methodo primum quasi fundamentum ad Monarchiam Pontificiam posuerit, ac Pontificum decreta ad sublimia legum authenticarum subsellia promoverit, quibus non minus jam assurgendum, quam Synodorum canonibus communi ecclesiarum consensu in publi- *Sed pessime.* cis comitiis statutis. Verum enim vero eccur id Dionysio vitio vertatur?

raconensem: *Hæc, quæ ad tua rescripsimus consulta, in omnium Coepiscoporum nostrorum perferri facies notitiam.*

(y) In Præfat. sæpius citata.

tur? composuit ille suum Codicem authoritate privata, non publica, hortante Stephano Salonitano, non jubente Pontifice, in gratiam boni literarii, ut melioris ac emendatioris notæ haberentur codices tam latini quam græci; non ut suus Codex in vim legis ab universa Ecclesia assumeretur. Et quare ipsa Pontificum Decreta non mereantur in vim legis publicæ assumi, & æquali honore haberi cum canonibus Synodorum particularium, in quantum saltem cæterarum ecclesiarum juribus non præjudicant? nunquid, uti supra diximus, omnes ecclesiæ Romanam Ecclesiam velut Matrem omnium cæterarum Ecclesiarum; Episcopi Pontificem velut Primatem, & centrum unitatis suspexerunt? ad quid tot relationes, provocationes, consultationes ad Pontifices Romanos factæ? cur tot controversiæ illorum judicio subjectæ? cur confirmatio Synodorum ab ipsis exacta? nunquid Pontificum responsa, & decreta perpetuæ oblivioni sunt tradenda? hactenus nemo, vel certe admodum pauci Imperatoribus exprobraverunt, quod responsa Prudentum & Jurisconsultorum, vel sua propria rescripta in suo legum Codice authoritate legali donaverint: quare id unice in Pontificibus reprobetur? utique liberum erat aliis ecclesiis hunc codicem vel acceptare, vel reverenter deprecari. Cur autem antiquioribus Collectoribus potius canones Synodales, quam epistolas Pontificum in suos Codices referre placuerit, ratio dari potest non una, sed plures: Nondum enim authoritas Pontificis ea fulgebat Majestate, qua fulget hodie: nondum illius Jurisdictio in illam excreverat amplitudinem, in quam successu temporis ascenderat: Synodi erant frequentiores, Ecclesiæ regebantur suis consuetudinibus & canonibus particularibus, causæ controversæ rarius deferebantur ad tribunal Pontificum: ut quid ergo mirum, quod major honor canonibus, quam decretis Pontificum fuerit exhibitus? eo quod canones Conciliorum potissimum fuerint regulæ & Episcoporum, secundum quas regi debuere Ecclesiæ; Clericorum cæterorum, secundum quas ipsis vivendum erat; fidelium, quibus suos mores conformare debebant.

Vindicatur authoritas Decretorum Pontificiorum.

Quare antiquitus Canones Synodales potius quam Decreta Pontificum Collectionibus inserti.

Illud adhuc restat examinandum, an ex eo, quod Dionysius non nisi certas Pontificum epistolas, nempe a Siricio usque ad Hormisdam, suo inseruerit codici, bonum ducatur argumentum cum conclusione: ergo nullæ aliæ Pontificum Epistolæ extiterunt: ergo cæteræ omnes sunt spuriæ, sunt fictæ, adulterinæ, suppostitiæ. Hoc argumenti genere utuntur plures, qui epistolas antiquiorum Pontificum a Clemente usque ad Siricium a Pseudo-Isidoro procusas falsitatis arguunt. Ast argumentum istud esse infirmi roboris illi ipsi, qui hoc

Non omnes epistolas Pontificum Dionysius suæ inseruit Collectioni.

hoc modo argumentantur, fateri debent, qui utique quasdam alias Pontificum antiquorum epistolas suspiciunt, & reverentur, illas nempe, quæ a quibusdam Patribus in suis operibus genuinis citantur, laudantur. Interim, ne quid dissimulemus, res animadversione, & admiratione digna est, Virum, uti erat Dionysius, monimentorum veterum sagacem, & curiosum indagatorem, commorantem Romæ, tanta nominis celebritate notum tam paucas Pontificum decretales epistolas recepisse: fortassis in has ipsas casu incidit, aut has præcipue publica editione dignas censuit: aut num forsan suspicari licet, quod non omnia scrinia, & Chartaria ipsi fuerint aperta, & Romana quædam *Arcani* disciplina aditum in Archivia secreta prohibuerit, & secretiora subtraxerit? hæc non ideo dicta volumus, ut Romanorum fidem suspectam faciamus: nam esto Romani aditum ad intima quæque scrinia præcluserint: demus, quod non omnia secreta communicaverint: num propterea sublestæ fidei accusari merentur? anne hodie omnibus & singulis Archivia intima lustrare, & rimari licet? Quis sua secreta omnia in lucem publicam protrahi, atque in omnem terrarum orbem propalari, & diffundi patietur? Inde ergo potius discamus, argumentis hujusmodi ex silentio vel prætermissione ductis, ubi agitur, sincerane sint an spuria quædam monimenta, caute, circumspecte, ac sobrie esse utendum: præsertim si alia desint, quæ faciant fidem.

Et quare?

Quas epistolas inseruerit, & quo ordine?

Iterum revertamur ad ipsum Codicem, a quo non nihil digressi sumus, videamusque, quas Epistolas Dionysius eidem inseruerit, & quo ordine singula dispofuerit. Auspicatur Dionysius Collectionem a præfatione seu epistola ad Julianum Presbyterum, in qua fatetur, quod Sedis Apostolicæ Præsulum constituta ea, qua valuit, diligentia conquisiverit, in ordinem redegerit, & suis titulis distinxerit, ita duntaxat, *ut* (verba Dionysii admetimur) *singulorum Pontificum, quotquot a me præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem, omnesque titulos huic præfationi subnecterem &c.* Itaque Dionysius singulorum Pontificum statuta distinxit titulis, titulos suo quosque numero insignivit, atque, ut novus quis succedebat Pontifex, novam repetiit numerorum seriem, ac demum titulos simul collectos præfationi suæ subnexuit. Post præfationem sequuntur decreta seu tituli decretorum Siricii 1., Innocentii 57., Zosimi 3., Bonifacii 4., Cœlestini 22., Leonis 48., Gelasii 28., Anastasii II. 8. Post hæc ordine incedunt literæ Pontificiæ, quas recensere nimis longum foret, & legere licet in

in Præfatione amplissima, quam suo Operi præfixit Petrus Coustant (z) Incipit autem Dionysius a decretis Siricii Papæ, qui sub finem Sæc. IV ad clavum Ecclesiæ sedit: & prosequitur usque ad Hormisdam. Quare autem Dionysius antiquiorum Pontificum epistolas prætermiserit, non facile quis divinaverit. Quod si tamen conjecturis uti liceat, fortassis epistolæ antiquiores in intimioribus latuerunt scriniis, aut imitari voluit Collectores illos, qui canones Conciliorum in Codicem retulerunt, atque non alios, si paucos excipiamus, adoptarunt, quam illos, qui in Synodis IV. fuerunt conditi.

In Ecclesia Romana Codex Dionysianus summam authoritatem obtinuit, & quare?

Videamus de Authoritate Codicis Dionysiani. Ambabus, ut ajunt, manibus Ecclesia Romana hunc Codicem fuit amplexata, utpote quem accuratior græcorum canonum versio, totius materiæ ordinata dispositio, fidelitas in referendo mirum in modum commendabat. Neque dubitandum, illud etiam plurimum roboris addidisse, ut Codex iste tanto cum applausu a Romana Ecclesia reciperetur, quod Collector eidem epistolas Decretales Romanorum Pontificum inseruerit, id quod nemo antea Collectorum fecerat, & hoc modo ad Jurisdictionem Pontificiam promovendam, ac diffundendam aptissimus foret, ac opportunissimus.

Jam sub initium Sæculi VI. non longe post obitum Dionysii Joannes II. in epistola ad Cæsarium Arelatensem hunc Codicem adhibuisse legitur, utpote in qua tum Decreta Siricii Papæ, tum Canones Apostolorum, & Antiochenos ex ejus versione transcripsit, & ad calcem epistolæ quosdam canones ad examinandam ac decidendam causam Contumeliosi Regiensis Episcopi pertinentes subjecit. Majori argumento est, quod tunc temporis, prout ex illa ipsa epistola haud obscure colligitur, codex hic instar regulæ, normæ, ac universalis Conciliorum interpretis, secundum quam in decidendis causis Episcoporum procedendum foret, fuerit adoptatus. Ex hoc autem continuo usu in eam authoritatem ascendit, ut a Nicolao I. & Leone IV. ac omnibus sequentibus canonum Collectoribus *Codex Canonum* dictus fuerit (a). Monet tamen sapientissime Van Espen (b), hanc receptionem & approbationem non cum eo rigore contigisse, ut Ecclesia universos canones ac disciplinam ibidem contentam sibi propriam & suam fecerit: quandoquidem certum est, plures in illo contineri canones, quos vel nunquam vel multo post Ecclesia Romana suscepit, utpote qui

Non tamen omnes Canones in eo contenti fuerunt recepti.

Ee 3

(z) Pag. XCI.
(a) Cap. 1. Dist. 19. (b) P. 1. dissert. 5. §. 4.

qui disciplinæ Romanæ directe erant contrarii: idcirco existimat citatus Author, eadem fata obtigisse huic Codici, quæ Decretalibus Gregorii IX, aliisque collectionibus novioribus Juris Pontificii, quæ in tantum obtinuerunt vim authenticam & legalem, in quantum non adversantur Juribus, privilegiis, observantiis, & consuetudinibus ecclesiarum particularium. Hunc Codicem etiam ab ecclesia Africana fuisse aut receptum, aut saltem magno in pretio habitum, probat Breviarium Cresconii, qui sub id tempus Canonum summariam Collectionem composuit, & in ea Indicem Conciliorum, & epistolarum Decretalium eo ordine & numero præmisit, quo in Codice Dionysii leguntur. Majus est dubium, an hic ipse Codex in Gallia & Germania authoritatem obtinuerit? Id esse incertum, inde probatum manet, quod ipsi Scriptores Galliæ mirum in modum inter se dissentiant; & illi ipsi, qui pro illius receptione pugnant, id veluti certum asserere non audeant.

Utrum in Gallia fuerit receptus?

Receptionem Codicis Dionysiani in Gallia inde probat Petrus de Marca: tum quod ille Codex plurimum authoritatis, imo vim legis pragmaticæ habuerit apud Sedem Romanam: tum quod se ipsum suo nitore, concinno ordine, ordinatissima methodo præ squallore veteris interpretationis mirum in modum commendaverit: etsi cæteroquin Gallos canonem Ecclesiæ ex integro deseruisse, vix probabile esse videatur (c). Verum vehementer contradicunt Jacobus Sirmondus, Fleuryus, Paschasius Quesnellius, Christophorus Justellus, existimantes, Codicem istum primum in Gallia usum obtinuisse, postquam ab Hadriano Pontifice illuc transmissus fuerat. Utrum vero istud argumentum convincenter probet, altiori judicio dijudicandum relinquimus: Utique potuit Hadrianum latere usus Ecclesiæ Gallicanæ; aut fortassis exemplar quoddam miræ raritatis Carolo instar doni pretiosi obtulit.

Utrum in Germania?

An, & quandonam in Germania obtinuerit illius usus, dependet ex decisione prioris quæstionis: cum enim eo ævo Ecclesiæ Gallicana & Germanica in plerisque disciplinæ ecclesiasticæ & Jurium capitibus conspiraverint, dubium vix est, quin Germania ad imitationem Gallicanæ Ecclesiæ illum Codicem adoptaverit.

Undenam suam authoritatem obtinuerit?

Unum adhuc est, quod hic animadverti volumus, nempe Codicem Dionysianum neque a suo Authore, neque ab illis, quorum admonitionibus acquievit, quidquam Authoritatis publicæ habuisse: nam & Author, & illi, qui Dionysio in concinnando Codice Authores fuere, erant homines privati nulla authoritate publica pollentes. Quidquid ergo habuit authoritatis

(c) De Concor. Sacerd. lib. 3. cap. 4. N. 2.

tatis, ex approbatione Pontificis, ufu, praxi, & receptione acquifivit. Ex hac jam Collectione prodierunt aliæ, de quibus mox agemus.

§. VIII.

Exponitur Codex Fulgentii Ferrandi.

Sequitur Codex Fulgentii Ferrandi, qui *Breviatio Canonum* infcribitur. Fuit Fulgentius Ecclefiæ Carthaginenfis in Africa Diaconus, ferme coævus Dionyfio & fuppar B. Fulgentio Rufpenfi in Africa Epifcopo (d), & eorum, qui Conciliorum canones latine & in ordinem redegerunt, vel antiquiffimus, vel certe inter antiquiffimos. Inter Ferrandi opera eminet *Breviatio Canonum* ad Liberium, vel Liberinum Epifcopum, quam juffu Bonifacii Carthaginenfis Epifcopi compilavit & circa annum 547. abfolvit, licet tempus non adeo accurate determinari poffit. Conftat hic Codex 252. capitibus ex antiqua collectione maximam in partem depromptis, nifi quod canones Concilii Chalcedonenfis prætermiferit. Econtra quædam addidit ex quibusdam codicibus Africanis, quorum alibi nulla fit mentio, nimirum ex Zelenfi, Suffetulenfi, Septumenucenfi, Macrianenfi, Mazarenfi, Theniatano, & Tusdritano. Ordo hujus Codicis non eft difpofitus fecundum ordinem annorum & temporis, fed materiarum, ita ut primo loco locaverit canones, qui ad Epifcopos, 2do qui ad Presbyteros, 3tio qui ad Diaconos pertinent; deinde vero fubjecerit illos, qui feu ad Clericos, feu ad Laicos pertinere videbantur. In eo etiam laudanda eft opera Ferrandi, quod, ubi diverfos canones in eadem materia invenit, illud fideliffime indigitaverit. Habet hic Codex multos defectus, & in quibusdam convenit cum Collectione Crefconiana, de qua in fequentibus.

§. IX.

Collectio Martini Bracarenfis, & quis Martinus fuerit.

Subfequitur Collectio Martini Bracarenfis. Erat Martinus natione Pannonus, profeffione Monachus Ord. S. Bened. Monafterii Dumienfis conditor, & primus Abbas, poftea ejusdem loci Epifcopus, ac demum Ecclefiæ Bracarenfis in Hifpania Archiepifcopus, Vir linguæ græcæ peritiffimus, quippe qui Orientem magna ex parte peragravit, inde & in Hifpaniam venit, ubi Suevos, qui Gallæciam invaferant ad fidem convertit, eisque regulas recte vivendi tradidit. Hic cum verfionem antiquam Canonum Orientalium parum accuratam cerneret, novam Collectionem majori cum induftria adornavit, eamque ad Epifcopos Concilii Lucenfis transmifit. Bipartitum eft opus ejus: Prima pars

(d) Cujus fuiffe difcipulus fertur.

Quid contineat? pars continet canones, qui de personis, rebus, & ritibus ecclesiasticis agunt: altera res ad Laicos pertinentes complectitur. Pleraque quidem ex Græco translulit; aliqua tamen immiscuit ex Conciliis Occidentalibus, Africanis, item Hispanicis veluti Toletano I., & Bracarensibus, ubi erat Episcopus. Constat universa hæc collectio capitibus 84. vel 85. eo ordine digestis, ut priores 68. ad Episcopos & Clericos; reliqui ad Laicos pertineant. Id animadvertunt DD. quod aliquoties duo vel tria capita diversorum Conciliorum in unum caput redegerit. *Ejus Editiones.* Hujus Collectionis duæ sunt editiones, una vulgaris, & vetus, quam Conciliorum Collectiones atque Bibliotheca Juris Canonici veteris exhibent; altera recens, quam ex antiquis Manuscriptis edidit Garsias a Loaisa in Collectione Conciliorum Hispaniæ. Alia scripsit Martinus, in specie librum de quatuor virtutibus, seu formulam honestæ vitæ. Sed hæc ad nos non pertinent.

§. X.

Collectio Cresconiana. Transitum faciamus ad aliam Collectionem, quam *Cresconianam* dicimus a suo Authore, qui fuit Cresconius Africæ Episcopus. Scripsit hanc Collectionem hortante, rogante, ac stimulante Liberino Præsule, cujus monitis & precibus acquiescendum ratus scripsit suam Collectionem. In Cresconiani Operis titulo variant libri veteres: a pluribus *Breviarium Canonicum;* a nonnullis vero inscribitur *Concordia Canonum infra scriptorum.* Quo anno suum opus molitus fuerit, & absolverit, inter eruditos non convenit. Baronius ex Codice Vaticano illud refert ad tempora Justiniani Imperatoris, & an. 527. quo tempore Dionysius & Ferrandus suum quoque opus absolverunt. Alii referunt ad annum 670, vel omnino 690. Opus Cresconio inscri- *Continet duas partes.* ptum duas partes continet, quarum prima vocatur *Breviarium Canonicum:* quia nonnisi canonum titulos complectitur, quos Cresconius secundum seriem materiarum, de quibus scripsit, applicat, unaque indicat, in quibus fontibus canones & decreta plenius reperiri queant. Altera pars inscribitur Concordia Canonum: quia decreta & canones, qui in unum eundemque titulum conveniunt, simul conjuncta, & eodem ordine posita exhibet. Utrumque opus constat capitibus trecentis. *An utriusque partis sit Author, dubitatur.* An vel primum, vel secundum opus sit Cresconii, inter eruditos dubitatur: Breviarium illud Cresconio abjudicat Mastricht (e) existimans, quemdam tertium hactenus incognitum ex Concordia Canonum velut

(e) In Histor. Jur. Canon. §. 184.

velut compendium extraxisse. Ipse etiam Baronius (f) Cresconii compendium cum Ferrandi opere confundit: constat autem collectionem Ferrandi esse longe ampliorem, pleniorem, & accuratiorem, & quamplurimos canones habere, quos non habet Cresconiana e. g. canones Constantinop., aliosque plurimos ex variis Synodis Africanis desumptos: econtra complectitur Concordia Cresconii canones Apostolicos, Chalcedonenses, atque Decreta variorum Pontificum Siricii, Innocentii, Zosimi, Leonis, Gelasii, quos suo Codici inserere Fulgentius intermisit.

Verum alteram partem, quæ vocatur *Concordia Canonum*, in dubium vocat Petrus Coustant (g), num sit Cresconii, vel cujuscunque alterius Authoris, asseritque, se totis viribus indagasse, num quæ amplior præter Breviarium a Cresconio Collectio sit adornata; nihil tamen reperire potuisse. Itaque existimat ex conjecturis haud ineptis, quemdam tertium id sibi laboris dedisse, ut Breviarium Canonicum, tanquam compagem osseam, uti dicit, carne sua vestierit, hoc est, qui delineatam a Cresconio Concordiæ formam secutus, pro summariis canonum totos ipsos canones descripserit servato primo rerum ordine ac numero titulorum. Sed nec huic opinioni firmiter inhæret citatus Author. Existimat ergo verosimiliter, hanc Concordiam esse ipsam Collectionem Dionysianam, cum hoc solo discrimine, quod nempe in Concordia Cresconiana reperiantur quædam epistolæ Pontificum, quæ in Codice Dionysiano non leguntur, a quocunque alio tertio illæ sint adjectæ. Hujus rei testem, & vadem allegat præfatus Author ipsum Cresconium: Is quippe sua sponte fatetur, se nullum alium scopum finemque habuisse, quam *cuncta canonica instituta* (sunt verba Cresconii) *quæ ab ipsis exordiis militiæ Christianæ tam sancti Apostoli, quam apostolici Viri per successiones temporum protulere, in unum colligere:* quin aliquid canonum, vel Decretorum indicaverit, quod non e Dionysii Collectione hauserat: aut si quid aliud ad manus habuit doctus ille Præsul, mirum profecto est, quod ex illis suum non auxerit Breviarium. An autem hæc conjectura sufficienti innitatur fundamento, jure optimo dubitare licet. Præcipuum suum fundamentum laudatus Author collocat in ipsis Cresconii verbis, dum dicit: *quam apostolici Viri per successiones temporum protulere:* sed utique verba hæc non significant id, quod Coustantio significare videntur: aliud quippe est, *ea proferre, quæ Codicibus*

(f) Tom. 7. ad annum 527.

(g) Pag. 108. in Præfat.

bus inferuntur; & aliud, *ea adducere, quæ Viri apostolici protulerunt*: istud posterius dicit Cresconius; non prius: non enim ait, quod ea tantum proferat, quæ in codices sunt relata; sed quæ a Viris apostolicis sunt producta. Ad hæc facile contingere potuit, ut eo, quo suum collegit Breviarium, tempore illas epistolas decretales suæ Concordiæ insertas nondum ad manus habuerit. Aliud sat validum nostra saltem opinione, contra Coustantium pugnat argumentum, quod Collector hujus Concordiæ epistolas decretales Pontificum ipsis canonibus Conciliorum immiscuerit, aliter quam Dionysius, qui illas studiose separavit, & in secunda parte suo Codici superaddidit: id quod in hac Concordia Doctores tanquam aliquid singulare, quod nemo antea fecerat, animadvertunt: & id ipsum in Cresconio criminantur Sectarii, quod illa Decreta Pontificum in numerum canonum ponere, pari honore illa habere, atque æqualem authoritatem canonibus Conciliorum, & Decretis Pontificum tribuere temerario ausu præsumpserit (h). Si ergo quiscunque tertius illas epistolas decretales addidit, quare hæc Concordia semper sub nomine Cresconii orbi innotuit? ait quidem Coustantius, id mirum videri non debere: quia plurimis id genus scriptis usuvenit, ut, quo semel sunt insignita titulo, licet augescant in dies, illum quasi certo usucapionis jure sibi retineant: cujus exemplum præbet ipse Codex Dionysianus, qui, tametsi novis Præsulum Romanorum literis auctior est factus, tamen suum Dionysii nomen præseferre nunquam destitit. Verum quis non apertum discrimen inter Codicem Dionysianum, & Concordiam Cresconianam prima facie conspicit? nam certo scimus, quænam olim fuerit Collectio Dionysiana, & quæ eidem successive addita sint, id quod de Cresconiana dicere non valemus: itaque Cresconius e sua possessione deturbari non debet. *Editio hujus Collectionis.* Hanc Concordiam in lucem produxit Justellus, unaque asseveravit, se in hac editione adornanda cum Viris doctissimis communicasse, cum aliis Codicibus comparasse, & nihil diligentiæ intermisisse, ut indicaret loca illa, in quibus hæc Concordia a Codice Romanæ Ecclesiæ & Dionysiano differret (i). De variis aliis editionibus Breviarii, & Concordiæ videantur Scriptores (k).

§. XI.

De Collectionibus Isidorianis. Videamus de Collectionibus canonum, quas non exigui nominis Authores Isidoro Hispalensi, Viro fama sanctitatis & eruditionis celeberrimo

(h) Pertschius zweyte Abtheilung ec. pag. 127. (i) Idem pag. 128.

(k) Struvius Hist. Jur. Can. cap. 7. §. XI. Douiat lib. 3. cap. 18.

berrimo adſcribunt. Plures Iſidori quinto, & ſeptimo Eccleſiæ ſæculis per Hiſpaniam epiſcopales eccleſias rexiſſe leguntur, quos inter eminent Iſidorus *Senior* Cordubenſis Epiſcopus, Vir ſanctitate clarus, & literarum divinarum peritiſſimus, qui floruit temporibus Honorii & Theodoſii Imperatorum, & circa annum 412. ſua commentaria in quatuor libros Regum Oroſio Presbytero atque Hiſtorico dicaſſe legitur. Alter Iſidorus Hiſpalenſis dictus *Junior*, cujus plura exſtant opera, quæ recenſere ſupervacaneum ducimus. Abſit, ut in hujus Viri celeberrimi laudes & elogia excurramus (l). Sufficiat, quod Vir iſte ſanctiſſimus, & in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus, etſi a temporibus Apoſtolorum ſit remotior, adhuc ſanctis Patribus annumeretur, & una cum ſancto Gregorio Magno agmen Patrum claudere exiſtimetur (m). Itaque præter opera plura, quorum ipſe Author eſt indubitatus, tres ipſi adſcribuntur Collectiones canonum, quæ magnam prorſus inter ſe affinitatem habere videntur. Harum prima cum aliis Decretis continet canones Concilii Toletani XIII., & neceſſario fuit edita poſt annum 683, quo Concilium iſtud fuit celebratum. Altera complectitur canones poſteriorum Conciliorum, quorum ultimum eſt Toletanum XVII. celebratum anno 694. tertia refert Decreta juniorum Pontificum, ipſius etiam Zachariæ Pontificis, qui circa annum 741. Pontificatum tenuit. Has omnes Collectiones hodierni Scriptores artis criticiæ peritiores ad unum ferme omnes Iſidoro abnegant; primam quidem: quod nemo Authorum usque ad Trithemium, ſuperioris ſæculi ſcriptorem, illorum etiam, qui vitam Iſidori ſcripſerunt, illiusque ſcripta cætera recenſuerunt, hujus Collectionis mentionem ingeſſerit (n); ſecundam & tertiam: quod cum Iſidorus jam anno 636. e vivis exceſſerat, ambæ poſt illius obitum conflatæ reperiantur.

Duo Iſidori celebriores.

Iſidorus junior SS. Patribus annumeratur, & quare?

Tres eidem adſcribuntur Collectiones.

Sed hodie abnegantur.

Sunt tamen maximi nominis Scriptores, qui Iſidoro vel primam Collectionem, vel huic non multum abſimilem vindicant: & inter hos eſt Baluzius, aſſerens, Iſidorum ad imitationem Dionyſii Exigui quamdam

Una ſaltem adhuc hodie eidem adſcribitur.

(l) Vid Braulio Cæſarauguſtanus, qui vitam Iſidori ſcripſit, Ildephonſus Epiſcopus Toletanus de Viris Illuſt. cap. 9. Trithemius in lib. de Script. Eccleſ.

(m) Requirunt enim Theologi in ſanctis Patribus, præter Sanctitatem & Doctrinam eminentem, etiam competentem antiquitatem eo in ſenſu, ut ſint proximi temporibus Apoſtolorum, & hac ratione teſtes legales eſſe poſſint Traditionis. Quia erga Iſidorus vixit Sæc. VI. & VII., hæc antiquitas facile impugnari poſſet. Vid. Quæſt. 4. a nobis edita cap. 6. §. 1.

(n) Vid. cit. Braulio, & Ildephonſ.

dam Collectionem fecisse, & huic præter canones a Dionysio collectos diversos alios canones ex Synodis Africanis, Gallicanis & Hispanicis una cum epistolis Pontificum, qui a tempore Damasi ad clavum Ecclesiæ sederunt, adjecisse; post illius vero obitum incerti nominis Authorem canones posteriorum Synodorum Hispanicarum superaddidisse (o). Hunc Codicem se vidisse testantur Antonius Augustinus in Bibliotheca Urguinensi (p), & Ambrosius Morales in Bibliotheca Monasterii Escuriacensis (q). His accedit Joannes Douiat, qui hanc Doctorum opinionem tum ob authoritatem tantorum Virorum, & præcipue Petri de Marca, a quo Viro illustrissimo se audiisse testatur, quod similem Collectionem in Bibliotheca Urgellensi in Catalonia repererit; tum ob rationes sat graves omnino probabilem esse judicat. Inprimis enim tantæ eruditionis Vir erat Isidorus, ut si cum illa conjungatur immensum illius rerum ecclesiasticarum illustrandarum studium, jure optimo præsumi valeat, quod Collectioni adornandæ manum apposuerit, ac tanto oneri humeros submiserit. Argumento ulteriori est, quod antiquitus hujusmodi codicibus illius nomen fuerit inscriptum, quod non sine gravi ratione factum esse existimandum est. Accedit testimonium Reginonis, asserentis, quod Isidorus multa de fidei & disciplinæ ecclesiasticæ regulis scripserit: nomine vero Regularum ecclesiasticarum intelligi canones Collectionum inde facile eruitur, quod Regino suum opus Collectionem canonum inscripserit (r). Denique Hincmarum Rhemensem Scriptorem celeberrimum Isidoro Collectionem canonum adscripsisse scimus (s): ut adeo mirum esse non debeat, si qui Scriptores scribere non dubitent, quod Ivo Carnotensis non modo, sed etiam ipse Gratianus suos Codices ex Collectione Isidoriana ut plurimum mutuaverit. Sed quis non videt, hæc argumenta vel meris inniti conjecturis, vel exiguæ esse probabilitatis? Pollebat certe Isidorus maxima eruditione cum ingenti rerum ecclesiasticarum studio conjuncta, & ideo non difficile fors ipsi accidisset novam Collectionem adornare: sed utrum hunc ipsum laborem in se suscipere, aut non alios longe utiliores in se assumere voluerit, quæstio facti est, & sic probanda. Prodiere etiam Collectiones sub nomine Isidori, illa potissimum, quæ hodie communiter Pseudo-Isidoriana appellatur: sed nunquid ex ipsa inscriptione veritas

Sed non sufficienter probatur.

(o) In Præfat. ad Reginonem de Discip. Eccles. §. 3.
(p) Apud eundem Auth. loc. cit. (q) Lib. 12. Hist. cap. 25.
(r) In Chronicis ad an. 772.
(s) Vid. Trithemius de Script. Eccles. cap. 232.

veritas comprobatur? Noverint vim hujus argumenti, qui vel a limine saniorem salutarunt Criticam. Inscripsit etiam Regino opus suum sub titulo *Collectio Canonum*: sed quis ignorat, antiquioribus etiam Collectionibus præter canones Conciliorum fuisse insertas doctrinas Patrum? Hincmarus scripsit tempore, quo Collectio Pseudo-Isidoriana publicam aspexit lucem, quæ successu temporis in summam ascendit authoritatem, ut adeo verosimile videatur, de hac ipsi fuisse sermonem. Id nullo modo mirum videri debet, si Ivo & Gratianus Collectionem Pseudo-Isidorianam in usus adhibuerint: quippe quæ jam eo tempore, maxime post Nicolaum I. Pontificem in ecclesia summæ prorsus authoritatis fuit, & in hujus possessione ferme ad ultima usque tempora imperturbata stetit.

§. XII.

De Collectionibus Canonum pœnitentialium.

Neminem eorum nobis indignaturum tuto confidimus, qui aut fines Juris ecclesiastici secundum regulas artis emensi fuerint, aut corpus Juris Canonici vel eminus salutaverint, si de collectione canonum pœnitentialium qualemcunque mentionem ingeramus. Fines Juris Canonici si emetiamur, hi sunt amplissimi, seque extendunt ad ea omnia, quæ ad disciplinam ecclesiasticam quacunque ratione pertinere dignoscuntur. Quis autem ignorat, pœnitentiam publicam, & ipsos canones pœnitentiales quondam notabilissimam partem disciplinæ ecclesiasticæ fecisse? In hos itaque fines liberrime exspatiari licet Juris ecclesiastici studioso aut perito: quin imo in sua officia peccaturum illum crederemus, qui illos simpliciter prætergredi, & ne quidem a longe inspicere dignaretur. Sacrarium Juris ecclesiastici si ingrediamur, primo mox obtutu in secunda parte decreti Gratiani *causæ trigesimæ tertiæ* tractatum de pœnitentia in septem distinctiones divisum, velut medium interpositum; & ad calcem ejusdem Decreti Canones Pœnitentiales subjunctos; in ipsis Decretalibus Gregorii IX. titulum de Pœnitentiis & Remissionibus intuebimur. Itaque operæ pretium fore duximus, si de quibusdam etiam canonum Pœnitential. collectionibus agamus. Qualis, & quantus olim fuerit rigor Pœnitentiæ publicæ, neminem latere existimo; tantus nempe, ut si hodierna Pœnitentia cum illa antiqua publica comparetur vix umbra amplius superesse videatur. Juxta Synodum Nicænam III. erant Pœnitentium gradus tres, *Auditorum, Substratorum, & citra obligationem communicantium* (t). At

Pertinent ad Jus ecclesiasticum.

Summus olim pœnitentiæ publicæ rigor.

Ff 3 vero

t) Can. 11. & 12.

vero sancti Gregorius Neocæsareensis, & Basilius Magnus in suis pœnitentium canonibus, aliique Patres antiqui publice pœnitentium quatuor ordines distinquunt, *fletum*, *auditionem*, *prostrationem*, *consistentiam*, quibus tandem succedebat *participatio Eucharistiæ* (u). Exercebantur publice pœnitentes in rigidissimis operibus pœnalibus, jejuniis, fletibus, ciliciis, vigiliis, Chameuniis, omnium deliciarum abdicationibus, aliisque asperitatibus: jacebant extra fores ecclesiæ, nempe auditores juxta canones Concilii Nicæni, & flentes secundum disciplinam S. Basilii in summo luctu & squallore, saccis & ciliciis induti, usque dum successive per omnes gradus sua pœnitentia per annos plures defungerentur (x). Quoniam vero pro singulis delictis & criminibus pœnæ non erant determinatæ, innumera oriebantur dubia, quæ & quanta pœna pro singulis sit statuenda. Desuper actum fuit in Synodis, præcipue vero consulebantur Episcopi, penes quos erat potestas præscribendi regulas pœnitentiales: inde ergo suam habent originem canones pœnitentiales, vel potius libri canonum pœnitentialium, quorum usus est antiquissimus; & si canones apostolici authentici sunt, ad ipsa Apostolorum tempora referendi. Ad tertium & quartum sæculum si reflectamus, sese offerunt canones Synodorum Ancyranæ, & Eliberitanæ, qui sane instar libellorum pœnitentialium esse possunt. Occurrunt dein SS. Patres, qui sæpius super inflictione pœnarum consulti de variorum delictorum pœnitentia epistolas & responsa amplissima scripserunt; & quidem in Ecclesia Orientali Petrus, Athanasius, Timotheus, ac Cyrillus Patriarchæ Alexandrini, Gregorius Thaumaturgus, Gregorius Nyssenus, quos inter eminet S. Basilius in sua epistola ad Amphilochium. Huc etiam ex mente Joannis Douiat (y) pertinent responsa Patriarcharum posteriorum, præsertim libellus pœnitentialis Joannis vulgo ob suam abstinentiam dicti Jejunatoris. Inter latinos in hoc genere agmen ducit S. Cyprianus Zelator disciplinæ ecclesiasticæ longe accuratissimus, qui de se ipso testatur, quod persecutione Christianorum sopita cum aliis Episcopis convenerit, consulturus, quomodo lapsi in communionem sint recipiendi, & hunc in finem communi consilio confecerit libellum, quamquam ille

De origine Canonum pœnitentialium, & Collectionum.

(u) S. Basilius in sua Epist. ad Amphilochium; S. Gregorius Can. 11.

(x) Vid. Joannes Morinns, Author celeberrimus, qui hanc materiam fusissime & doctissime discussit in suo opere de Adminis. Sacram. Pœnit. Caballutius in speciali Dissert. & Theologi Dogmatici passim.

(y) Lib. 3. cap. 32.

ille ad nos usque non pervenerit. Plures autem in Ecclesia Occidentali fuere libelli pœnitentiales celebriores, quorum omnium primus est (nam libellus S. Cypriani injuria temporum periit) Theodori Cantuariensis Episcopi, antea Monachi Benedictini, & postea a Vitaliano Romano Pontifice in Angliam missi: quem sequitur Pœnitentiale Venerabilis Bedæ, quod inscribitur *de Remediis peccatorum*; ab antiquis tamen sub nomine Pœnitentialis citari solet. Sequuntur alii libri pœnitentiales, Rabani Mauri, Halitgarii, Pœnitentiale Romanum, Canones Pœnitentiales ad calcem decreti Gratiani adjecti. Hisce Joannes Morinus (z) adjungit librum decimum nonum decreti Burchardi Wormatiensis, partem decimam quintam decreti Ivonis, ordinem Romanum, aliosque libros. Nobis in præsentiarum unice agendum de libello pœnitentiali Theodori, & Pœnitentiali Venerabili Bedæ adscripto: de cæteris infra dicemus. *In Ecclesia Occidentali plures fuere libri pœnitentiales.*

Theodori vitam & characterem paucis describit Venerabilis Beda (a), qui refert, Theodorum natum apud Tarsum Ciliciæ, sæculari & divina literatura græce & latine instructum, probum moribus, & ætate venerandum, utpote qui, licet haberet annos 66. nihilominus ultra annos unum & viginti Cantuariensem Ecclesiam rexit. Idem Concilia plura de fide catholica & disciplina ecclesiastica celebravit ad annum usque 690. Inprimis autem *Peccantium judicia*, quot scilicet annis pro unoquoque peccato quis pœnitere deberet, mirabili & discreta consideratione descripsit. Theodorus hic procul dubio ex Basilio & aliis Græcis Patribus regulas suas, sive leges indicendarum Pœnitentibus pœnarum hausit, eorumque magna ex parte secutus est severitatem, quæ nimia forte priorum sæculorum severitas in laxiorem æquo indulgentiam apud posteros degeneravit, adeo, ut tempore Petri Damiani paulo post annum millesimum hi libelli Pœnitentiales tanquam pestis aliqua prohibendi fuerint. Ex quo factum, ut paulatim hæc tota ratio delicta puniendi in desuetudinem propemodum abierit. Pœnitentiale istud ex omnium confessione est genuinus fœtus Theodori, & ex eo multa desumpserunt Burchardus, Ivo, & Anselmus Lucensis, sive Author Collectionis, quæ sub ipsius nomine circumfertur; ipse etiam Gratianus, & Bernardus Papiensis in prima Collectione Decretalium. Ait quidem Joannes Morinus, Pœnitentiale istud tantopere laudatum hactenus a nemine editum, seque neminem legisse, qui de hoc *De Pœnitentiali Theodori.*

(z) In appendice ad tract. de Administ. Sacram. Pœnit. fol. mihi 564.

(a) Lib. 4. Hist. Eccles. cap. 1.

hoc libro a se viso testimonium redderet præter Henricum Spelman Conciliorum Anglicanorum Collectorem, qui testatur Manuscriptum conservari in celebri Bibliotheca S. Benedicti Cantabrigensis (b). Prodiit tamen Pœnitentiale istud opera Jacobi Petit anno 1677., qui non tantum omnes, quotquot reperire poterat, codices manuscriptos sedulo collegit, sed illud etiam doctissimis notis ac dissertationibus illustravit.

De Pœnitentiali Bedæ adscripto sub nomine: de Remediis peccaorum.

Alterum Pœnitentiale, de quo hic nobis præcipue agendum, est illud, quod inscribitur *de Remediis peccatorum*, & quondam Venerabili Bedæ attributum fuerat, Doctori sui temporis celeberrimo, cujus opera 8. Tomis continentur, etsi adhuc plura desiderari fateantur Scriptores passim. Eruditissimi Viri Martene, & Durandus quædam antea ignota orbi literario communicarunt (c). Inter hæc liber quidam inscribitur de Remediis peccatorum, & in antiquiori Operum Bedæ editione iisdem adjunctus legitur. Eundem noviter edidit, & notis illustravit, atque Pœnitentiali Romano adjunxit Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus (d). Similiter Henricus Spelman ex antiquis membranis Anglicanis eum Londini vulgaverat (e). Multum inter Scriptores litigatur, an Libellus iste sit partus genuinus Bedæ: cum plures illum adscribant Egberto Eboracensi Archiepiscopo Bedæ coetaneo, idque colligunt ex eo, quod in extremo volumine librorum Bedæ Libellus *de Remediis peccatorum* ita incipiat: *de Remediis peccatorum paucissima hæc, quæ sequuntur ex priorum monumentis:* & post alia: *excerptum de canonibus Catholicorum Patrum, vel Pœnitentiæ ad remedium animarum Domini Egberti Archiepiscopi.* En, quomodo hisce verbis opus istud Pœnitentiale expresse adscribatur Egberto! Accedit, quod neque in ipsius Bedæ, neque in Joannis Trithemii catalogo librorum Bedæ hujus operis Pœnitentialis mentio fiat. Ex hoc Pœnitentiali, quiscunque illius sit Author, plurima capita canonum supra nominatos Collectores Burchardum, Ivonem, Anselmum, Gratianum deprompsisse, res est notissima. Sed de Libris Pœnitentialibus infra plura.

§. XIII.

Jam ad Sæc. usque VIII. in recensendis Collectionibus canonum gradum promovimus. Inter alias Collectiones celebriores occurrit duplex Colle-

(b) Joan. Morin. in Appendice fol. 564.

(c) Thes. Anecdot. Tom. 5.

(d) Vid. Pœnit. Rom. ab ipso editum.

(e) Vid. Henr. Spelman. Concil. Angliæ.

Collectio, quæ Hadriano Romano Pontifici adſcribitur, quarum una eſt illa, quam Carolo M. obtuliſſe; altera, quam ad Ingilramnum Epiſcopum Metenſem miſiſſe legitur: de utraque paucis diſpiciamus.

De Collectione Hadriano R. P. adſcripta, & Carolo M. oblata.

De Collectione ab Hadriano Carolo M. oblata ſic orditur Petrus Couſtant (f): *Carolo M. Romæ verſanti dignum Regia, dignum Pontificia Majeſtate munus dedit Hadrianus Papa Synodalium Canonum & Pontificiarum literarum Collectionem.* Cum Carolus M. trina vice Romam veniſſe credatur, nempe An. 774, ac iterum 781 & demum 787. inter Scriptores diſputatur, quo anno Hadrianus ſuum codicem Carolo obtulerit (g). Quocunque tempore id factum fuerit, ad rem præſentem parum vel nihil facit. Majoris momenti quæſtio eſt, utrum Codex ille fuerit Dionyſianus, vel alius ab eo diverſus? Alium fuiſſe codicem indubitanter aſſerit Sirmondus, ea ratione ductus, quod, ſicut ipſe putat, Codex Dionyſianus jam antea in Gallia fuerit notus. Quoniam vero id ipſum nondum eſt demonſtratum & in hodiernam usque diem Collectio illa præſefert inſcriptionem: *Dionyſii Exigui Collectio*, & jure quidem: quia etiam aliæ Collectiones, eſto vel auctæ, vel in pluribus mutatæ fuerint, ſuum priſtinum nomen jure quaſi poſſeſſionis & uſucapionis retinuerunt, aliunde petenda eſt hujus opinionis demonſtratio.

Eſt Collectioni Dionyſianæ ſimillima.

Placet opinio eruditiſſimi Petri Couſtant (h), qui pro more ſuo demonſtrat, hanc Collectionem Dionyſianæ eſſe prorſus ſimillimam, nec ab ea quidquam diſcrepare, ſi mutationes quædam in priori parte factæ, eæque paucæ & leves; in altera vero non nullæ epiſtolarum acceſſiones excipiantur. Ad priorem illius partem quod attinet, duo ſunt, in quibus diſſidet a Dionyſiana: Primum quidem, quod loco Præfationis ſeu Epiſtolæ ad Stephanum Præſulem Salonitanum inſcriptæ aliam præſeferat Hadriani ad Carolum M., eamque verſibus compoſitam: Alterum diſcrimen eſt, quod Dionyſius canones Africanos 138. una numerorum ſerie ſub uno titulo diſpoſuerit; econtra Hadrianus illos in duas partes diſſecaverit, & diſſimili numerorum ordine diſpoſuerit. Ad alteram partem quod ſpectat, adjecit Hadrianus quasdam Pontificum epiſtolas Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis, Symachi,

(f) In Præfat. part. 2. §. 8.

(g Sirmondus exiſtimat id factum eſſe, quando ultima vice; Jacobus Basnagius, quando ſecunda vice Romam venit: Alii ad primam profectionem referunt.

(h) Loc. cit.

chi, Hormifdæ, Gregorii II. Utrum vero hæc additio ftudio Hadriani, vel errore librariorum fuerit facta, nondum inter eruditos convenit. Illud non facile prætereundum eft, quod Scriptores quidam magni nominis eidem Hadriano *Epitomen Canonum* adfcribant (i), quæ nihil aliud eft, quam compendiofa collectio eorum, quæ in ipfo codice Hadrianeo continentur. Verum longe probabilius eft, eam a quodam alio incerto Authore fuiffe compilatam.

In Gallia fummam authoritatem obtinuit, & quare?

Vix Collectio hæc in Gallia inclarefcere incepit, fane maximam authoritatem ibidem obtinuit, jamque Galli veteri fua canonum interpretatione pofthabita ad ufum hujus Codicis deflectere, illum in vim legis affumere, licet non fine omni contradictione propter epiftolas Romanorum Pontificum eidem infertas, cœperunt, atque brevi invaluit ufus, ut non Romæ folum, fed etiam in Galliis fimplici, pervulgatoque nomine *Codex Canonum* appellaretur. Neque id mirum videri debet: eo quod Carolus Magnus nihil non egit, ut illius ufum faceret communem. Mox enim, ubi hunc Codicem accepit, fingulari edicto Epifcopos commonefecit, ut Canonum & Decretorum executioni invigilarent: quædam Decreta ex illo Codice in Capitulare Aquisgranenfe tranfcribi curavit, & pofthac lege publica fancivit, ut conftitutionibus apoftolicæ Sedis reverentia exhibeatur (k). Iftud tamen animadvertendum adhuc exiftimamus, quod jam fupra monuimus, Gallos hoc Codice ita difcrete & moderate ufos fuiffe, ut fimul traditas a fuis Majoribus regulas, fuarumque Synodorum fanctiones, & obfervantias retinuerint.

Ea tamen moderate ufi funt Galli.

De altero Codice ad Ingilramnum transmiffo.

Alter Codex, quem Hadriano adfcribunt, ille eft, quem ad Ingilramnum Epifcopum Metenfem transmifit. Legitur hic Codex infertus Collectioni Conciliorum (l) illiusque origo refertur ad annum 785. Complectitur 80. capitula, vel juxta Antonium Auguftinum, qui hunc Codicem in lucem publicam edi curavit, notisque illuftravit, non nifi 72. Hanc Collectionem in Gallia non fuiffe ignotam demonftrant teftimonia Hincmari Rhemenfis, & alterius Hincmari Laudunenfis. Illam circa annum 785. ab Ingilramno per Gallias divulgatam effe afferit Petrus de Marca. Attamen tantæ non fuit authoritatis apud Gallos, quantæ aliqui exiftimant. Imo non fuiffe receptam in Gallia manifefto eft argumento, quod Hincmarus Rhemenfis fpeciale fcripferit opufculum contra Hincmarum Laudunenfem, in quo illum reprehendit,

Non fuit ignotus, fed non tantæ authoritatis.

(i) Canifius, & Binius.

(k) Petrus de Marca Lib. 1. cap. 9. N. 4.

(l) Tom. 8. Col. 597.

dit, quod ex illis epiſtolis huic Collectioni inſertis Collectionem quamdam privatam pro uſu ſuæ Eccleſiæ conſuerit (m). Et qua ratione nobis perſuadere poſſumus, quod Galli hanc Collectionem in uſum ſuarum eccleſiarum receperint? utpote quæ non pro uſu univerſalis eccleſiæ, ſed unice pro defendenda cauſa Ingilramni, & in uſum ac bonum illius fuit conſcripta, & ad illum transmiſſa. Patet id tum ex ipſa Inſcriptione illius (n) tum ex ipſis capitulis, quæ ferme omnia ad defenſionem jurium epiſcopalium contra iniquos aggreſſores pertinent (o). Accedit, quod Galli Collectioni Iſidorianæ recipiendæ ſe ſe multum ac vehementer oppoſuerint: quomodo ergo præſumere valeamus, quod Collectionem ad hominem privatum propter bonum particulare illius conſcriptam, quibusdam capitulis ex epiſtolis ſpuriis Pontificum Collectioni Iſidorianæ inſertis, & exinde deſumptis confertam receperint? profecto hanc Collectionem ex multis documentis ſpuriis conſarcinatam eſſe, multis argumentis commonſtrat Antonius Auguſtinus in ſuis notis, ubi etiam fideliter annotat illa loca, quæ Gratianus ſuo inſeruit decreto. Illud prætereundum non eſt, quod in epiſtolis antiquorum Pontificum Collectioni Iſidorianæ inſertis haud pauca reperiantur, quæ cum his capitulis prorſus conveniunt, atque iisdem verbis expreſſa leguntur; atque adeo mirum eſſe non debeat, quod vel Iſidorus ex capitulis; vel Hadrianus ex epiſtolis Iſidorianis multa mutuaverit. Iſtud ultimum vix ſine injuria Hadriani Pontificis dici poteſt: quippe quod neceſſario cujusdam impoſturæ, fictionis, & doli arguendus foret. Longe meliori ſane jure omnis impoſtura in Iſidorum rejicienda erit: quamquam, ut nihil diſſimulemus, hæc opinio ex Chronologia temporum plurimum difficultatis patiatur.

Multa habet ſpuria.

Gg 2 §. XIV.

(m) Verba in cit. opuſc. cap. 24. hæc ſunt: *De ſententiis, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis, atque decretis Pontificum Collecta ab Hadriano Papa, & Engelramno Metenſium Epiſcopo data, quando pro ſui negotii cauſa agebatur, quam diſſonæ inter ſe habeantur, qui legit, ſatis intelligit, & quam diverſæ a ſacris Canonibus, & quam diſcrepantes in quibusdam ab eccleſiaſticis judiciis habeantur.*

(n) Inſcriptio ſic habet: *Capitula, quæ ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis, atque decretis Præſulum ac Pontificum Romanorum ſparſim collecta ſunt, & Ingilramno Romæ ab Hadriano Papa tradita, quando ſui negotii cauſa agebatur.*

(o) Joannes Doluat lib. 3. cap. 11.

§. XIV.

De libro diurno Roman. Pontificum.

Inter alias Collectiones Canonum, quæ Sæc. VIII. emanarunt, refertur Collectio quædam formularum, quæ inscribitur *Liber diurnus Romanorum Pontificum.* Neque de Authore, neque de tempore, quo in lucem fuit editus hic liber, constat. Vir literatissimus Joannes Garnerius S. J. Anno 1680. illius editionem Parisiis adornavit, illamque notis & dissertationibus illustravit. Existimat hic Scriptor ex argumentis verosimilibus hujus libri originem ad annum 714. esse referendam. Collectionis hujus mentionem non modo antiquiores Collectores Anselmus, Ivo, & Gratianus fecerunt; verum etiam ultimi ævi præterlapsi Scriptores, præcipue Antonius Augustinus, Baronius & Labbeus ad illam provocaverunt. Opus istud ad intelligendam, & illustrandam historiam Sæculi VI, & VII. apprime esse utile; imo necessarium esse fatentur omnes, qui rerum historicarum peritiores audiunt.

Est liber apprime utilis.

Constat hic Liber 104. titulis: Dicitur *diurnus*, quia continet formulas, quæ in usu fere quotidiano apud Romanam erant Ecclesiam in scribendis literis ad Principes & Episcopos; in adhibendis ritibus in ordinatione Pontificum & Episcoporum, concedendis privilegiis, dispensationibus &c. Verbo: Est hic Liber diurnus quasi Collectio aliqua formularum, ex qua stylus Curiæ tunc temporis in Ecclesia Romana usitatus disci potest. Divisit Garnerius hunc librum in duas partes, quarum prima continet capitula 6.; altera non nisi unicum, sed amplum valde. Quænam in singulis capitulis, & titulis contineantur, in compendio refert Pertschius (p).

Liber inscriptus: ORDO ROMANUS.

Alius adhuc Liber exstat sub titulo: *Ordo Romanus*, quem ferme ad tempora Gregorii M. referunt. Editus est in lucem anno 1568. cum aliis Authoribus, qui de divinis Officiis, ac Ministeriis scripserunt, Isidoro, Alcuino, Almario Fortunato, Rabano Mauro, Valafrido Strabone, Bernone Augiensi, Petro Damiano, Ivone Carnotensi, Ruperto Tuitiensi, Petro Cluniacensi, Hugone de S. Victore &c. Ordo hic Romanus agit de divinis Officiis ac Ministeriis Ecclesiæ per totius anni circulum; de Processionibus, & celebratione Missæ, ejusque Officii, ac Librorum, qui in Ecclesia Catholica leguntur. Complectitur etiam orationes cujuscunque Festi, ritus & ceremonias cuicunque ministerio aptas, denuntiationes quatuor temporum, Instructiones baptizandorum, ritus dedicandæ ecclesiæ, consecrandi Episcopi,

(p) Zwente Abtheilung ꝛc. pag. 140.

piscopi, benedicendi Imperatorem, Abbatem, Abbatissam, & alia hujus generis.

§. XV.

Quædam adhuc aliæ circumferuntur Collectiones minus celebres, pluribus incognitæ, & quæ a plerisque Scriptoribus de hac materia tractantibus ne quidem attinguntur, quas intermittere nefas ducerem, ne quid Lectorem nostrum fugere possit eorum, quæ ad illustrandam historiam servire valeant. Huc spectant Capitularia Theodulfi Episcopi Aurelianensis, quæ anno 797. ad Presbyteros suæ diœceseos scripserat. Magna authoritate pollebat hic Episcopus apud Carolum M., a quo nominatum accepit episcopatum. Vixit adhuc sub Ludovico Pio, sed ob crimen quoddam sibi imputatum in carcerem conjectus fuit. De Capitularibus illis duo adhuc fragmenta supersunt, quorum primum continet 46. titulos; alterum sine distinctione in capitula diversissimas regulas bene & recte vivendi. In priori parte agitur de obligationibus & officiis Sacerdotum, de usu sacrorum vasorum, de scholis, de orationibus, de celebratione Dominicæ, de exercenda hospitalitate, de Jejunio, de Pœnitentia, de sacra communione. In secundo Capitulari quamplurima sunt, quæ pro instruendis Clericis summopere faciunt. Hæc Capitularia plurima ex parte ex canonibus diversorum Conciliorum sunt desumpta (q). Alia adhuc diversa scripsit Theodulfus, quæ Anno 1646. Sirmondus Parisiis in lucem publicam produxit.

Capitularia Theodulphi.

Quædam illorum fragmenta supersunt.

Hujusmodi Capitularia numero 168. conscripsit Theodorus Cantuariensis, in quibus potissimum agitur de Ordinatione Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Abbatum, Abbatissarum, Monachorum, Monialium; Item de celebratione Dominicæ, Dedicatione & Consecratione Ecclesiarum, de Libris quibusdam prohibitis, de Visitatione ægrotorum, de Pœnitentia, de Matrimonio, Obligationibus matrimonialibus, Missis Defunctorum, Decimis, Veneratione Reliquiarum, de Confessione. Opinantur, quod hæc Collectio circa Annum 668. fuerit compilata (r).

Capitularia Theodori Cantuariensis.

Inter Viros suo ævo celeberrimos erat Ecbertus Archiepiscopus Eboracensis, qui e vivis excessit Anno 767. Ab hoc Viro celeberrimo extant quædam, uti vocantur, *Excerptiones* ex Scriptis & Regulis SS. Patrum haustæ sub titulo: *Excerptiones e dictis, & Canonibus SS. Patrum*

Excerptiones Ecberti Eboracensis.

(q) Inserta sunt hæc Capitularia collectioni Conciliorum Tom. 9. col. 183.

(r) Spicileg. D'Acheri Tom. 1.

trum concinnatæ, & ad ecclesiasticæ Politiæ, constitutionem conducentes. Continentur in illis 144. capitula, quæ de variis ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus tractant, quæ hic recensere longum nimis foret (s). Quoddam etiam Pœnitentiale eidem adscribitur, ex quo non nisi 35. regulæ typis fuerunt editæ. Insuper Dialogus quidam ab ipso conscriptus circumfertur cum Inscriptione: *Dialogus per interrogationes & responsiones de Institutione ecclesiastica.* Sane non pauca ad disciplinam ecclesiasticam summe conducentia in hoc leguntur Dialogo, quæ suo videantur loco (t).

Collectio quædam ignoti authoris Sæc. VIII. Sæculo octavo Collectio quædam ignoti Authoris valde ampla in libros 65. divisa prodiit in Hibernia. Etiam hæc Collectio plura complectitur, quæ nobis disciplinam ecclesiasticam illius ævi exhibent. Hæc Collectio nunquam integra lucem vidit publicam, licet adhuc extet. Non nisi quædam excerpta ex hoc Codice typis mandavit D'Acherius, qui causam laboris sui defectuosi rejicit in Scripturam Codicis, quæ talis est, ut vix legi, multo minus verborum sensus extorqueri inde valeat.

Collectio Canonum S. Bonifacii. Demum in Monasterio & Bibliotheca Corbejensi asservatur Collectio quædam Canonum S. Bonifacii magni illius Germaniæ Apostoli. Continet hæc Collectio non nisi 36. canones, in quibus præcipue agitur de officiis & obligationibus Episcoporum, Presbyterorum, de Abbatibus, Abbatissis, Monasteriis, de Missa, de Jejunio. Canones hi ex variis Synodis Gallicanis, Capitularibus Francorum, Canonibus Apostolicis, Nicænis, Antiochenis, Laodicenis sunt deprompti. Existimant Scriptores, illam circa annum 745. seu medium Sæc. VIII. & quidem unice in usum Cleri Moguntini esse concinnatam.

§. XVI.

Collectio Canonum pœnitentialium. Jam in antecedentibus actum est de variis Collectionibus Canonum Pœnitentialium. Alia adhuc nobis occurrit, cujus mentionem facit Morinus, quæ tunc temporis adhuc in codicibus manuscriptis latebat. Illam tamen nuper Vir celeberrimus Lucas D'Acherius Benedictinus e Congregatione S. Mauri luce publica donavit (u). Inscribitur Opus istud *Collectio Canonum Pœnitentialium*, pro more illorum temporum, quibus ferme omnia hujusmodi opera ad Sacramentum Pœnitentiæ refere-

(s) Vid. Tom. 8. Concil. col. 352.

(t) Vid. D'Acherius in Spicileg. Tom. 9.

(u) Idem Acherius loc. cit.

ferebantur, etsi jure longe optimo *Collectio Canonum* inscribi mereatur: quia est amplissima, in tres libros divisa, ac diversi generis canones in secundo & tertio Libro complectitur: Nam in solo Libro primo agitur de *Pœnitentibus & Pœnitentiis peccatorum* per 122. capita; in secundo de *Judiciis* per 117. capita; in tertio de *Ordinationibus, Gradibus, atque Officio Clericorum & Episcoporum* per 158. capita, ita ut totius Collectionis capita sint 397. Illud autem hanc collectionem præ aliis collectionibus singulariter commendat, quod canones & regulæ eidem insertæ non ex spuriis lacunis, sed fontibus genuinis & purissimis sint haustæ. Referunt Doctores hunc Codicem ad finem Sæculi VIII.: quia Halitgarius Cameracensis Episcopus illo usus est in conscribendo suo Pœnitentiali, quod Sæc. IX. scripsisse fertur (x).

Divisa in tres partes.

§. XVII.

Reliquum est, ut de Capitularibus Francorum quam brevissime agamus, utpote de quibus fusiori calamo scripsimus alibi (y). Hic quædam sunt supplenda; atque illud inprimis, quod præter Capitularia Francorum huic Collectioni quamplurima alia ex epistolis Romanorum Pontificum, libris Scriptorum ecclesiasticorum, Synodis Gallicanis, Codice Theodosiano, Novellis, Legibus Salicis, Ripuiariorum, Bojariorum sint immixta. Fuit hæc Collectio jam ante annum 858. cognita tam in Gallia, quam in Germania. Ad hæc Capitularia provocarunt Synodi & Scriptores ecclesiastici celeberrimi, Hincmarus, Regino, Fulbertus, Ivo, & ex illis haud pauca mutuarunt, suisque collectionibus inseruerunt, præcipue Burchardus, qui tamen studiose dissimulavit fontem originarium, e quo sua deprompsit. Constant Capitularia septem libris, quibus subjunguntur appendices quædam, quæ nec in Collectione Ansegisi, nec Benedicti Levitæ reperiuntur. Equidem Sirmondus illas tribuit præfato Collectori: celeberrimus autem Baluzius fortioribus argumentis opinionem Sirmondi egregie refellit. Quamplurima ex his Capitularibus Collectioni Conciliorum inserta legimus. Tanti nempe æstimabantur hæc Capitularia, quæ in hodiernum usque diem egregio usui esse possunt. Quemadmodum alibi hæc Capitularia impense commendavimus Jurium & Historiæ Ecclesiasticæ Studiosis, Clericis potissimum, & iis etiam, qui a secretioribus consiliis sunt Principibus tam ecclesiasticis, quam sæcularibus, ita illorum studium iterum

De Capitularibus Francorum remissive.

Plura alia hæc Collectio continet.

(x) Vid. Spicileg. D'Achery Tom. 11.

(y) Vid. Dissert. de Jure Eccles. Germ.

Hæc Collectio summe commendari meretur.

rum iterumque commendamus: Inde enim discent, quæ olim in ecclesiasticis fuerit authoritas Episcoporum, & Principum sæcularium; & qua ratione fines Ecclesiæ ac Imperii sint regundi. Plures hic recensuimus Collectiones Juris ecclesiastici, quam communius alii Authores recensere solent: quasdam minus celebres intermisimus. Id tamen fateri necessum est, quod ordinem chronologicum non adeo accurate observaverimus.

CAPUT V.

De Collectionibus Juris ecclesiastici a Sæculo VIII., & IX. usque ad Sæculum XIV. in Ecclesia Orientali; & Sæculum XII. seu Decretum Gratiani in Ecclesia Occidentali.

§. I. *De Collectionibus Juris ecclesiastici in Ecclesia Orientali, specialiter de Collectione Photiana.* II. *De Basilicis.* III. *De Synopsi Alexii Aristeni, & Epitome Simeonis.* IV. *De Collectione Harmenopuli.* V. *De Synodico Beveregii.* VI. *De Collectionibus in Ecclesia Occidentali, præcipue de Collectione Isidori Mercatoris.* VII. *De Pœnitentiali Halitgarii.* VIII. *De Collectionibus Rabani Mauri.* IX. *De Capitulis & Capitularibus quorumdam Scriptorum Hincmari, Isaaci Herardi, Gualteri, & Theodulfi.* X. *De Collectione Reginonis.* XI. *De Collectione Burchardi Wormatiensis.* XII. *De Collectione Ivonis Carnotensis.* XIII. *De quibusdam aliis Collectionibus minus celebribus.* XIV. *Subjunguntur quædam Animadversiones.*

§. I.

Perpetuæ scissuræ inter Ecclesiam Occidentalem & Orientalem usque ad Photium, & unde?

Quamquam a Sæculo IV., ex quo Constantinus M. sedem Imperatoriam Byzantium transtulit, usque ad tempora Photii Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitani, qui Ignatium inique e Sede Patriarchali deturbavit, perpetuæ fuerint lites, scissuræ & controversiæ inter Ecclesiam Occidentalem & Orientalem, quibus ambitio Græcorum maxima ex parte occasionem præbuit, hæ tamen nunquam in apertum schisma eruperunt, usque dum Photius Sedem Constantinopolitanam dejecto

dejecto Ignatio contra omne jus invaserat. A quo tempore licet in variis Conciliis etiam generalibus unio tentata fuerit, nunquam tamen obtineri potuit. Jam in Concilio Constantinopolitano I. (z) & Chalcedonensi (a) Episcopi Constantinopolitani nescio qua ambitione inflati varias sibi prærogativas arrogarunt: ut nihil dicam de titulo Patriarchæ Oecumenici, super quo tantopere fuit disceptatum (b). Sed hæc missa faciamus: potius de Collectione Photiana nobis agendum erit.

Historia Schismatis Photiani.

Historiam schismatis Photiani contexere nimis longum foret, & a scopo nostro alienum est. Erat Photius Vir Laicus natalibus illustris, dignitate Protospatharius, homo ambitionis immensæ, Veterator, ingenio ad universa versatili, tantaque humanarum scientiarum peritia, ut non modo sui ævi Princeps haberetur, sed etiam cum præstantissimis veterum quorumcunque ingeniis decertare posset. At eximias naturæ & artis dotes animi ejus improbitas & incredibilis ambitio obscurabant. Vix credat aliquis, quam implacabili crudelitate, quam impudentibus calumniis, & quam immanibus corporis cruciatibus imperatorii sanguinis Patriarcham Ignatium eximia vitæ sanctitate venerandum, ætate etiam profectum divexaverit. Paucis: Photius vel Author, vel Fautor præcipuus fuit schismatis Photiani, quod omnium, quæ unquam extitere, fuit longissimum, & exitiosissimum. Tres in causa Photii celebratæ sunt Pseudo-Synodi ab Orientalibus, prima Anno 859, altera Anno 861., tertia, post Synodum Generalem octavam, anno 879. quam Græci inter Generalia Concilia reponunt; Latini velut Pseudo-Synodum rejiciunt. Plures etiam Catholicorum Synodi particulares habitæ fuere; prima Romæ a Nicolao I. Anno 863.; altera ab Hadriano II. itidem Romæ 868.; & tertia Constantinopolitana IV., inter Generales octava sub eodem Pontifice, quam Orientales diris omnibus devovent. His velut in antecessum expositis jam de Collectione Photiana videamus.

Collectio Photiana.

Itaque Photius suam Collectionem circa annum 780. post celebratam in templo S. Sophiæ Pseudo-Synodum anno 879. consarcinasse communius creditur. Huic ergo Collectioni præter canones Conciliorum & Patrum, qui Trullanæ Synodi canone secundo memorantur, & laudantur, inserta fuerunt Concilia Photiana supra recensita; item opuscu-

(z In hoc jamiam ambierunt Primatum Orientales, uti legere est in Can. 2.

(a) Idem majori ausu tentarunt in hoc Concilio vid. Can. 28.

(b) Nomen Patriarchæ Oecumenici assumere tentarunt Patriarchæ Constantinop. præsertim Joannes Jejunator dictus. Vid. Thomassinus Lib. 1. Cap. 11.

Notæ & Commentaria in hanc Collectionem.

opuſcula Theophili Alexandrini, Tharaſii Conſtantinopolitani, & Theodori Studitæ. Hæc opuſcula, ſicut & canones in hac Collectione contentos recenſet Douiat, qui omnino videri meretur (c). In hanc collectionem tres Viri celeberrimi notas ſcripſerunt, & commentaria, nempe Joannes Zonaras Monachus, Alexius Ariſtenus itidem Monachus, & Theodorus Balſamon Patriarcha Græcorum Antiochenus. Zonaras antea erat Præfectus Vigilum, & Secretarius Imperatoris Joannis Comneni, poſtea renuntiatis ſuis officiis factus Monachus. Ariſtenus erat Diaconus, & Æconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Vixit ſub Imperio Joannis, & Emanuelis Comneni, & ſuo tempore inter omnes jurium peritos tanquam peritiſſimus eminuit. Theodorus Balſamon variis fungebatur officiis apud Eccleſiam Conſtantinop. & tandem ad dignitatem Patriarchalem elatus fuerat, omnesque ſuos Prædeceſſores doctrina & eruditione ſuperaſſe ſcribitur.

NOMOCANON Photii.

Idem Photius ad imitationem Joannis Antiocheni compoſuit Collectionem ſub nomine *Nomocanon*, eique præter canones Conciliorum inſeruit leges Imperatorum. Hunc Nomocanonem Juſtellus ex Bibliotheca Palatina mutuatum una cum præfatione Photii, & verſione Henrici Agylæi typis mandari curavit, Opus ſuum complevit Photius circa annum 883. In eo antecellit hæc Collectio, quod Collector non modo plures Conciliorum canones, ſed etiam plures Patrum doctrinas ad inſtar canonum eidem inſeruerit. Inde factum eſt, ut hæc collectio brevi tempore ante cæteras collectiones primas apud Græcos obtinuerit. Canones eidem innexos recenſet Pertſchius (d). In eo autem plurimum authoritatis deperdidit uterque Nomocanon Joannis Antiocheni, & Photii, quod Imperatores Baſilius, Leo, & Conſtantinus leges Imperatorias mirum in modum mutaverint, de iis ſubtraxerint, & alias condiderint. Hunc defectum ut ſuppleret Balſamon, in ſuis annotationibus, ſcholiis, & commentariis omnem impendit operam, ut indicaret leges Imperatorias, tum illas, quæ per *Baſilicas* antiquatæ & abrogatæ fuerunt; tum cæteras, quæ poſt Collectionem Baſilicarum emanarunt.

§. II.

De Baſilicis Imperatorum Baſilii & Leonis.

Erant autem *Baſilicæ* nihil aliud quam Conſtitutiones Imperatoriæ tum antiquæ tum novæ, quas duo Imperatores Baſilius & Leo, ambo Reipublicæ & præfertim Juriſprudentiæ in melius reforman-

(c) Lib. 3. cap. 8. (d) Loco ſæpius citato.

formandæ ſtudioſiſſimi in meliorem ordinem redegerunt, ac deinde Leo in quemdam codicem colligi, ac reſciſſis illis legibus, quarum obſervantia non amplius videbatur utilis, publicari fecit. Succeſſit Conſtantinus VIII. filius Leonis, qui cum eſſet Jurisprudentiæ peritiſſimus, & aucupandæ apud poſteros gloriæ cupidiſſimus, anteriores *Baſilicas* corrigi, revideri, & emendari præcepit, ac denum hoc modo correctas & emendatas promulgavit cum edicto, ut hæ ſuæ *Baſilicæ* abrogatis prioribus vim legis haberent, & non modo in tribunalibus & Judiciis, ſed etiam in ſcholis uſum haberent publicum. Vocantur hæ *Baſilicæ ſecundæ*, ad diſtinctionem a *Baſilicis primis*, & in Oriente tantæ authoritatis erant, ut illas merito leges fundamentales totius Jurisprudentiæ Orientalis dixeris. In has *Baſilicas* tot Gloſſæ, annotationes, commentaria prodierunt, quot unquam in Codicem Juſtinianeum facta eſſe novimus. Atque *Baſilicæ* iſtæ ad noſtra usque tempora pervenerunt, easque in lucem publicam edi curarunt Gentianus Hervetus & Hannibal Fabrottus. Idem Leo ſupra memoratus quasdam etiam & quidem numero 113. Novellas per Orientales plagas anno 890. promulgavit, quæ per totum Orientem uſum non obtinuerunt. Id tamen honoris Compilatores Jurium hiſce Novellis detulerunt, ut illas in Corpus Juris Civilis referrent, quin propterea ad authoritatem legalem evectæ fuerint: quippe quod hæc collectio authoritate tantum privata facta fuerit, neque de illius receptione ac uſu in praxi conſtet. Plura alia ſcripſit Leo e. g. de arte Bellica, de Oraculis, vaticiniis: quin quædam etiam Theologica, & hiſtorica ſcripſiſſe fertur, Imperator ſane literatiſſimus, æmulator Juſtiniani Imperatoris, præcipue Jurisprudentiæ peritiſſimus, quem ut fama gloriæ ac nominis ſui ſuperaret, totis viribus contendit. Id profecto fatentur omnes, quod longe meliorem ordinem, ac Juſtinianus in ſuis Novellis ordinandis obſervaverit. Sapientiſſimus Imperator & Pater ſapientem reliquit filium Conſtantinum, qui hiſtorica ſcripſiſſe fertur, quorum aliqua ad noſtra usque tempora pervenerunt (e).

Eas correxit Conſtantinus filius Leonis.

De Novellis Leonis.

Plura alia ſcripſit Leo.

§. III.

Prodiere in Sæc. XII. varia etiam compendia ſeu Collectiones compendiariæ, potiſſimum ſequentes: 1mo *Synopſis Canonum* Alexii Ariſteni Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconi, quam juſſu Imperatoris Joannis Comneni an. 1130. edidit. Eſt autem hæc *Synopſis* nihil aliud,

Synopſis Canonum Alexii Ariſteni.

(e) Vid. Pertſchius erſte Abtheilung pag. 98.

aliud, quam *Index* seu *Breviarium* veteris Codicis Canonum servato ordine Conciliorum; non tamen servata serie numerorum (f).

Epitome Canonum Simeonis Magistri.

Simile compendium sub nomine *Epitome Canonum* collegit Simeon *Magister, & Longotheta.* Quo tempore hic Scriptor vixerit; quandonam suam Epitomen scripserit, inter Authores non convenit. Quidam illum ante Aristenum jam Sæculo X.; alii post scripsisse ferunt (g). Usus est Author hic in canonum Epitome concinnanda collectione non admodum diversa ab ea, quam secutus fuerat Joannes Scholasticus. Desuper videantur Authores passim. Nobis non licet hisce multum immorari, quia utiliora vocant.

Syntagma Alphabeticum Matthæi Blastares.

Huc pertinet *Syntagma Alphabeticum Mathæi Blastares* Monachi Basiliani, opus sat amplum, compendiarium tamen: quia ad modum Dictionarii secundum literas alphabeticas digestum continet 20. titulos: & hi iterum in sua sunt divisi capita. Absolvit hunc laborem sane utilem & pretiosum Collector circa annum 1335. utpote quod non modo omnia in compendium redegerit; sed etiam multa vel propriis vel alienis annotationibus, ac animadversionibus illustraverit. Collectionis hujus exemplaria manuscripta duo extant in Gallia, unum in Bibliotheca Regia; alterum habuit celeberrimus ille Episcopus Montispessulanus Franciscus Bosquetus. In Anglia opus hoc typis mandatum fuit an. 1672. plura videre libeat in Authoribus mox antea citatis.

§. IV.

Collectio Constantini Harmenopuli. Duo illius opera, MANUALE Juris Civilis, & EPITOME DIVINORUM SACRORUMQUE CANONUM.

Industriam nostram non nihil moratur alia Collectio Constantini Harmenopuli, Judicis Thessalonicensis, quam ob accuratissimum ordinem & seriem materiarum, secundum quam scripta fuit, omnibus cæteris Collectionibus anteferunt. Duo conscripsit opera, unum *Manuale Juris Civilis;* alterum *Epitome Divinorum, sacrorumque Canonum.* Compositum videtur hoc opus circa annum 1140, & est divisum in sectiones sex, quarum prima est *de Episcopis, & rebus ad eos pertinentibus;* secunda *de Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis;* tertia *de iis, quæ sunt communia tam Laicorum quam Clericorum;* quarta *de Monasteriis & Monachis;* quinta *de Laicis &c.;* sexta *de Mulieribus.* Harum autem sectionum quælibet particulares habet titulos, & sub his locatos canones, quorum non pauci scholiis illustrantur. Hausta vero est hæc Epitome ex quarta Collectione græca Photii nimirum, additis supra veterum Patrum decreta Nicolai & Nicephori Patriarcharum Constantinop. decretis.

§. V.

(f) Douiat. lib. 3. cap. 11. & Pertsch. loc. cit. (g) Cit. Auth.

§. V.

Atque hæ, quas hactenus retulimus, sunt illæ Collectiones Ecclesiæ Orientalis, quæ ad nostra usque tempora pervenerunt. Has Collectiones in unum quasi corpus Oxfordii in Anglia anno 1672. collegit Wilhelmus Beveregius Presbyter Anglicanus cum inscriptione: *Synodicon seu Pandectæ Canonum sanctorum Apostolorum, & Conciliorum ab Ecclesia Græca receptorum, nec non Canonicarum sanctorum Patrum epistolarum una cum scholiis antiquiorum annexis.* Opus istud digestum est in duos Tomos, & divisum in tres sectiones, quarum prima continet canones Apostolorum, & Conciliorum, quæ in Ecclesia Orientali ad Sæc. usque IX. fuerunt celebrata: Altera pars complectitur canones Synodorum particularium; tertia epistolas respective canonicas Patrum Græcorum variis Collectionibus canonum insertas. Congessit Beveregius suum Synodicon non secundum ordinem materiarum; sed temporum, & annorum. Hinc inde immiscuit scholia Balsamonis, Zonaræ, & Aristeni. Collectio hæc non nisi ad Sæculum usque IX. pertingit. Nempe existimaverat doctissimus Collector, quod Ordinationes ab illo tempore in Ecclesia Orientali factæ non tam novi canones; quam antiquiorum canonum interpretationes dici mereantur. Aliam Collectionem longe amplissimam *Juris Græco-Romani* exhibet Joannes Douiat, quam exeunte superiori sæculo adornavit Joannes Leunclavius Amelburus Scriptor Germanus celeberrimus. Opus in duos Tomos distinctum est, quorum prior ea complectitur, quæ ad Jus Canonicum Græcorum pertinent; posterior, quæ ad Jus Civile. Decem libris absolvitur hæc Collectio, & in his continentur Decreta Synodalia & quorumdam Patriarcharum responsa; epistolæ, & sententiæ Patrum Græcorum, Responsa meditata Balsamonis, Edictum Justiniani de fide, liber Armenopuli de Sectis, Novellæ Græcorum Imperatorum, quæ omnia fusius in citato Authore leguntur. Atque hæc de Collectionibus canonum Ecclesiæ Orientalis dicta sufficiant.

Synodicon Wilhelmi Beveregii complectens Collectiones Ecclesiæ Orientalis.

§ VI.

Ad Collectiones Juris ecclesiastici Ecclesiæ Occidentalis delabimur. Atque hic primo occurrit celeberrima illa Collectio Isidoriana, vulgo Isidori Mercatoris dicta, a qua Doctores Gallicani *Jus novum Pontificium* auspicantur, prout §. 1. cap. 1. animadvertimus. Hæc nempe est illa Collectio, quæ tot in Ecclesia excitavit turbas, & Doctores inter se collisit: Hæc illa collectio, in quam non modo Acatholici, sed

De Collectione Isidoriana.

Est celeberrima.

 etiam

etiam Catholici mirum in modum invehuntur, eamque tanquam putidam ac meram adulterinorum canonum, & spuriarum epistolarum congeriem proclamant; hæc illa Collectio, quæ Ecclesiam contemptui, irrisionibus, ac convitiis Sectariorum exposuit; hæc illa Collectio, quæ authoritatem Synodorum particularium, & Episcoporum suppressit, antiquam Judiciorum ecclesiasticorum formam immutavit, ac novam ecclesiasticam disciplinam invexit, & invitis Episcopis obtrusit. Ita de hac Collectione Doctores quidam etiam Catholici, quorum testimonium infra in medium afferemus (h). Ut autem certo ordine procedamus, primitus de Authore hujus Collectionis; postea de ipsa Collectione & contentis in ea, præcipue de Epistolis Pontificiis; ac demum de illius receptione & authoritate agemus.

Prodiit circa finem Sæc. VIII.

Author ignoratur.

Non est Isidorus Hispalensis.

Prodiit hæc Collectio sub finem Sæculi VIII. vel initium Sæculi IX., quam in Gallias ex Hispania a Riculfo Episcopo Moguntino allatam, & Gallis communicatam refert Hincmarus Rhemensis (i). Inscribitur hæc collectio *Isidori Mercatoris*, quin tamen de authore illius inter Scriptores conveniat. Multis olim persuasum erat, maxime Sæculo IX. tempore Hincmari Rhemensis, illius Authorem esse Isidorum Hispalensem Episcopum doctrina, & sanctitate celeberrimum. Verum opinio hæc nostris temporibus exolevit, dum peritiores Critici fraudem, dolum, ac imposturam intervenisse, eique non ex alia ratione hoc nomen fuisse inditum demonstrant, quam ut major illi authoritas conciliaretur: id quod antiquitus non raro accidisse, atque operibus hinc inde editis falsa nomina fuisse afficta ad majorem illis authoritatem conciliandam historiæ docent (k). Sane ipse stylus barbarus, impurus, & abjectus, quo author hujus Collectionis utitur, manifeste probat, alium fuisse authorem quam Isidorum Hispalensem, quem puritas styli, elegantia Latinitatis, methodus scribendi mirum in modum commendat. Majori autem argumento est, quod in hac Collectione multi canones Conciliorum Sæc. VIII. celebratorum, nec non epistolæ Pontificum illo ipso ævo scriptæ contineantur: cum tamen constet, Isidorum Hispalensem Sæc. VII. diem obiisse supremum (l). Qua-

(h) Nemo sane gravioribus verbis in hanc Collectionem invehitur, ac Petrus Coustant, cujus verba infra afferemus.

(i) Opusc. 55. cap. 24. id tamen non ex omni parte esse certum infra dicemus.

(k) Id probant Canones Apostolici, aliaque opera, quæ SS. Patribus fuere afficta, & sub illorum nomine orbi Catholico obtrusa.

(l). Quapropter alii in aliam opinionem priori haud omnino absimilem ducuntur, existimantes, Isidorum Hispalensem quamdam & hanc ipsam Collectionem fecisse, eique a quodam alio Scriptore, cujus nomen erat Mercator, quosdam canones, & epistolas noviores fuisse adjectas (m). Sed neque hæc opinio fat firmo sustentatur argumento: tum quod hæc gratis dicantur: tum quod verosimiliter ratio afferi nequeat, cur hæc Isidoriana Collectio, si tamen fuit Isidori Hispalensis, per tantum temporis spatium in occulto delituerit, & non cum cæteris operibus Isidorianis orbi innotuerit. Blondellus existimat Authorem hujus Collectionis non fuisse Hispanum, sed Gallum, vel Germanum; aut certe Isidorum quemdam fratrem germanum Eulogii Episcopi Cordubensis, qui evitandæ Saracenorum crudelitatis causa fugam arripuit in Germaniam (n). Verum hæc opinio peccat in regulas Chronologiæ: nam Isidorus ille primum innotuit Sæculo IX. circa annum 850, postquam Riculfus illam Collectionem pridem antea ex Hispania in Galliam attulit, utpote quem ad annum duntaxat 814. suam vitam protraxisse constat (o). Quidam ipsum Riculfum imposturæ reum agunt, asserentes, ipsum, ubi ubi demum, quamdam canonum Collectionem obtinuisse, atque studio suo singulari, quo Romano Episcopo addictus fuerat, fuisse inductum, ut ad sustentandam authoritatem Sedis Romanæ apud Gallos multum depressam ac attritam quasdam epistolas antiquioribus Pontificibus affingeret, vel genuinas illorum epistolas adulteraret (p). Ast hæc etiam opinio nititur meris conjecturis, & vix sine injuria tanti Episcopi, qualis erat Riculfus, defendi potest. Alii iterum Authorem faciunt Isidorum Setubensem Episcopum, suamque opinionem confirmant authoritate Chronici, quod sub nomine Juliani Toletani Diaconi in lucem prodiit: in eo enim legitur, quod Isidorus Mercator Episcopus Setubensis compilationem canonum ope cujusdam Monachi composuerit, atque anno 805. e vivis decesserit; item authoritate cujusdam alterius Chronici, quod Luitprando attribuitur, & in quo idem Isidorus Author hujus Collectionis dicitur, cum addito, illum fuisse nominatum *Peccatorem* (q). Quoniam vero utrumque Chronicon dubiæ & sublestæ fidei esse dignoscitur, inde sufficiens id afferen-

Variæ aliæ opiniones examinantur.

(l) Vid. Blondellus in Pseudo-Isidoro Proleg. cap. 3.
(m Petrus de Marca lib. 3. cap. 3. Van-Espen Part. 4. cap. 1. §. 1.
(n) Loc. supra cit.
(o) Gonzalez Tellez. in Appar. de Orig. & prog. Jur. Can. N. 46.
(p) Vid. Petrus de Marca lib. 3. cap. 5. N. 3. (q) Idem loc. cit.

afferendi argumentum depromi nequit (r). Demum plures hanc Collectionem adſcribunt cuidam Monacho, qui ſe pro more illius ſæculi *Peccatorem* ſcripſit, quo titulo etiam Epiſcopi quidam gloriabantur (s). Facile itaque contingere potuit, ut nomini *Peccatoris* ſubſtitueretur nomen *Mercatoris* (t). Sed quomodo hæc probari poſſint, ſane ignoramus. Seligat prudens Lector opinionem, quæ libuerit. Nobis nulla ſufficienter eſt demonſtrata.

Ordo Collectionis explicatur.

Itaque ad ipſam Collectionem dilucidandam greſſum promoveamus. Qualis ſit ordo hujus Collectionis, & quænam in illa contineantur, ex ipſius Iſidori præfatione ſat ampla eidem præmiſſa colligere licet. Primam aciem tenent Apoſtolorum Canones 50, quales ſunt a Dionyſio Exiguo latine converſi: Sequuntur *deinde* (liceat ipſius Iſidori verbis uti) *quarumdam epiſtolarum decreta Apoſtolicorum id eſt Clementis, Anacleti, Evariſti, & cæterorum Apoſtolicorum, quas hactenus reperire licuit. Poſtmodum Nicænam Synodum conſtituimus propter authoritatem ejusdem magni Concilii, deinceps diverſorum Conciliorum Græcorum ac Latinorum, ſive, quæ antea, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum, ac temporum, capitulis ſuis diſtincta, ſub hujus voluminis aſpectu collocavimus, ſubjicientes etiam reliqua decreta Præſulum Romanorum, usque ad S. Gregorium, & quasdam epiſtolas ipſius, in quibus pro culmine Sedis Apoſtolicæ non impar Conciliorum extat authoritas.* Pergit dein Iſidorus recenſere ea omnia, quæ his verbis inſinuare voluit, ſuper quibus videatur Van-Eſpen, qui ulteriora Iſidori verba proſequitur.

Epiſtolæ Pontificum reddunt hanc Collectionem odioſam.

Quod autem hanc Collectionem ſuſpectam, odioſam & inimicam reddit, ſunt epiſtolæ Pontificum, quas Iſidorus huic ſuæ Collectioni inſeruit, quippe quas velut ſuppoſititias, adulterinas, & confictas eſſe plerique hodierni Scriptores aſſerunt, eſto in continua quaſi poſſeſſione per VI. circiter Sæcula perſtiterint. Sunt autem duplicis generis epiſtolæ diſcernendæ; illæ nempe antiquæ a Clemente I. usque ad Siricium Pontificem; & reliquæ a Siricio usque ad Gregorium Magnum: Priores ſunt ſequentes: Clementis I. quinque, Evariſti duæ, Alexandri I. tres, Sixti I. epiſtolæ duæ, Teleſphori una, Hygini duæ, Pii I. quatuor, Aniceti una, Soteris duæ, Eleutherii una, Victoris quatuor, Zephyrini duæ, Calliſti duæ, Urbani una, Pontiani duæ, Anteri una, Fabiani tres, Cornelii duæ, Lucii una, Stephani duæ, Sixti II. duæ, Felicis

Quædam earum genuinæ, quædam ſpuriæ.

(r) Vid. Douiat loc. cit. ubi hanc opinionem fuſiori calamo refellit.

(s) Conſtat id ex Conciliis Turonenſi. I. Pariſienſi III.

(t) Van-Eſpen Part. 4. cap. 1.

Felicis tres, Eutychiani duæ, Caji una, Marcellini duæ, Marcelli duæ, Eusebii tres, Melchiadis una, & altera sub nomine ejusdem Pontificis *de primitiva Ecclesia, & munificentia Constantini M. erga eandem,* quæ dici solet *Donatio Constantini.* Posteriores epistolæ, nempe subsequentium Pontificum sunt Anastasii I., Innocentii I., Zosimi, Bonifacii I., Cœlestini I., Sixti III., Leonis I., Hilarii, cæterorumque Pontificum usque ad Gregorium I.

Atque illæ prioris generis epistolæ a Clemente I. usque ad Siricium sunt, quæ tantum in Ecclesia excitarunt incendium, & in causa fuerunt, ut mox ab initio, quo hæc Collectio in Gallia innotuit, hanc Collectionem recipere Galli dedignarentur. Ab illo autem ævo, quo Nicolaus I. hanc Collectionem approbavit, illiusque receptionem miris modis promovit, in possessione nunquam interrupta steterunt, ac pro genuinis a Viris & Doctoribus celeberrimis fuerunt habitæ. Verum enim vero Sæculo elapso, ubi Lutherani & Calvinistæ omnem moverunt lapidem, ut venerandæ antiquitatis monumenta, quibus dogmata & Ecclesiæ disciplina suæ prætensæ Reformationi contraria asserebantur, vel supposititia, vel dubiæ fidei redderent, aut ad alium, quam Ecclesia hactenus crediderat, sensum detorquerent, in has etiam epistolas violentas manus injecerunt, existimantes, ferme omne argumentorum armamentarium Catholicis ereptum iri, si has epistolas supposititias probarent. Atque inter cæteros Centuriatores Magdeburgenses famosi prætensæ Religionis reformatæ Antesignani hisce Decretalibus bellum indixerunt, & ingenti argumentorum vi illarum authentiam expugnare contenderunt, quibus se nonnulli Doctores Catholici vehementer opposuerunt, quos inter ferme præcipuus fuit Franciscus Turrianus celebris S. J. Theologus. At fieri non potuit, quin alii etiam Doctores Catholici, qui seposito præjudicio ex tot sæculorum possessione ingesto rem serio secundum accuratiores critices regulas expenderunt, & utriusque sententiæ argumenta æqua lance ponderarunt, in Magdeburgensium castra abirent, illud maxime secum reputantes, ex harum epistolarum authoritate fidem Ecclesiæ neutiquam labefactatum iri: dum alia innumera, eaque indubia monumenta prostant, quibus Ecclesia, Religio, & fides sustentari posset. Aut fortassis nobis opprobrio cessurum, ac Religioni nocivum fore existimamus, si in rebus adiaphoris, fidem neutiquam concernentibus, doctrinas Acatholicorum adoptemus? Quare ergo antiqui Patres Ecclesiæ Stoam, & Platonismum secuti sunt? quare principia Stoica & Aristotelica ad explananda dogmata fidei in subsidium assumpserunt? Id sane nostris

Epistolæ hæ a tempore Nicolai I. in sua possessione steterunt.

Sæculo elapso Sectarii eas suspectas reddiderunt.

Præcipue Centuriatores Magdeburgenses.

Hisce se adjunxerunt sinceriores Catholici.

Sine ullo detrimento rei Catholicæ.

temporibus sæpissime fieri consuevit, ut ea omnia aspernemur, vilipendamus, & execremur, quæ ex calamo cujuscunque Acatholici fluxerunt, fingentes nobis periculum, ubi non est timor: quasi vero id genus hominum omnis intellectus, omnis honestas animi, omnis amor veritatis deseruerit. Illud etiam prætereundum non est, quod eo ipso Religionem & Ecclesiam nostram periclitari faciamus, si ad illius veritatem defendendam, Ecclesiæ authoritatem sustentandam monumenta incerta, dubia, suppositionis periculo obnoxia adoptemus.

Sed nec posterioris generis epistolæ ab omni censura immunes sunt. In his etiam imposturam, dolum, fraudem & flagitium deprehendit celeberrimus Coustant (u). Priusquam excutiamus, utrum priores illæ antiquorum Pontificum epistolæ sinceræ sint, ac genuinæ; vel magis suppostitiæ, fictæ, adulterinæ, juvabit judicium sapientissimum mox citati Coustantii de omnibus hisce epistolis apponere. Verba illius sunt valde gravia & prægnantissima, & sic habent: *De Isidori Collectione non una est hujus ævi hominum sententia, nec una etiam hallucinatio. Sunt qui nullum in ea monimentum videant genuinum, sunt & qui nullum e contrario subdititium esse prætendant. Utrique oppido peccant aut laudatione, aut censura.* Et post pauca: *Pontificum literas a Clemente usque ad Gregorium M. collegit Isidorus: Genuinas quotquot reperit, aut non edidit integras, aut suis interpolavit figmentis. Adulterinas vero plures confinxit: ejus itaque Collectionem vere dixeris genuinorum interpolatorum, subditorumque monimentorum congeriem. En paucis rem probamus: spuriis epistolis, quas Siricii Antecessorum nominibus cohonestavit, sinceras duas Damasi admiscuit: sinceris vero ejusdem Papæ Successorum spurias iterum intexuit non paucas: Anastasio I. duas affinxit; unam Innocentio I.; Leoni unam; dein Symacho duo Decreta Synodica, ut Ennodii literas omittam duas huic Papæ adscriptas. Postea laxatis quasi habenis audendi modum sibi non fecit. Testes sunt Joannes I. II. III. Felix III. Testes Bonifacius II. Agapetus, Silverius, Pelagius I. & II., ac Benedictus, quorum authoritate & nomine est abusus, suis ut fabulis decus & honestamentum conciliaret. Neque intra hos limites stetit injuria. Vera cum falsis permiscuisse non contentus, vera ipsa, quod gravioris flagitii est, partim interpolando, partim augendo minuendove fœdavit.* En judicium sapientissimi Viri de hisce utriusque generis epistolis, cui etiam nos accedimus, & quæ communius pro demonstranda falsitate epistolarum Pontificiarum a Clemente usque ad Siricium afferri consueverunt, argumenta paucis adducimus.

Judicium sapientissimum & notatu dignissimum Petri Coustant de his epistolis.

Quo-

(u) In præfat. ad epist. part. II.

Quorum primum est negativum, quod illæ epistolæ ad Sæc. usque IX. fuerint ignotæ, incognitæ, a nemine Authorum & Scriptorum, qui omni cura, industria, ac solicitudine antiqua documenta conquisierunt, sicuti Eusebius & Hieronymus, citatæ, laudatæ: ubinam ergo delituerunt, ubinam inventæ? an in scriniis Pontificum? sed quomodo fieri potuit, ut illas Dionysius, qui Romæ commorabatur, cui liber fuit accessus ad archivium Pontificium non invenerit; econtra alius ignotus Author extraneus, peregrinus, alterius nationis, qui probabilius Romam nunquam vidit, nunquam in Archivium Romanum pedem posuit, & probabilius impostor est, illas extraxerit? num existimamus, quod Pontifices illas non divulgassent in publicum, si in rerum natura extitissent? quippe quæ ad authoritatem Pontificiam stabiliendam amplificandamque plurimum ponderis haberent.

Falsitas earum argumento negativo demonstratur.

Alterum Argumentum, quod nobis semper maximum visum est, in eo consistit, quod hæ epistolæ referant plura aperte falsa, quæ cum veritate & disciplina ecclesiastica nullo modo combinari possunt: ut enim nihil dicamus, quod in iis, & quidem in epistola Clementis S. Jacobo inscripta mentio fiat de vestibus sacerdotalibus, pallis, vasis sacris, calicibus, quæ ævo apostolico fuisse in usu nemo facile sibi persuaserit; item de Metropolitanis, Patriarchis, Apocrisiariis, quorum ne quidem nomina tunc erant in usu Ecclesiæ, in his epistolis, quod præcipuum in hac causa est, in his inquam epistolis agitur de causis majoribus Pontifici reservatis, de Appellationibus ad Romanum Pontificem, de Synodis particularibus: item asseritur, quod nullus Episcopus vel Metropolita Synodum particularem convocare possit sine licentia Romani Pontificis; quod causæ majores sint deferendæ ad Sedem Apostolicam. Quæso quis hæc combinare valeat cum disciplina veteris Ecclesiæ? ex qua scimus, quod Synodi particulares fuerint frequentissimæ, imo ex præscripto Concilii Nicæni singulis annis bis haberi debuerint. In his causæ majores decisæ, quin a sententia Synodi vel appellatum fuerit, vel appellare licuerit. Quis ignorat, quantos tumultus in Ecclesia excitaverint hæ appellationes? ubinam legitur, quod vel unquam Episcopi vel potius Metropolitæ facultatem celebrandi Synodos a Pontifice efflagitaverint, appellationes ad Pontifices factæ fuerint, ipsi Pontifices causas majores sibi reservaverint? hæc profecto & plura alia epistolas has de apertissima suppositione ac falsitate convincunt. Sane imperceptibile est, qua arte fieri potuerit, ut cum Patres & Synodi alias Pontificum epistolas citaverint, laudaverint, harum ne unam quidem isto honore fuerint dignati, quas tamen ob suam antiquita-

Continent plura falsa cum disciplina Ecclesiæ veteris incombinabilia.

Nullibi vel a Synodis, vel Patribus laudatæ, quod mirum est.

quitatem, & authoritatem summo in pretio, ac instar pretiosissimi thesauri habere oportuisset. Res mira, quod tot in Synodis ad dirimendas disciplinæ controversias habitis, tot in historiis, actis, monimentisque publicis ad perpetuandam rerum ecclesiasticarum memoriam conscriptis nulla earum vel levissima deprehendantur vestigia, neque ad illas fuerit provocatum, tunc etiam, quando opportunissima ad illas provocandi occasio fuit! Quid ad stabiliendas appellationes ad Romanum Pontificem contra Orientales non tantum sed etiam Africanos opportunius afferri potuisset, quam hæ Epistolæ? Et tamen nec in Concilio Nicæno, nec Sardicensi, nec in controversia cum Africanis in Concilio Carthaginensi tanta animorum contentione agitata Romani Pontifices ad illas provocaverunt. Tantum sub sæculi noni initia prodiere in lucem, non particulatim, & ex intervallo, sed uno mane, & simul conjunctæ; non in omnibus statim Ecclesiis, sed in una primum, & deinde in alia, sic tamen, ut brevi per orbem Christianum diffusæ dominatum obtinuerint. Unde autem illarum oblivio tam diuturna, unde tam repentina productio? Evanuisse statim in suo ortu, ac dein ab Isidoro homine ignoto, nullius nominis quasi e tumulo excitatas esse nemo credat, nisi qui Pontifices Romanos non novit, quorum in servandis Decessorum suorum constitutis quam accurata, tam constans fuit diligentia.

Sæculo nono prodierunt in lucem.

Accedunt alia argumenta, quæ tamen tanti roboris esse non videntur, Stylus barbarus, impurus, erroribus & solœcismis plenus, falsæ notæ, loca Scripturæ perperam citata ex versione Hieronymiana, quæ nondum extitit. Hæc sane & his similia argumenta tanti videntur ferme omnibus Viris doctioribus ævi nostri, illis etiam, qui cæteroquin sedi Pontificiæ sunt addictissimi, jurium Pontificiorum conservandorum studiosissimi, & nihil non agunt, ut Pontificis authoritatem mirum in modum extollant, ut illorum patrocinium assumere non audeant. Qualis & quantus Jurium Pontificiorum vindex fuerit Cardin. Bellarminus, nemo ignorat, & tamen candide fatetur, quod has epistolas *indubitatas esse affirmare non audeat.* Quid de Christiano Lupo, Labbeo, Papebrochio, Sirmondo, Petavio, & Doctoribus Galliæ ferme ad unum omnibus dicamus? quorum certe omnium testimonia singularem considerationem, & omnino legi merentur. Nobis ea proferre rerum circumstantiæ non permittunt.

Doctores sedi Pontificiæ addictissimi illas amplius defendere vix audent.

Itaque miramur, quod unus alterve studio excessivo defendendæ authoritatis Pontificiæ illectus propter authoritatem unius alteriusve Doctoris purpura cardinalitia rubentis pro epistolarum harum authentia quasi

Argumentum a possessione & præscriptione petitum in hac materia exigui est momenti.

quasi pro aris & focis dimicare audeat. Neque licebit hisce Authoribus ad possessionem continuam, ad præscriptionem, usucapionem completam, immemorialem, sexcentenariam provocare: hæc enim quantum valeat in quæstionibus pure historicis, tunc potissimum, quando vitiosum initium, mala fides & possessio injusta ostendi valet, nemo sane ignorat. Impostorem fuisse harum epistolarum consarcinatorem, & hoc ipso mala fide, dolo, fraude egisse hactenus demonstratum est. Vehementer & constanter illarum receptioni se se opposuerunt Galli: sed tandem authoritati Nicolai I., illiusque Successoribus acceptationem urgentibus cedendum fuit: & hoc modo possessionem ab initio turbulentam; postea vero & successu temporis quietam obtinuerunt. Nullam sane valere possessionem, nullam præscriptionem, nullam usucapionem ex communibus Juris regulis scimus, si de illius pessimo initio constet. Quot non habemus opiniones antiquatas, quæ olim ingenti cum applausu defensæ, nunc vero temporis e solio suæ authoritatis jure optimo dejectæ, detrusæ sunt, & exauthoratæ?

Proscriptio harum epistolarum Ecclesiæ nentiquam est præjudiciosa.

Neque existiment Doctores, ex harum epistolarum proscriptione Ecclesiæ generari præjudicium: quantum enim præjudicium illæ attulerint Ecclesiæ, ex supra citato Petro Coustantio discant, cujus verba referre operæ pretium duximus: *Porro hac fraude*, ait, *quam sit perniciose de Ecclesia meritus, dici vix potest: hinc debilitati penitus, fractique disciplinæ nervi, perturbata Episcoporum jura, sublatæ judiciorum leges, aut miserum saltem in modum afflictæ. Hinc discordiarum, seditionum ac litium seges immensa, quæ tot sæculis ad Ecclesiæ dedecus, fideliumque offensionem fruticavit. Neque id solum, sed alienæ etiam communionis hominibus aperta ingens ad calumniam fenestra. Cum enim putida tot scripta mendacii insimulare promptum esset, ac re quidem vera insimularent ipsi, convincerentque, gradum inde ad genuina in dubium vocanda fecerunt. Errorem, ut par erat, refellere parum contenti in veritatem ipsam involarunt. Exprobrata Catholicis nimia credulitas, fuco falsi adspersa sapientissima decreta, sanctiores ritus explosi, rejecta sine pudore ac modo fundatissima quæque Summorum Pontificum jura, aut certe ad tenuem exilemque umbram redacta &c.* Hæc ideo adducere placuit, ut æqui bonique rerum æstimatores videant, quantum intersit Ecclesiæ, ne illius authoritatem dubiis superædificemus fundamentis.

Non omnes epistolæ sunt spuriæ.

Duo adhuc animadvertenda, quorum primum, quod hactenus dicta non sint intelligenda de omnibus epistolis: Sunt enim earum quædam, de quarum authentia aperte constat, quales sunt potissimum sequentes: S. Cornelii, quæ extat inter opera S. Cypriani, Julii I. a S. A-

 thanasio

thanasio in Apologia II. laudatæ; Liberii a S. Hieronymo inter fragmenta recensitæ; & duæ Damasi, una ad Paulinum Antiochenum, & altera ad Illyrii Episcopos exaratæ.

Alterum est, quod Author hujus Collectionis ne quidem ab adulterandis epistolis posteriorum Pontificum manus abstinuerit, falsas illis affinxerit, veras corruperit, quemadmodum fusius demonstrat sæpe laudatus Coustant.

De receptione & authoritate hujus collectionis.

Reliquum est, ut de receptione & authoritate hujus Collectionis agamus. Auspicemur ab Ecclesia Romana. Utrum illa ante medium Sæc. IX. nota vel incognita, multo magis, an ad normam legis recepta fuerit, jure optimo vocatur in dubium: Quippe quod Leo IV., cujus mors incidit in annum 847. eam tacite præterierit, quando in epistola ad Episcopos Britanniæ data recenset omnes Constitutiones Apostolicas, secundum quas ex more recepto tunc causæ ecclesiasticæ in judiciis terminandæ erant (x). Ex quo iterum manifestum fit argumentum, illas nondum in Apostolicæ Sedis scrinia fuisse relatas, usque tunc incognitas, multo minus usu fuisse receptas. Hujus infallibile testimonium præbet ipse Nicolaus I. dictæ Collectionis Promotor sane primus, & præcipuus, qui, dum Galli eandem recipere dedignabantur, & in epistola ad illos exarata pro illius susceptione vehementer instabat, libere fassus est, illam nondum in Codicem Ecclesiæ Romanæ esse relatam, atque Gallos hoc argumento urgebat: quod, licet Scripturæ sacræ in eo non extent, nihilominus omni reverentia sint recipiendæ (y). Itaque tempore Nicolai I. potissimum Romæ inclarescere cœpit hæc Collectio, cujus receptionem præfatus Pontifex mirum in modum, præcipue apud Gallos urgebat, ut adeo vix dubium superesse valeat, quod a tempore Nicolai in Ecclesia Romana authoritatem & usum summum obtinuerit.

In Ecclesia Romana tempore Nicolai I. authoritatem obtinuerunt.

In Gallia ægerrime fuerunt admissæ.

Quid in Gallia actum sit, ex dictis colligendum est. Attulerat primus hanc Collectionem Riculfus Moguntinus, & rem eo deduxit, ut eidem multum honoris attributum, & ex ea multa decreta Capitularibus Francorum inserta (z) neutiquam tamen in vim legis, & in censum canonum a Gallis fuerint relata. Testis hujus est Hincmarus, qui Hinc-

(x) Epistolam refert Baronius ad annum 855. subjungens: *Vides, hactenus non usu receptas epistolas illas, quæ ante Sylvestrum diversorum feruntur Romanorum Pontificum, ab Isidoro collecta.*

(y) Epist. 42. quam fusius refert Hincmarus infra citandus.

(z) Petrus de Marca lib. 3. cap. 5.

Hincmarum Laudunensem graviter reprehendit, quod ex epistolis huic Collectioni insertis Collectionem privatam ad usus suæ Ecclesiæ consuerit (a). Hæc res ubi ad aures Nicolai I. pervenerat, gravem scripsit epistolam ad Episcopos Galliæ Anno 865., & receptionem Collectionis Isidorianæ modis, quibus poterat, omnibus urgebat, atque Gallorum argumenta refellere omni conatu contendebat (b). Sed incassum: Insistebant Galli suis antiquis juribus etiam post obitum Nicolai I., quando de judiciis Episcoporum & authoritate Synodorum Provincialium cum Hadriano II., & Joanne VIII. disceptabant, neque persuaderi poterant, ut collectionem a se hactenus explosam reciperent, & a rigore antiquorum canonum recederent. Cur autem Nicolaus tanta contentione exegerit a Gallis, ut his epistolis in censum canonum admittendis se faciles præberent; ipsi vero tam constanter antiquis suis canonibus inhæserint, hæc una ratio, teste Petro de Marca (c) Nicolao persuasit, ut nempe Episcopos Romanæ Sedi *sine medio* subjiceret: nam adhuc in Gallia vigebant Synodi Provinciales: has sine consensu Pontificis Galli celebrabant: in his pro suo arbitrio causas criminales cognoscebant, Episcopos deponebant, causas majores suo judicio independenter a Pontifice decidebant, id quod Pontificem ægre tulisse, persuadent ipsæ literæ ad Episcopos transmissæ (d). Tandem vero eo deventum est, ut tantis nominibus veterum Pontificum cesserint una cum Episcopis cæteris etiam Gallicanæ Ecclesiæ Rectores, qui in Concilio Rhemensi ab Hugone & Roberto Regibus Francorum anno 992. coacto Anacleti, Julii, Damasi, aliorumque Pontificum epistolas in decidenda causa Arnulphi adhibuerunt, & in censum suorum canonum receperunt. Ab eo tempore Collectores canonum Burchardus Wormatiensis, Ivo Carnotensis, Gratianus consarcinatas ab Isidoro epistolas seu integras, seu truncatas, prout ipsis visum fuerat, suis codicibus inseruerunt: unde factum est, ut hæc collectio in summam ubivis terrarum authoritatem ascenderit, atque in Germania etiam obtinuerit, tunc præcipue, quando Burchardus Wormatiensis suam collectionem in lucem publicam emisit, quæ aliunde maximæ apud Germanos, quorum erat

Et quare?

Tandem a Gallis & Germanis recepta.

(a) Opusc. adversum Laudunensem cap. 24. & 25.

(b) Hujus argumenta mox antea attigimus, & videri possunt in cit. Epist. 42. quam refert Hincmarus & Petrus de Marca loc. cit.

(c) Petrus de Marca lib. 3. cap. 6. Douiat. lib. 3. cap. 20.

(d) Verba Nicolai sic habent: *Etsi sedem Apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen & tanta vos decretalia efferre statuta, & Episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis.*

Exinde crevit authoritas Pontificum. erat Episcopus, authoritatis fuit. Inde ulterius consequebatur, quod cessantibus Synodis Provincialibus quamplurimæ causæ & appellationes ad sedem Romanam fuerint devolutæ, & hac ratione Authoritas Pontificia mira incrementa cum restrictione non modica jurisdictionis Episcoporum acceperit. Atque hæc de celeberrima hac collectione Pseudo-Isidoriana dicta sufficiant.

§. VII.

Pœnitentiale Halitgarii. Plura in præcedentibus recensuimus Pœnitentialia. Occurrit hic breviter dilucidandum Pœnitentiale Halitgarii Episcopi Cameracensis, qui adhortante Ebbone Archiepiscopo Rhemensi librum pœnitentialem scripsit, cui etiam multa alia ad disciplinam ecclesiasticam pertinentia immiscuit. Erat Halitgarius amicus Ebbonis, & socius itineris, quocum in Daniam prædicandi Evangelii causa profectus est: inde reversus munere legati functus fuerat ad Michaëlem Imperatorem Orientis, quorsum Ludovicus Pius ipsum miserat. Opus suum compilavit circa annum 824. illudque divisit in quinque capita, in quorum primo per 12. capita de vitiis & remediis contra illa; secundo per 10. capita de virtutibus; tertio per 16. capita de regulis pœnitentiæ; quarto per 34. capita de pœnitentia laicorum; & quinto per 19. capita de pœnitentia Clericorum agit. Addunt aliqui librum sextum: quia vero in antiquioribus exemplaribus quinque duntaxat libri reperti sunt, & ipse Halitgarius de se testatur, quod libros quinque composuerit, in eam aliqui sententiam se induci patiebantur, ut crederent, librum illum sextum esse antiquum Pœnitentiale Romanum ab Halitgario ex archivio Romano descriptum. At vero probant accuratiores Historici, pœnitentiale Romanum non esse adeo antiquum, post tempora Halitgarii collectum, Rabano Mauro coævum, aut certe eo ævo per appendices auctum. Hoc solum addendum, quod opus istud Halitgarii inter libros Rabani Mauri reperiatur, & propterea quidam Scriptores illud Rabano adscripserint, de quo infra.

De libris pœnitentialibus agit Morinus. Qui plures libros pœnitentiales legere vult, legat Joannem Morinum, qui solicite illos omnes conquisivit (e), ac inde ducit argumentum, quod ferme omnes Episcopi in suis Diœcesibus habuerint suos peculiares libros pœnitentiales, qui pro regulis indicendæ pœnitentiæ essent.

Canones pœnitentiales distinguuntur a libris pœnitentialibus. Cum libris pœnitentialibus confundi non debent *Canones pœnitentiales*, quales leguntur ad calcem Decreti Gratianei, qui sunt desumpti ex summa Astensi (f): nam ipsi canones sunt desumpti ex epistolis canonicis antiquorum Patrum, & simpliciter tradunt, quid liceat,

(e) In Additamentis ad tract. de administ. Sacram. Pœnit.

(f) Vid. Douiat. lib. 3. cap. 32.

ceat, & quid non liceat, & quæ pro unoquoque peccato ſecundum aliquam epiſtolam vel librum ſtatuta ſit pœnitentia: libri vero pœnitentiales plures in eandem rem congerunt authoritates, quibus pœnæ illæ adſtruuntur, & communius preces imponendæ pœnitentiæ, ac dandæ abſolutionis adjiciunt.

§. VIII.

De libris Rabani Mauri.

Aliquoties mentionem fecimus Viri literatiſſimi, ac ſanctiſſimi Rabani Mauri, qui fuit diſcipulus Alcuini Scriptoris celeberrimi (g), Monachus & Abbas Fuldenſis, ac ultimo Archiepiſcopus Moguntinus renuntiatus. Præter alia ſcripſit tria opera, quorum primum inſcribitur: *Libri tres de Clericorum inſtitutione, & cæremoniis Eccleſiæ e vetere & novo teſtamento ad Haiſtulphum Archiepiſcopum.* In quorum primo, qui conſtat 33. capitibus, tractat de tribus Ordinibus laicis, Monachis, & Clericis, & horum diverſis gradibus; in ſecundo per 58. capita de officiis, & precibus Canonicorum, pœnitentia, lytaniis, jejuniis &c.; in tertio per 39. capita de ſtudiis Clericorum, doctrina, & methodo docendi &c. Item *de ſacris Ordinibus, Sacramentis divinis, & veſtimentis ſacerdotalibus.* Alterum *de ſacris Ordinibus, Sacramentis divinis, & veſtimentis ſacerdotalibus*: Conſtat 39. capitibus: attamen in Abbatia Fuldenſi duntaxat 19. capita ſunt reperta. Tertium inſcribitur de *Diſciplina eccleſiaſtica*, & continet tres libros, quibus magis de rebus fidei, quam diſciplinaribus agit. Opus præcipuum Rabani huc ſpectans eſt *liber pœnitentialis ex Canonicis Conſtitutionibus.* Ajunt, hunc librum ab ipſo fuiſſe ſcriptum, dum adhuc Abbatem agebat anno 841. poſtea ad Heribaldum transmiſſum an. 853. vel 854. dum jam Archiepiſcopatum Moguntinum tenebat. Verum de hoc multum diſceptatur, quemadmodum de *quæſtionibus* canonum pœnitentialium &c. videantur Scriptores (h).

§. IX.

Opera Hincmari Rhemenſis.

Inter Viros ſuo ævo celeberrimos, & doctrina ſpectatiſſimos facile præcipuus erat Hincmarus poſtea Archiepiſcopus Rhemenſis. Hic ex illuſtriſſimis natalibus progenitus anno 801. primos vitæ annos nunc inter Canonicos, nunc Monachos, nunc in aula regia tranſigebat, usque

(g) Optat orbis literarius univerſus, ut opera Alcuini brevi lucem publicam ſub cura Benedictini literatiſſimi aſpiciant, quorum nuper admodum conſpectum vidimus.

(h) Vid. Pertſchius loc. ſæpius cit. pag. 178.

quedum cathedram Archiepiscopalem conscenderit. Scripsit opera plura, quæ Jacobus Sirmondus anno 1645. in duos Tomos divisa per typum orbi literario communicavit (i). Hic cum esset sacrorum canonum ac disciplinæ ecclesiasticæ peritissimus, plura sub nomine eo tempore communissimo *Capitulorum* ad informandum Clerum suum apprime utilia conscripsit. Atque de his, utpote quæ sola aut saltem præcipue ad scopum nostrum facere videntur, paucis dispiciendum. Prima sua capitula numero 17. ad instar regularum & instructionum ad suos Clericos scripsit anno 852.: paulo post addidit 26. alia, & iterum anno 857. adjecit 3. Post Synodum Rhemensem anno 874. celebratam 5. alia, ac demum 13. Capitula pro suis Archidiaconis. Hæc capitula sunt maximæ sane æstimationis, utpote in quibus quamplurima continentur, quæ disciplinam ecclesiasticam illius ævi, ritus & ceremonias mire illustrant, & præcipue pro instructione Clericorum faciunt. Brevem illorum Exegesin legere licebit in Pertschio (k).

Collectio Capitularium Isaaci Lingoniensis.

Aliam Collectionem Capitulorum habemus Authore Isaaco Lingoniensi, qui vixit post medium Sæculi IX. Opus suum divisit in titulos undecim; & hos iterum in diversa capita. Pleraque hausit ex tribus libris Capitulorum, quæ Benedictus Diaconus Moguntinus collectioni Capitularium ab Ansegiso Abbate adornatæ superaddidit.

Herardi Turonensis.

Hujusmodi Capitula numero 140. debemus etiam Herardo Turonensi Archiepiscopo, quæ suo Clero observanda in quadam Synodo a se anno 858. celebrata proposuit, & potissimum ex variis Conciliis, & Capitularibus Francorum sunt deprompta. Inter hæc speciali mentione dignum est Capitulare 61. in quo leguntur diversa festa præcipua eaque non pauca, quorum celebratio præcipitur (l).

Gualteri Aurelianensis.

Aliam Collectionem Capitularium debemus Gualtero Episcopo Aurelianensi, quam Ludovicus Cellotius S. J. Vir admodum celebris in lucem edidit, & notis illustravit. Continet Capitula 24., in quibus Archidiaconis regulæ in Visitationibus observandæ; cæteris Clericis præcepta bene vivendi; omnibus & singulis certæ festivitates celebrandæ præcipiuntur. Plurima ex parte hæc Capitularia sunt excerpta ex Capitularibus Francorum, Synodo Nicæna, constitutionibus Apostolicis, Capitularibus Hincmari, & Herardi. Alia

(i) In hac editione non omnia Hincmari opera reperiuntur. Quædam adhuc alia videre est in collectione Conciliorum, & in Spicilegio D'Acherii.

(k) Loc. cit. pag. 182.

(l) Nominatim festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, SS. Innocentum, Octava Domini, festum Apparitionis, Purificationis, Assumptionis, Ascensionis, Pentecostes & plura alia.

Theodulfi Aurelianensis. Alia adhuc circumfertur Collectio Capitularium, cujus nec tempus, nec Authorem esse notum non pauci existimant. Rebus tamen melius inspectis compertum fuit, illam esse meram copiam Capitularium Theodulfi Episcopi Aurelianensis, hoc solo cum discrimine descriptam, quod Collectio Theodulfi 46.; hæc autem 45. contineat. Etsi hæ Collectiones exigui pretii esse videri possint, securos tamen reddo Lectores, & rerum historicarum peritiores, in iis quamplurima eaque sane utilissima, & ad res historicas medii ævi illustrandas summe necessaria comprehendi. Præcipue autem in illis multa de Chorepiscopis, de Electionibus, & ordinationibus Clericorum, de celebratione festorum continentur, præter regulas, ordinationes, & præcepta, quæ Clericis, Archidiaconis, aliisque Officialibus præscribuntur.

§. X.

Collectio Reginonis Prumiensis. Inter cæteros medii ævi Scriptores, qui rem literariam Germaniæ exornarunt, Patriæ suæ haud exigua gloriæ ornamenta attulerunt, ac Ecclesiæ Catholicæ utiliores operas locarunt, jure meritissimo numerandus venit Regino Abbas Monasterii Benedictini Prumiensis Archidiœceseos Trevirensis, qui æmulorum artibus cedere coactus, Richardo Successore relicto, Treviros migravit, ubi in celeberrimo Monasterio S. Maximini vitam egit reliquam, hortatu & jussu Radbodi Archiepiscopi Trevirensis Collectionem canonum sub titulo de ecclesiasticis Disciplinis & Religione Catholica ad usum præfati Archiepiscopi, ac totius Archidiœceseos composuit, & circa finem Sæculi IX., vel initium decimi anno 906. adornavit. Usus est Regino in cudendo hoc Opusculo non vulgari artificio, & ad exemplum Martini Bracarensis opus suum divisit in duos libros, in quorum primo, quod 443. capitibus constat, tractat de rebus & personis ecclesiasticis; in secundo, quod continet capita 446. de vita & conversatione Laicorum. *Continet formulam Inquisitionis.* In fronte primi libri ponitur *formula Inquisitionis*, secundum quam Episcopis procedendum in causis Clericorum; ad initium autem Libri secundi *Inquisitio* in causis Laicorum observanda: Nam moris erat tunc temporis, ut Presbyteri, quibus cura animarum erat demandata, semel in anno Episcopo, ejusque Ministris suæ villicationis rationem redderent. *Et qualem?* Quoniam vero magna erat ruditas temporum, & ignorantia Clericorum, visum fuit illis quoddam brevissimum Breviarium componere, ut, qua arte ipsis sit procedendum in causis Inquisitionum, docerentur. Talis Inquisitionis formula illa fuisse videtur *Admonitio*, quæ sub nomine Leonis IV. extat Tom. 8. Conciliorum, & singulares vivendi & docendi regulas ecclesiasticas complectitur. Hæc admonitionis formula usum habuit tam in Synodis, quam

Hæc Collectio ex Synodis, Patribus, Codice Theodosiano, Capitularibus Francorum, legibus Burgundiorum &c. congesta.

in visitationibus obeundis, & secundum hanc inquirendum erat in vitam & mores tam Clericorum, quam Laicorum (m). Atque ut Regino interrogationibus in inquisitione faciendis majus robur conciliaret, illas authoritate canonum, ordinationum episcopalium, doctrinarum Ecclesiæ, ac ipsarum etiam legum civilium stabilire contendit. Ex Synodis præter canones Synodorum Orientis, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ canones Synodorum Germaniæ sedulo collegit. Ex epistolis Pontificum adhibuit illas, quæ a Siricio usque ad Hormisdam fuerunt scriptæ, & rarissime ad epistolas spurias Pseudo-Isidorianas provocavit: quod sane argumento est, Reginonem illas parvi, vel pro suspectis habuisse. Ex Patribus prælegit doctrinas, & libros Basilii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, Cassiani, Ferrandi, Fructuosi, Aureliani, Theodori, Bedæ, Rabani. Ex collectionibus legum civilium plura ex codice Theodosiano, ac præcipue ex capitularibus Francorum, nec non ex legibus Burgundiorum, & Ripuariorum deprompsit. Ex his facile constat, hanc collectionem maximi esse habendam, seque ipsam ex multis capitibus commendare.

Meretur singularem commendationem.

Commendat se, quod in ea referantur pleraque disciplinæ ecclesiasticæ capita; Item quod antiquiorem, & noviorem formulam procedendi in caussis Inquisitionis tam Clericorum, quam Laicorum fideliter & accurate describat, illam ex purioribus fontibus Conciliorum, præcipue epistolarum Pontificiarum, prætermissis Pseudo-Isidorianis compilaverit, canones Conciliorum Germaniæ sedulo collegerit, capitularia Cæsarum Germaniæ magna cum industria inseruerit, & ipse Collector primus omnium in Occidente fuerit, qui canonibus ecclesiasticis leges codicis Theodosiani, cum capitularibus Caroli Magni adjunxerit, ut adeo hæc Collectio jure optimo instar *Nomo-Canonis* valeat; ac denique quosdam etiam canones, qui hactenus vel latuerunt, vel erant deperditi, nobis reservaverit, quales sunt Concilii Triburiensis, & cujusdam Concilii Rothomagensis, quos Regino hinc inde citat, qui tamen in vulgatis editionibus non reperiuntur. Hos tamen esse genuinos & sinceros multis argumentis comprobari potest: quandoquidem non raro accidit, ut quædam monimenta vel casu perierint, vel sub Bibliothecarum pulveribus delituerint; in Collectorem vero utpote Virum probum, doctum, sincerum, & ultra modum sedulum nulla probabilis imposturæ vel doli, vel suppositionis suspicio cadere possit. Quid de accurata methodo, qua cæteris Collectoribus exemplo optimo præluxit, dicamus? siquidem Regino non modo ad exemplum Martini Bracarensis suam Collectionem in duos libros accurate divisit,

(m) Vid. Van-Espen part. 5. cap. 1.

visit, verum etiam canones, & instituta ecclesiastica sub distinctis rubricis collegit, qua dein methodo Burchardus, Ivo, & Gratianus incesserunt. Hæc Collectio, cum maxima ex parte in usum ecclesiarum Germanicarum compilata sit, mirum videri debet, quod Scriptores historiæ Germanicæ illius parciorem mentionem fecerint, illaque sub pulveribus Bibliothecarum tamdiu latuerit, donec Joachimus Hildebrandus Doctor Helmstadiensis anno 1659., & post ipsum Stephanus Baluzius 1671. illius editionem longe accuratiorem & ampliorem cum notis elegantissimis adornaverit. An, & qualem authoritatem, & usum hæc Collectio in Germania habuerit, non satis constat. *Illius editio.*

§. XI.

Alterum Germaniæ decus & ornamentum est Burchardus Wormatiensis natione Hassus, illustri Prosapia oriundus, qui Confluentiæ studiis vacavit; dein factus Monachus in monasterio Leobiensi Ord. S. Bened., &, ex aliquorum opinione Canonicus Leodiensis, Conrado Salico a studiis, ac ultimo Episcopus Wormatiensis factus fuit, atque Synodo Seeligenstadensi interfuit, cujus canones etiam suæ Collectioni adjunxit. Hic ergo, ut labentem Ecclesiæ disciplinam restauraret, & ignorantiæ Sæculi per omnem orbem grassanti remedium quæreret, *magnum Canonum volumen*, quod hodie ita per abusum ad exemplum forsan *Decreti* Gratiani vocatur, scripsit, ut adeo a Scriptoribus sui ævi haud immerito Restaurator *Juris Canonici* prædicetur. Ut hoc opus meditaretur, & in se susciperet, Authores fuere Waltherus Episcopus Spirensis, Brurrigo Præpositus Wormatiensis: & Olbertus quondam in Monasterio Leobiensi Burchardi Magister (n). Volumen istud constat 20. libris: unicuique libro suam particularem materiam Burchardus attribuit: singulorum librorum indicem & summam in fronte operis præmittit, quem legendum exhibet Van-Espen (o). Hoc unum dolendum, Burchardum pro Sæculi sui obscuritate & injuria temporum nullum habuisse scriptorum delectum, sed omnia, quæ suo scopo videbantur congruere, in unum congessisse, opusque suum multis apocryphis & falsis documentis implevisse. *Ea enim erat Sæculi, quo floruit Burchardus, miseria*, ait citat. Author, *ut authenticum crederetur, quidquid in Canonum, aut aliorum monumentorum Collectionibus inveniebatur.* *Collectio Burchardi Wormatiensis.* *Constat 20. libris.* *Continet plura apocrypha.*

In eo ergo peccavit Burchardus, quod fontes puriores non consuluerit, sed aquam putridam ex lacunis hauserit. Nempe quidquid canonum, epistolarum, doctrinarum suæ Collectioni inseruit, id omne

 ferme

(n) Ita refert ipse Burchardus in epistola operi suo præfixa.

(o) Part. 5. cap. 2.

ferme ex Collectionibus Isidori, & Reginonis hausit. Et quid mirum? Erat enim tunc temporis Collectio Pseudo-Isidoriana ingentis authoritatis, eidem tanquam Evangelio novo assurgebatur, paucis admodum suspecta, aut corrupta videbatur. Reginona fortassis etiam in usu Ecclesiæ aliquo saltem fuit: etiam hanc aggressus fuit Burchardus, nomen Authoris nihilominus altum siluit: num fortassis, ne hominibus plagiarius videretur, aut ut suo nomini majorem gloriam & famam compararet? sed absit, ut hæc & talia de Viro ab Ecclesia multum merito cogitemus. In eo tamen multum famæ & gloriæ cedere debet Reginoni, quod hic accuratiorem longe crisin habuerit, Collectionem illam Isidorianam cum ingenti moderamine & circumspectione adhibuerit, & admodum pauca in suos usus impenderit, dum Burchardus integram rerum farraginem suæ Collectioni immiscuit (p). Hinc factum, ut quemadmodum Burchardus neglectis fontibus rivulos & stagna consuluit, ita qui post Burchardum collectiones compilarunt, illius fidem secuti plurima ab ipso collecta in suas collectiones derivaverint.

Reginona est accuratior, quam hæc.

Vocatur magnum Canonum volumen.

Collectio hæc, sicut supra monuimus, dicitur *magnum Canonum volumen:* ex 20. Libris constat, & circa annum 1022. fuisse completa existimatur; nunquam tamen integra lucem publicam aspexit: etsi enim sub numero 20. Librorum Parisiis, & Coloniæ edita fuerit, fatentur nihilominus Scriptores, in hac editione vix sextam illius partem comprehendi; integrum vero opus adhuc in quibusdam Galliæ Bibliothecis asservari (q).

De illius authoritate satis non constat.

De illius authoritate per Germaniam & Galliam non satis constat. Illam non fuisse levem indubitanter asserit Boehmerus, atque id inde colligit, quod eodem Sæculo Ivo Carnotensis ad exemplum Burchardi simile opus molitus fuerit: utrum hæc conjectura alicujus sit momenti, æquus rerum Censor judicabit. Quid si Collectio Reginonis adhuc velut latuit, aut saltem nondum usu invaluit, & ambo Burchardus & Ivo palmam sibi præripere contenderunt?

§. XII.

Collectio Ivonis Carnotensis.

Reginonem & Burchardum presso pede sequitur Ivo, ante Canonicus, postea Episcopus Carnotensis, qui suam ecclesiam ab anno 1090, vel 1092. rexit ad annum usque 1115, vel 1117. Duplex sub ejus nomine extat Collectio Canonum, una quæ vulgo dicitur *Decretum Divi Ivonis Episcopi Carnotensis,* quam tamen ipse Ivo inscripsit in prologo sui operis: *Excerptiones ecclesiasticarum Regularum.* Atque hanc Collectionem

(p) Vid. Mastricht in Hist. Jur. Eccles. N. 254. ubi harum rerum seriem refert. Item Van-Espen loc. cit. (q) Pertschius loc. cit. pag. 197.

nem esse genuinum illus foetum, nemo, quantum saltem nobis constat, hactenus dubitavit. Opus istud est divisum in 17. partes. Accidit ex misera temporum conditione Ivoni, quod Burchardo: nam & ipse collectionem suam non ex fontibus, sed rivulis & stagnis, id est praecedentibus canonum Collectoribus, aut posteriorum temporum Scriptoribus collegit, & non pauca ex Burchardo mutuavit. Duo sunt singularia in hac Collectione, quae non reperiuntur in Burchardiana, quorum primum est, quod Ivo in parte secunda sui Decreti plures Conciliorum & sanctorum Patrum doctrinas ad hæresin Berengarianam per Ecclesiam tunc grassantem confutandam & ad confirmationem Dogmatis Catholici pro reali præsentia Christi collegerit. Alterum est, quod ipse primus fuerit, qui Jus Civile cum Jure Canonico conjunxit: quamvis enim Regino multa ex Codice Theodosiano suæ Collectioni inseruerit, nemo tamen anteriorum Collectorum in Occidente Jus Justineaneum cum Jure ecclesiastico permiscuisse legitur. Opus istud bina vice nempe Anno 1561, 1647. Lovanii una cum aliis illius Opellis fuit impressum, & in duos Tomos divisum. Hujus Epitomen legendam præbet Pertschius.

In quo differat a Burchardiana.

Ivo primus fuit, qui Jus Civile cum Canonico conjunxit.

Altera, quæ inscribitur Collectio Ivonis vocatur *Pannormia*: sed non convenit inter Scriptores, quisnam illius sit Author. Duplex dubitandi est ratio, quarum prima est, quod *Pannormia* eandem cum *Decreto* Præfationem habeat, quo factum, ut Viri eruditi non pauci crediderint non esse Ivonis opus, sed Hugonis cujusdam Catanaunensis, aut alterius incerti Authoris, quem *Decretum* Ivonis in compendium redegisse autumant, idque probare contendunt ex Vincentio Bellovacensi, qui refert, Hugonem ex volumine abbreviato Libellum portatilem composuisse, qui *Summa Decretorum Ivonis* appellatur. Altera est quod ad calcem Pannormiæ quædam Innocentii II. decreta descripta legantur: cum tamen ille Pontifex multis post obitum Ivonis annis cathedram Pontificiam conscenderit. Itaque Scriptores quidam hanc Pannorniam dicto Huberto; alii cuidam alteri ignoto Ivoni; & alii denique Hildeberto Archiepiscopo Turonensi attribuunt. Verum hæc argumenta tanti non sunt, ut Ivoni hæc collectio abnegari valeat: eo quod Scriptores antiquiores omnes, & hodierni plerique Ivonem pro Authore illius habeant, & illa Decreta Innocentii II. in antiquioribus exemplaribus omnibus non reperiantur: idcirco facile contingere potuit, ut manu quadam tertia adjecta sint. Istud ipsum argumentum probat, Hugonem illum neutiquam Pannormiæ Authorem dici posse: quia in dictis Codicibus *Pannormia* simpliciter *Pannormia*, vel non nunquam *Summa Decretorum Ivonis* vocatur, Itaque verosimillimum est, quod Ivo primitus suam Pannormiam composuerit, ac postea, dum illam ab orbe literario cum

Altera Ivonis Collectio vocatur Pannormia.

De authore hujus Collectionis dubitatur.

Vindicatur Ivoni.

cum applausu receptam conspexit, ingenii sui vires ad opus quoddam majus elaborandum intenderit. Pannormia hæc complectitur 8. partes, & primo typis fuit impressa Basileæ an. 1499. postea Lovanii 1557. De authoritate & usu hujus Collectionis admodum pauca reperire licuit.

De authoritate illius non constat.

§. XIII.

Referuntur Collectiones minus celebres.

Hucusque celebriores Juris ecclesiastici Collectiones recensuimus, & in quemdam ordinem redegimus. Superest, ut cæteras minus celebres, quæ circumferuntur, non nihil lustremus, & quibusdam notis ac animadversionibus illustremus. Sunt autem potissimum sequentes: Anselmi Lucensis, Gregorii VII, Cardinalis Presbyteri nomine Deusdedit, Gregorii Presbyteri, quæ *Polycarpus* dicitur, & Bernardi Papiensis *Populetum.*

Collectio Anselmi Lucensis.

Erat Anselmus patria Mantuanus, professione Monachus Benedictinus, & demum Episcopus Lucensis in Tuscia an. 1071. de quo referunt, quod ab Alexandro II. ad Imperatorem fuerit missus, ut Investituram per annulum & baculum tunc temporis consuetam peteret, hujus autem rei pœnitudine ductus relicto episcopatu in monasterium se abdiderit, dein a Gregorio VII. revocatus, acerrimus in defendendis juribus pontificiis ei adjutor fuerit. Id indigne ferens Henricus IV. Imperator suo ipsum episcopatu privavit, coegitque, ut se Mantuam reciperet, ubi vitam reliquam sanctissime vixit, obiitque & sepultus est Mantuæ 1086. Corpus illius adhuc incorruptum Mantuæ asservari scribunt. Huic ergo præter libros duos contra Guibertum Antipapam, & collectanea quædam adscribitur Collectio canonum, cujus titulus in Codice Romano sic habet: *Authentica & compendiosa Collectio regularum & sententiarum SS. Patrum, & authorabilium Conciliorum.* Constat hæc Collectio libris tredecim, & secundum exemplar quoddam antiquum duntaxat duodecim, quos quam brevissime recenset Douiat (r).

Dubitatur, an sit Anselmi.

Multum apud eruditos ambigitur, utrum hæc Collectio sit Anselmi? fundamentum dubitandi præbet, quod huic Collectioni inserta sint Decreta variorum Pontificum Anselmo longe posteriorum Urbani II., Paschalis &c. Verum quoniam id manu aliena fieri potuit, & factum esse creditur, eo quod constitutiones illæ in antiquioribus exemplaribus, nequidem in illo, quod Romæ in Vaticana Bibliotheca asservatur, reperiantur, non pauci eruditi illam adhuc Anselmo vindicant. Sunt etiam alii, qui eam Hildeberto Episcopo Cenomanensi, ac postea Archiepiscopo Turonensi adscribunt. Ut verum fateamur, difficulter ad quamcunque sententiam amplectendam adducimur: nam nec Sigebertus,

(r) Lib. 3. cap. 25.

bertus, nec Trithemius, qui Anselmi opera recensuerunt, hujus Collectionis mentionem faciunt.

Qualis, quantusque fuerit Pontifex, Gregorius VII., disciplinæ ecclesiasticæ Reformator zelosissimus, Jurium Pontificiorum vindex acerrimus, libertatis ecclesiasticæ Defensor imperterritus, res est in omni orbe notissima. Hic ille Pontifex, quem nigerrimis coloribus depingunt Scriptores Acatholici: ambitionis accusant intolerabilis, tyrannidis reum faciunt gravissimæ, execrantur, dirisque ad inferos usque omnibus devovent. Et quid dico Acatholici? nam ipsi etiam Catholici quidam calamos contra ipsum stringunt, cœlum ipsi invident, & locum inter Sanctos non concedunt. Huic ergo Pontifici adscribuntur quædam *Capitula* sub nomine *Dictatus*: quasi vero Gregorius Dictatores Romanos imitari, illorumque munera in sua Sede Pontificia exercere voluerit. Sunt vero hujusmodi *Capitula* numero 27., & subjunguntur Epistolis Gregorianis. Sed multum litigatur, an Gregorius illorum sit Author (s): Si Sectariis fides adhibenda, sapiunt hæc *Capitula* dictatum Pontificium, ac stylum Gregorianum. Sed quare? nunquid, quia in illis Jura Pontificia vindicantur? Quoniam vero nemo Scriptorum illius ævi eorum meminit, nemo Adversariorum Gregorii, quos sane habuit plurimos, ad ea provocavit, nec ipse Pontifex illa unquam citavit, quamvis ad alias suas constitutiones provocare consueverit, hos dictatus neutiquam Gregorio, sed cuidam zelatori & vindici Jurium Pontificiorum adscribendos existimant.

Dictatus, uti vocatur Gregorii VII.

Pessime habetur Gregorius VII. a Scriptoribus Acatholicis & Catholicis.

Tertius inter Collectores recensitos venit Deusdedit, vel, uti alii vocant Theodatus, Presbyter Cardinalis, strenuus ac imperterritus Zelator & Vindex authoritatis Pontificiæ, qui partes Gregorii VII. nunquam deseruit. Duplicem Collectionem scripsisse fertur, nempe *Librum Canonum*, quem Victori III. Romano Pontifici 1087. obtulit; & *Libros quatuor de rebus ecclesiasticis*. Utrumque opus servatur in Bibliotheca Vaticana: Neutrum tamen usque nunc per typum aspexit lucem publicam. Causa scribendi fuit defensio libertatis ecclesiasticæ contra Henricum IV. in celeberrima illa controversia de *Investituris per annulum & baculum*, quæ tot motus, tumultus, ac schismata excitavit in Ecclesia. Hisce libris usi fuere Correctores Romani ad purgandum Decretum Gratiani singulariter deputati. Ajunt in hac Collectione præter

Collectio Cardin. Deusdedit.

(s) Pagius in critica Baroniana ad annum 1077. & Fleury histoire ecclesiastique Lib. 52. 11.

ter canones Conciliorum & epiſtolas Pontificum contineri plura ex archivio Romano deprompta, quæ in nulla alia Bibliotheca reperiri poſſunt. Nobis hanc Collectionem inſpicere non eſt conceſſum.

De duabus Collectionibus, quarum una POLYCARPUS, altera dicitur POPULETUM.

Ad Sæculum XI, vel XII. duæ adhucdum referuntur Collectiones, quarum una inſcribitur *Polycarpus ;* altera *Populetum :* Prima cuidam Presbytero, quem dicunt Gregorium, attribuitur : altera prorſus incerti eſt Authoris. Neutra per typum orbi literario fuit communicata. Ambæ hinc inde in Bibliothecis aſſervantur ; prima ſingulariter in Bibliotheca Vaticana, quam Correctores Romani ad manus habuiſſe perhibentur.

§. XIV.

Notitia harum Collectionum valde utilis.

Abſolvimus jam Collectiones Juris eccleſiaſtici antiqui. Quod ſi quis jam quærat, in quem finem & uſum id a nobis factum ſit? in promptu eſt reſponſio. Voluimus Studioſis Juris eccleſiaſtici ad manum præbere quamdam epitomen, ut ſciant, & utiliter ſciant, quæ ſcire deberent. Turpe & probroſum eſt cuivis artifici & opifici neſcire incunabula ſuæ artis. Impoſſibile eſt, ut quis in Virum perfectum evadat, niſi Jus antiquum ſciat. Eſto enim harum Collectionum uſus & authoritas magna ex parte exoleverit, nunquid quamplurimi canones in noviores Collectiones translati adhuc vigent? an non aliquoties ad antiquas Collectiones provocare ſolemus ac debemus? Optandum ſane, ut diu noctuque lectioni, meditationi, & ſtudio canonum inſiſtamus: Inde enim pulcherrimas vivendi regulas diſcere licet. Quod ſi aliam utilitatem ex ſtudio antiquorum canonum non reportemus, ſaltem multa exinde ſcimus, & utiliter ſcimus. Id in fine monendum duximus, quod huic Quæſtioni plures, quam alii, non tamen omnes Collectiones intexuerimus, ne quid eorum, quæ quomodocunque utilia eſſe poſſunt, nos lateat. Sed tempus inſtat, monet, & urget, ut elaborandæ alteri Quæſtioni nos accingamus. Superis ſint laudes immortales, qui laboribus & conatibus noſtris ſua copioſa benedictione ſemper adfuerunt : Votum igitur ultimum ſit

ut

In omnibus glorificetur DEUS.

QUÆSTIO

QUÆSTIO II.

DE COLLECTIONIBUS JURIS ECCLESIASTICI NOVI.

In hac quæſtione *Corpus Juris Canonici* accuratiori oculo intellectus juxta regulas ſanioris Critices perluſtrabimus, & Collectiones in eo contentas, earumque authoritatem, quantum per vires ingenii, & regulas prudentiæ licet, dilucidabimus. Id tamen ſingulariter animadvertendum exiſtimavimus, quod ea, quæ hic dicturi ſumus de Collectionum authoritate, ut plurimum intelligi debeant de authoritate in genere: Qualem enim & quantam habeant in Germania, alia occaſione dicemus. Agemus in Capite I. de ſcholis publicis, reformatione ſtudiorum, ratione ſtudiorum, utpote ex quibus omnibus natum eſt *Jus novum.* Poſtea ipſum *Jus novum* ſecundum Ordinem, quem in *Corpore Juris Canonici* legimus, examinabimus. Superi aſſiſtrice ſua gratia noſtris conatibus adſint.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De Auspiciis Juris novi potissimum ex erectione scholarum, & ratione studiorum.

§. I. *Undenam origo Juris ecclesiastici novi sit petenda?* II. *De erectione scholarum publicarum, & reformatione usque ad Sæculum XII.* III. *De origine scholarum publicarum, quas Universitates appellamus.* IV. *Quæ fuerit ratio studiorum, artium & scientiarum antiquitus, & qua arte facta reformatio earum?* V. *De diversis Theologorum sectis.* VI. *De Jurisprudentia Romana per Italiam & alias orbis Europæi partes.* VII. *De Academia Bononiensi, & studio Jurisprudentiæ ibidem introducto, & inde secuta mutatione disciplinæ ecclesiasticæ.*

§. I.

Ad Jus ecclesiasticum novum explanandum accingimur, cujus primordia a Sæculo XII., & XIII. repetenda esse existimamus. Jus profecto novum, cujus prima posuit fundamenta Isidorus; incrementa dedit nova Scholarum publicarum institutio, studiorum reformatio, diversarum artium ac scientiarum & disciplinarum quasi consepultarum, aut omnino ignotarum institutio, Jurisprudentiæ præcipue cum Civilis, tum Canonicæ cultura incredibilis, ac nova docendi methodus; complementum imposuit nova Juris ecclesiastici Collectio, illa non modo, quam Gratianus privato suo studio, sed etiam altera, quam Raymundus de Pennafort jussu Gregorii IX. Pontificis adornavit, ac orbi literario communicavit; Jus, inquam, novum & ita novum, ut si cum Jure antiquo comparetur, illius vix umbra superesse videatur: nam ab eo tempore aliam sane formam in Regimine ecclesiastico, aliam in Judiciis, aliam in Beneficiis, aliisque Juribus ecclesiasticis invaluisse, ex historiis non minus, quam hodierna praxi docemur. Age, hæc non nihil distinctius explanemus, & quid in erectione Scholarum, in reformatione studiorum, ac institutione actum fuerit, ac postmodum in Jure ecclesiastico, in forma Regiminis, Judiciorum ac beneficiorum ecclesiasticorum immutatum fuerit, videamus.

Juris novi auspicia ex institutione Scholarum, reformatione studiorum?

§. II.

Nexus summus inter bonum literarium & politicum.

Forma regiminis dependet ab artibus & scientiis.

Incipiamus ab institutione Scholarum publicarum, & reformatione studiorum. Qualis & quantus sit nexus inter bonum politicum & literarium, inter formam Regiminis, & bonas artes ac scientias, nemo sanus ignorat. Ab experientia hactenus edocti sumus, quod cum artibus & scientiis ipse etiam status publicus revolvatur, hicque toties mutationem incredibilem subeat, quoties literarum studia vel in deterius abire, vel in melius reformari contingit. Hodierna tempora consulamus, quibus, siunquam alias, hodie certe florent artes & scientiæ omnes, & ita florent, ut supremum apicem attigisse videri possint. Quam longe aliis principiis hodie in regimine, & forma regiminis ducuntur tam ipsi Imperantes, quam Consiliarii & Ministri, quorum consilio in regendis subditis utuntur? Utrum hæc principia sint optima, sana, & politico-Christiana, vel Machiavellico-politica, æquus rerum arbiter judicabit.

De origine Scholarum remissive.

Carolus M. quadruplicis generis Scholas instituit.

De origine Scholarum, earum institutione, diversitate, ac reformatione maxime per Carolum M. Imperatorem alibi fusius diximus (a). Cum enim Carolus M. optime perspectum haberet ex una, quanti Reipublicæ intersit, ut juvenes in optimis disciplinis erudiantur; ex altera vero parte conspiceret, literarum studia, quæ tunc temporis ferme in solis Monasteriis exercebantur, delitescere, & mirum in modum languescere, ad illa resuscitanda, ac in melius reformanda animum induxit suum, ac quadruplicis generis Scholas, *Parochiales* in ædibus Parochorum, *Monasteriales* in Monasteriis, *Episcopales* in ædibus Episcoporum, *Palatinas* in ipso suo Palatio instituit, easque fecit publicas eatenus, quatenus etiam Laicis antea a Scholis Monasterialibus & Episcopalibus exclusis copiam adeundi fecit amplissimam. Hoc exemplo illustri invitati Episcopi & Abbates mox tales scholas publicas in Episcopiis & Monasteriis in usus Laicorum aperuerunt, a quibus adhuc discernebantur *privatæ Claustrales* soli Monachorum institutioni destinatæ, utpote qui ab assidua Laicorum consuetudine avocandi videbantur (b).

§. III.

(a) Vid. Differt. de Statu Eccles. cap. 2. §. 18. & Differt. 1. de Stat. Eccles. Germ. cap. 3. §. 6.

(b) Cointius in Annal. Franc. Tom. 6. ad annum 787. Launoius de Schol. celeb. Trithemius in Chron. Hirsaug. ad annum 952.

§. III.

Ex his fucceffive & præcipue Sæc. XII. prodierunt fcholæ publicæ, inter quas Parifienfis, atque Bononienfis fere primæ fuerunt, & principatum gefferunt, ac fub nomine Univerfitatum inclaruerunt, quod *Univerfitas* ftudiorum & fcientiarum in his Scholis traderetur, & Petrus Lombardus Scholafticorum Parens Parifiis doceret; Gratianus vero Decretum fuum Bonnoniæ compilaffet, ejusque ufibus dicaffet. *Origo Univerfitatum.*

Age, hæc diftinctius expendamus. Nefcio, quis incredibilis ardor Sæc. XII. latini orbis magnam partem invaferit literarum ftudia tractandi, & omnis generis doctrinam amplificandi, cui quidam Pontificum, Regum & Principum non nulli, qui literarum ad rempublicam firmandam, & ornandam utilitatem perfpiciebant, authoritate fua & munificentia fubveniebant. Coibant hinc paffim Collegia & fodalitates Virorum eruditorum, varias artes & difciplinas tradentium, ad quas cum juvenes confluerent difcendarum fcientiarum cupidi, paulatim fcholæ illæ majores formabantur, quas dein Univerfitates nominabant. Lutetia Parifiorum Virorum doctorum, fcholarum varii generis, difcipulorum denique numero cunctas Europæ urbes fuperabat: quare medio ferme hoc Sæculo exemplum literatarum Civitatum, fed rude adhuc & imperfectum nafcebatur, quod tempus fenfim limabat, & digerebat (c). *Lutetia Parifiorum celeberrima.* Eodem fere tempore Andegavi illuftris plurimarum difciplinarum fchola Ulgeri Epifcopi cura & labore condebatur, in qua tamen Jurisprudentia principem locum obtinuiffe videtur (d). In Montepeffulano celebris jam erat Juris Civilis, & artis Medicæ Academia. In Italia eminebat fchola Bononienfis, quam Lotharius II. ampliffimis privilegiis eidem conceffis non minus, quam Viri literatiffimi, ac Juris tam facri quam Civilis peritiffimi Irnerius & Gratianus fecerunt celeberrimam, ut ad eam ingens ftudioforum numerus, eorum præcipue, qui Jurisprudentiæ addifcendæ erant cupidi, confluxerit. *Plures in diverfis regnis fcholæ publicæ erectæ.* Noftrum non eft in exordia hujus per omnem orbem tunc temporis celeberrimæ fcholæ inquirere. Bononienfes Academiam fuam fæculo jam quinto a Theodofio II. conditam & ampliffimo Diplomate confirmatam effe perhibent, & ipfum Diploma Imperatoris exhibent. Sed plerique fictum hoc

(c) Vid. Caroli Sigonii Hiftor. Bonon. Lud. Ant. Murat. Antiq. Ital. medii ævi Tom. 3. Boehmeri Præf. ad Corp. Jur. Can. §. 9.

(d) Cæf. Egaff. de Boulay Hift. Acad. Parif. Tom. 2.

hoc esse Diploma contendunt. & primordia scholæ Bononiensis ad Sæc. XI.; illius incrementa vero ad Sæc. XII. & tempora Lotharii II. referunt (e).

§. IV.

Ratio studiorum illius ævi.

Septem artes liberales.

Jam, quæ tunc fuerit ratio studiorum; artium & scientiarum videamus. Ad Sæc. usque XII. omnis studiorum ratio continebatur septem illis Artibus, quas *liberales* vocant. Quarum quidem tres *Grammatica*, *Rhetorica*, *Dialectica* vulgo *Trivium* nominabantur; quatuor reliquæ *Arithmetica*, *Musica*, *Geometria*, *Astronomia* vocabulo *Quadrivium* indicabantur. *Trivio* plerique contenti erant: primi vero ordinis eruditi, qui videri volebant, ad *Quadrivium* etiam ascendebant. Itaque his artibus hac ætate addebantur, præter linquarum studium, *Theologia* non illa vetus & simplex, quæ ordine ac nexu artificioso carebat, & unice sacri Codicis, veterumque Doctorum sententiis nitebatur, sed *Philosophica* seu *Scholastica*; & Jurisprudentia tam sacra quam Civilis; denique *Medicina*, quam *Physicam* illo ævo vocabant.

Origo Theologiæ Scholasticæ.

Sed qua arte hæc facta esse credamus, quæret curiosior rerum indagator? utriusque tam Theologiæ novæ, quam Jurisprudentiæ incunabula dabimus. Vivebant eo tempore Viri ingenii laude, excolendarum artium & scientiarum desiderio, ac industria florentissimi, qui tota animi contentione sublimioribus scientiis, studiis Biblicis, ac Theologicis se consecraverant.

Theologiæ Principes Lutetiæ Parisiorum.

Principes autem Theologiæ docendæ Magistri Lutetiæ Parisiorum vivebant: quam ob rem quicunque sanctiores disciplinas ex instituto discere volebant, ab hoc tempore omnes ex universa Europa Lutetiam migrarunt, audituri Viros Theologos doctrina ac eruditione pro illo ævo celeberrimos.

§. V.

Diversæ Theologorum sectæ.

Erant autem hi Doctores in diversas sectas distracti. Prima secta erat *Theologorum veterum*, qui dogmata sacra simpliciter ex sacris Codicibus, Conciliorum decretis, & antiquorum Doctorum sententiis demonstrabant; raro vero ex humana sapientia aliquid admiscere solebant. Tales erant hoc sæculo S. Bernardus, Petrus Cantor, Qualbertus a S. Victore, & alii, qui acerrime cum Theologis Philosophicis congrediebantur. Ab hac secta non ex toto differebat illa, quæ *Positivorum*, & *Sententiariorum* deinceps nomine appellabatur, & exemplo Anselmi Cantuariensis, Lanfranci, Hildeberti, & aliorum superioris sæculi

(e) Cit. Auth. Tom. 2. pag. 215.

culi Doctorum sacra quidem dogmata scripturæ, veterumque doctorum oraculis potissimum muniebat, sed ad rationem etiam & Philosophiam, maxime cum difficultates removendæ, & Adversarii refellendi erant, confugiebat, in quo quidem alius alio moderatior, & cautior erat. Primas autem in hoc genere laborum tulit Petrus Lombardus id est ex Lombardia oriundus, Antistes Parisinus, cujus sententiarum Libri IV., postquam anno 1162. lucem publicam aspexerunt, tantam subito authoritatem adepti sunt, ut omnes Doctores illorum expositioni suos labores consecraverint. Altera secta illorum erat, qui neglecta ferme omni authoritate Philosophiam Aristotelicam, philosophandi methodum, Dialecticorum vocabula & distinctiones adoptantes scita divinitus tradita, hisque sacra dogmata illigarunt, naturamque & rationes eorum secundum regulas artis Dialecticæ & Philosophicæ investigare nil dubitabant. Author hujus formæ Theologiam tradendi, quæ *Scholastica* deinceps dicta erat, creditur fuisse Petrus Abaelardus Canonicus primum Parisiensis, & Philosophiæ non minus, quam Theologiæ Doctor celeberrimus, quem postea plures alii secuti sunt. Ab illo ergo tempore distinqui cœperunt Theologiæ Doctores in *Biblicos*, qui & veteres dicebantur, & *Dogmatici vel Positivi*; & in *Scholasticos*, qui & *sententiarii*, & *novi* vocabantur: Illi sacros libros in scholis suis interpretabantur, & dogmata sacra seposita ratione & Philosophia nude ac simpliciter explicabant, ac verbi scripti & non scripti testimoniis firmabant: Hi vero Magistri sententiarum vestigiis inhærentes omnia tam credendi, quam vivendi & agendi præcepta subtiliter ad philosophiam revocabant, ac rationibus philosophicis secundum methodum regulis Aristotelis alligatam communiebant.

Princeps Theologorum Petrus Lombardus.

Theologia Philosophica seu Scholastica.

Diversi generis Theologi, Biblici scholastici &c.

Atque hæc Theologizandi ratio brevi principatum obtinuit in Ecclesia Catholica. Priusquam vero principatu potirentur Theologi hi Dialectici & Metaphysici, per multa illis pericula, pugnas & clades eundum erat. Oppugnabantur enim ex una parte a Theologis *antiquis*; ex altera a Theologis *Mysticis*, qui veram sapientiam non ratiocinando acquirendam, sed ex intimis animi recessibus eliciendam esse putabant. Igitur vetus illud bellum, quod inter Latinos diu plane quieverat, inter *fidem*, & *rationem* reviviscebat, & mirabiles motus excitabat. Ex antiquæ Theologiæ Patronis Guibertus de Novigento, Petrus Cellensis, Petrus Cantor, maxime Gualterus a S. Victore acerrime *Scholasticos* aggrediebantur: ex Mysticis Joachimus Florensis Abbas, Richardus a S. Victore, & plures alii modestiori non nihil methodo cum illis contendebant, quin tamen impedire potuerint, ut Theologia illa Scholastica domi-

Theologia scholastica principatum obtinuit.

Oppugnatur a Theologis antiquis, & mysticis.

Mansit in sua possessione usque nunc.

dominatum obtineret, in cujus possessione stetit usque ad ultima nostra tempora, quibus ad sublimiorem & accuratiorem stateram appensa, tanquam minus habens, & nec regendis animis, nec stabiliendis dogmatibus sat idonea fuit inventa, ac e throno gloriæ suæ ad inferiora subsellia fuit detrusa, ut jam tanquam humilis famula obedire discat, quæ antea tanquam superba Domina in scholis imperaverat. Interim huic Theologiæ Scholasticæ suam quamcunque laudem non invidemus, neque omnem utilitatem abnegamus: id tamen confidenter asserere non dubitamus, Religioni, & Ecclesiæ Catholicæ non sat consultum iri, & quod magis est, illius fundamentum nostris temporibus facile subruendum, nisi fortioribus sustentetur argumentis, quam eidem a Theologia scholastica suppeditantur. Noverint ista illi, quibus argumenta Acatholicorum, queis nostram Ecclesiam impetere solent, vel mediocriter sunt perspecta.

Laus illius.

§. VI.

Sed ad ea progrediamur, quæ nos propius contingunt, & qua ratione Jurisprudentia Romana per Italiam, & alias orbis Europæi partes effloruerit, paucis dicamus. Jurisprudentiam Romanam Sæc. V. & VI. quemdam in Italia principatum exercuisse, nemo dubitaverit. At vero plurimum authoritatis deperdidit, dum Italia invasionibus barbarorum Herulorum, Gothorum, Longobardorum, & diversi generis Germanorum patuit: quippe qui secundum suos mores, vel etiam leges, quales erant Longobardicæ, Salicæ &c. vivere consueverunt. Postquam vero sub Lothario II. Imperatore anno 1137. in expugnatione Amalphitana celeberrimus Codex Pandectarum seu Digestorum, quorum exigua fuerat a multis sæculis notitia, inventus erat, & in Pisanorum manus venerat, veteris Romani Juris authoritas in Italia effloruit, & reliquarum legum antea receptarum usum debilitavit. Ab hoc tempore jam Jus Romanum a Viris eruditis diligentius tractabatur: scholæ dein hujus Juris in Academia Bononiensi aperiebantur, quod eximium Institutum ad alias etiam procedente tempore urbes tam in Italia, quam extra Italiam dimanabat. Quibus rebus evenit, ut, cum antea variis legibus homines viverent, & legem sibi quilibet ingenuus, cui parere vellet, eligere posset, Jus Romanum paulatim in præcipua Europæ parte primas obtineret, legesque Salicas, Longobardicas, Burgundicas, aliasque extruderet. Vetus quidem opinio est, Lotharium II. Authore Irnerio primo Juris Romani in Academia Bononiensi Doctore edicto sanxisse, ut imposterum omnes uni legi Romanæ, reliquis

Jurisprudentia Romana floruit per Italiam Sæc. V. & VI.

Codex Pandectarum repertus.

Jus Romanum excultum, & Bononiæ traditum.

Invaluit, & primas obtinuit in Europa.

liquis abrogatis obtemperarent: sed hanc opinionem magni Viri certis Authoribus carere demonstrarunt (f).

§. VII.

Cum jam in Academia Bononiensi Jurisprudentiæ studium in dies magis magisque efflorescerет, ad eam ingens studiosorum numerus confluerct, & ad majores addendos stimulos tam docentibus quam discentibus Lotharius singulares favores indulgeret, Gratianus indigne ferens, æqualem honorem non deferri Juri Canonico, quod incertis quasi sedibus vagabatur, & nullo ordine digestum erat, opus grande molitus est, & collectionem quamdam usibus scholarum accomodatam adornavit, quam dein Doctoribus Bononiensibus obtulit, ut illam examinarent, corrigerent, ac postea Eugenio III. offerrent, quo ipsius authoritate & indulto in Academia Bononiensi publica interpretatione illustrari posset. Postquam Gratianus approbationem & facultatem suum Decretum publice interpretandi obtinuit, sicut §. seq. pluribus deducemus, ipse munus Doctoris in se suscepit: quo factum est, ut pari cum honore Jurisprudentia Ecclesiastica & Civilis Bononiæ traderetur, jamque non modo Laici sed etiam Clerici utrique Juri operam navarent. Hi cum ex Academia Gradibus etiam Academicis insigniti redirent, in aulis non tantum Principum, sed etiam in tribunalibus Episcoporum ad prima honorum subsellia promoti primis officiis defungebantur: atque hoc modo contigit, ut legibus Justinianeis non modo judicia civilia, sed etiam ecclesiastica perstreperent, nova Judiciorum forma in Dicasteriis Episcoporum invalesceret, & causæ ecclesiasticæ ad normam Juris Civilis deciderentur, atque hac ratione novum sane Jus ecclesiasticum introduceretur, non sine gravi præjudicio Jurisdictionis ecclesiasticæ. Erat olim judiciorum forma simplex, & a tribunalibus ecclesiasticis omnis strepitus forensis exulabat: causæ ferme omnes via brevissima more arbitrii expediebantur: erat Jurisdictio ecclesiastica olim amplissima, seque in omnes non modo Laicos, sed etiam Clericos, in causas tam civiles, quam ecclesiasticas extendebat: erant delegationes Jurisdictionis admodum raræ, appellationes non adeo frequentes: Inter forum internum, & forum externum; inter Judicem pro foro ex-, & interno non adeo accurate distinquebatur.

Gratianus suum Decretum in usum scholarum composuit.

Jurisprudentia ecclesiastica Bononiæ docetur cum applausu.

Nova judiciorum forma introducta.

(f) Vid. Herm. Conringius de Orig. Jur. Germ. cap. 22. Lud. Ant. Muratorius Præf. ad leges Lombard. Script. rerum Ital. Tom. 1. part. 2.

Jurisdictio ecclesiastica diminuta. Ast ubi Jus Civile cum Jure Canonico conjunctum fuit, inceperunt formulæ forenses, multiplicatio litium, processuum protelationes, frequentiores Jurisdictionis delegationes, appellationes &c. ex quo ulterius factum est, ut Ecclesia notabilissima Jurisdictionis suæ amplissimæ parte excideret, prout hæc omnia alibi fusius deduximus (g). Sed nondum satis: plura alia acciderunt, ex quibus ingens Juris antiqui mutatio fieri debuit. Eo potissimum ævo separatio Capitulorum a mensa Episcopi suos obtinuit effectus. *Ingens mutatio juris, & disciplinæ antiquæ.* Jam Capitula varia jura olim ad Episcopum pertinentia, maxime in collatione Canonicatuum, aliorumque beneficiorum ad se attraxerunt, sibi solis jus eligendi Episcopos postea per Pontifices stabilitum vindicarunt, ut jam de finibus regundis inter Episcopos & Capitula agendum fuerit. Mirum in modum invaluit beneficiorum pluralitas, & cum illa distinctio inter beneficia incompatibilia, primi, & secundi generis. Inceperunt Pontifices suas gratias exspectativas, & postea etiam reservationes Beneficiorum. Jus Patronatus firmioribus regulis constituendum erat, & confirmandum. Sexcenta alia brevitatis causa prætermittimus, quibus ita præmissis jam ad Collectiones ipsas in corpore Juris clausas gradum promoveamus.

CAPUT II.

De Decreto Gratiani.

§. I. *De Gratiano, occasione scribendi, & inscriptione Decreti.* II. *De approbatione, & divisione illius.* III. *De mendis & defectibus in eo contentis.* IV. *De correctione & emendatione non ex omni parte perfecta.* V. *De Gradibus Academicis, & authoritate Decreti in scholis publicis.* VI. *Item in Judiciis, tribunalibus maxime in Germania.* VII. *Quomodo, & an ex integro sit authenticum?*

§. I.

Quis fuerit Gratianus, Inter Collectiones Juris ecclesiastici in Corpore Juris clausas primum locum obtinet *Decretum Gratiani*, a suo Authore ita dictum. Erat Gratianus patria Clusinus ex veteri Etruriæ Civitate Clusio, postea Monachus Benedictinus in Monasterio S. Felicis Bononiæ. Inclaruit circa

(g) Quæst. 1. Jus Canon. in genere cap. 1. §. 6.

Et cur ſuum Decretum compoſuerit?

circa medium ſæculi duodecimi. Scripſit Collectionem hortatu & ſuaſu S. Bernardi Claravallenſis (h) occaſione Juris Civilis, quod Bononiæ publice ingenti cum applauſu in ſcholis tradebatur. Itaque indigne ferens Gratianus parem honorem non deferri Juri Canonico, manum ſuppoſuit operi, atque Collectionem Juris eccleſiaſtici uſibus ſcholarum accommodatam, uti ſupra monuimus, adornare, & ordine meliori canones antiquos, decreta Pontificum & doctrinas Patrum in unum velut corpus redigere orſus fuit. Verſabantur quidem in manibus plurimorum plures Collectiones canonum maxime recentioris ævi varii generis, præcipue Reginonis, Burchardi, Ivonis: ſed neutra ad finem & ſcopum ſibi præfixum conducere videbatur. Itaque talis adornanda erat Collectio, quæ interpretationi canonum in ſcholis publicis cum fructu ſtudentium faciendæ deſervire, & peraccommoda eſſe poſſet.

Methodus a Gratiano obſervata.

Quapropter in id præprimis incubuit Gratianus, ut methodo ſcholaſtica normam quamdam facilem, accuratam, & univerſalem pro uſibus ſcholarum, ſecundum quam diſcentibus prima Juris eccleſiaſtici principia applicari poſſent, componeret. Methodus autem, quam Gratianus adoptavit, hæc eſt, nempe propoſitiones quasdam inſtar principiorum præmittit; poſtea ſacris canonibus, Pontificum decretis, Patrum ſcriptis, aliiſque monumentis corroborat; & demum docet, qua ratione diſcordantes canones in Concordiam redigi valeant.

Decretum inſcripſit Concordantiam.

Inſcripſit Gratianus ſuam Collectionem *Concordantiam* diſcordantiam canonum; Innocentius III. *Corpus Decretorum:* nunc vero inſcribitur *Decretum Gratiani*, quin ſciatur, quando & quomodo hoc nomen invaluerit, quo illam indigne prorſus compellari animadvertunt non pauci Doctores: quod eidem plura monimenta inſerta legantur, quæ nomen Decreti neutiquam merentur. Jam de approbatione, diviſione, materia, uſu, defectibus & mendis, correctione, & authoritate hujus Decreti videndum.

§. II.

Decretum approbatur.

Poſtquam Gratianus opus ſuum conſummavit, illud mox Doctoribus Bononienſibus corrigendum, emendandum, approbandumque obtulit, ea lege, ut hi Eugenio III. offerrent, quatenus accedente illius approbatione jam in publicis ſcholis prælegi poſſet. Exiſtimabat nempe Gratianus approbationem Pontificis ad majus authoritatis pondus

(h) Ita teſtatur Boehmerus in Præfat, ad Jus Can. ex Henrico Manrequio.

dus suo operi conciliandum non modo esse utilem, sed etiam, & eo magis necessariam, quo majus authoritati pontificiæ præjudicium accessurum foret, si Doctor privatus munus docendi publicum in Academia publica, esto authoritate Imperiali corroborata assumere, eidemque normam quamdam, secundum quam Jus Canonicum tradendum foret, præscribere attentaret. Facile obtinuit Gratianus, quod optaverat: nam non modo Academia Bononiensis labores illius ratihabuit, sed etiam Cancellarius opus a Gratiano congestum Pontifici obtulit, & ab hoc approbationem impetravit. Equidem non ignoramus, hanc approbationem quoad usum etiam scholasticum a non paucis dubium vocari. Quoniam vero id ex antiquissimo documento in Archivio Bononiensi asservato probatum dederunt Scriptores fidei indubiæ, amplius de eo dubitare nefas foret (i).

Probabilius etiam ab Eugenio III.

Divisio operis in tres partes.

Opus suum distinxit Gratianus in tres partes, quarum prima continet distinctiones 101. Primis 20. agit de principiis Juris Canonici; 73. sequentibus de Cleri origine, forma, institutione, vita, moribus, officiis; 8 ultimis de authoritate Pontificis.

Altera Pars continet causas 36. sic dictas: quia primitus ponitur causa seu casus, ex quo dein elicitur quæstio decidenda, & tractat de iis, quæ pertinent ad judicia ecclesiastica. Causæ 33. Quæst. 3. inseruntur septem Distinctiones de Pœnitentia.

Tertia Pars complectitur Tractatum de Consecratione, qui 5. Distinctionibus absolvitur, & agit de iis, quæ Ministerium sacrum, ritus, & ceremonias ecclesiasticas, Ordinationes, & Consecrationes concernunt. Non convenit inter DD, utrum Gratianus sit Author Tractatus de Pœnitentia, & Consecratione, quod non in omnibus Orthodoxus videatur. Plerique tamen Gratiano eundem attribuunt: tum quod stylus sit Gratiani: tum quod ipse non raro ad illum provocet.

Triplicis generis Canones vel Decreta in eo continentur.

Tria distinquit Van-Espen, e quibus hoc Decretum est conflatum (k): Primi generis sunt Conciliorum canones, Pontificum decreta, Patrum sententiæ, Regum & Imperatorum sanctiones, quæ omnia simpliciter sub nomine *Canonis* veniunt. Secundi generis sunt, quæ nomine *Canonis* exprimuntur sed addita voce *Palea*. Tertii generis sunt illa, quæ ipse Gratianus pro ratione materiæ, ordinis, & quæstionis addidit, dum vel casum vel quæstionem proposuit, eam resolvit, suam sententiam dixit, ad contraria respondit, quæ omnia non sub nomine *Canonis*; sed vel ipsius Gratiani, vel cujuslibet privati Scriptoris citari aut allegari solent.

Contro-

(i) Boehmerus in Præfat. ad Jus Can. §. 12.

(k) Part. 6. cap. 1.

Controvertitur inter Doctores, quid sibi velit nomen *Palea*: Liceat referre diversas Doctorum opiniones. Existimant nomen istud inde suam habere originem, quod Gratianus ipse Romam venerit, suumque Decretum obtulerit cuidam Cardinali eum in finem, ut Eugenio III. Pontifici offerret, hic vero ambitione inflatus se ipsum pro Authore hujus operis venditaverit, & quasdam additiones fecerit; Gratianus autem id indigne ferens illas adjectiones vocaverit *Paleas*, id est additiones inanes, inutiles, nullius prorsus momenti, ac valoris. Putant alii, hunc ipsum Cardinalem fuisse dictum *Bocopaleam*, & ideo ipsis additionibus inditum esse nomen *Palea*. Iterum alii opinantur, quemdam Gratiani discipulum hoc nomine compellatum, & quasdam additiones sub nomine *Palea* fecisse. Aliorum iterum opinio est, sub hoc nomine latere quasdam additiones suspectas, & hoc ipso instar canonum non esse habendas. Quoniam vero tales Paleæ in pluribus manuscriptis codicibus hujus Decreti vel paucæ admodum vel omnino nullæ reperiuntur, sed non nisi in margine leguntur, putant plures, quod hæ Paleæ nihil aliud sint, quam quædam additiones primitus in margine factæ, postea studio, ignorantia, vel injuria librariorum ipsis canonibus insertæ. Ut ergo distinquerentur a cæteris canonibus, superscriptum fuit nomen *Palea*. Imo sunt quidam opinionis, quod ipse Eugenius opus Gratiani solicite relegerit, & quosdam canones levioris momenti hac voce annotaverit. Denique quorumdam opinio hæc est, quod quidam canones ita dicantur a levitate materiæ. Verum omnes hæ opiniones meris nituntur conjecturis. Probabilior opinio videtur illorum, qui docent, Paleas nihil esse aliud quam additiones primitus in margine factas, postea a librariis seu studio seu incuria canonibus insertas: id quod inde colligere licet, quia, sicut ipsi Correctores Romani testantur, paucæ admodum hujusmodi *Paleæ* in antiquis exemplaribus manuscriptis reperiuntur, quod signo manifesto est, illas in Decretum fuisse quasi intrusas (l).

Quid sit Palea?

Diversæ opiniones referuntur.

Nulla ex his certa, & quæ probabilior?

§. III.

Quamquam vero Decretum Gratiani ex multiplici capite omnem mereatur commendationem, ac propter ordinatissimum ordinem, quo anteriores collectiones antecellit, ob methodum illis temporibus, genio, & ingenio hominum maxime accommodatam, ob alia commoda quam-

Decretum Gratiani commendatur.

(l) Vid. Boehmer in Præfat. ad Decret. Gratiani. Item Pertschii kurze Historie des Canon- und Kirchen-Rechts ad Decret. Gratian.

quamplurima, quæ in bonum literarium redundarunt, ad summam authoritatem ascenderit, negari tamen non potest, quod quamplurimis mendis, & defectibus scateat circa nomina Urbium, Provinciarum, Inscriptionum, canones Conciliorum, epistolas Pontificum, doctrinas Patrum, quibus detegendis, & propalandis insudarunt Viri sane eruditissimi, Antonius Conti, & Antonius Augustinus (m). Hujus rei non una, sed plures dari possunt rationes, quarum prima in ipsam ruditatem temporum, quæ tunc erat non modica, refundi debet. Non ea, qua par erat, industria in veritatem inquirebatur: antiquiora monumenta negligebantur, quædam credulitas excessiva dominabatur, subtilitatibus potius ac inanibus speculationibus, quam veritatibus practicis, & doctrinis solidis Virorum ingenia occupabantur.

Scatet multis mendis, defectibus & erroribus: Undenam hi veniant?

Gratiani eruditio, incuria & defectus.

Sed nec ipse Gratianus tantæ eruditionis erat, quanta ad opus tam grande & fere immensum perficiendum necessaria erat. In eo vel maxime Gratianus deliquit, quod ex Sæculi sui more non ipsa Concilia, aut Regesta Pontificum, neque alia sanctorum Patrum scripta revolverit, & consuluerit, sed quæ in variis canonum aut Scriptorum compilationibus reperit, sine ullo discretionis examine in suam collectionem transtulerit, atque ita quidquid ab illis vel ignorantia, vel incuria, aut interdum etiam ex proposito erratum fuerat, in suum codicem invexerit. Paucis: in eo multum commisit erroris, quod non ex ipsis fontibus Conciliorum, Epistolarum Decretalium, & Patrum, sed ex anteriorum Collectionum rivulis suum Codicem hauserit. Annotarunt autem accuratiores Critici, quod Gratianus plura ex Codice Dionysiano, quædam ex Codice Martini Bracarensis; quamplurima ex Collectione Pseudo-Isidori, Burchardi Wormatiensis, & Ivonis Carnotensis (Collectio Reginonis probabilius ipsi fuit ignota) ex Pandectis Justiniani, & Capitularibus Francorum collegerit (n).

§. IV.

Correctio Decreti libere assumpta.

Quoniam vero indecorum ac probrosum esse videbatur, quod Ecclesia opus adeo defectuosum, corruptum, & innumeris plenum mendis

(m) Vid. Antonius Augustinus lib. 1. Dial. 1. de emend. Gratiani, ubi sic habet: *Sæpe erratum esse video in nominibus Hominum, Urbium, Provinciarum, Conciliorum. Sæpe falsæ sunt inscriptiones &c. multa Gregorii, Ambrosii, Augustini & Hieronymi esse dicuntur, quæ vel nusquam extant, aut aliena sunt.*

(n) Vid. Van-Espen in Comment. ad Decret. Grat. Boehmer loc. cit.

dis veluti normam non modo in ſcholarum uſum, ut ſecundum eam Jurisprudentia canonica traderetur, ſed etiam ipſorum Judiciorum eccleſiaſticorum aſſumpſerit, non pauci Viri eruditi rei indignatione moti jam ante correctionem Romanam huic decreto corrigendo, emendando, ac purgando inſudarunt, illudque in meliorem formam reducere, a falſis inſcriptionibus, & mendis purgare, atque apocrypha a veris monimentis ſecernere collaborarunt, quos inter eminuere Antonius Contius, & Antonius Auguſtinus. Subſecuta eſt correctio Romana: nam ipſi etiam Pontifices Pius IV., Pius V. & Gregorius XIII. optime perſpexerunt, quantum dedecoris in Eccleſiam redundet ex receptione, adoptione, & acceptatione hujusmodi defectuoſi operis, quod eidem armamentarii inſtar eſſe deberet, ex quo tam docentes quam diſcentes arma depromere deberent ad Jura Eccleſiæ propugnanda, decidendas cauſas, Juſtitiam adminiſtrandam. Quapropter Viris 35. omnino hanc provinciam emendandi & purgandi iſtud Decretum commiſerunt, quibus liberrimus ad præſtantiſſimas Bibliothecas aditus fuerat. Mittebantur invitatoriæ ad Viros eruditos ubicunque terrarum exiſtentes, ut ſuam conferre Symbolam, ſuam adjungere operam, &, ſi quæ ad opus iſtud meliorem in modum poliendum ad manus haberent, fideliter communicare vellent: atque hac ratione factum fuit, ut integrum opus ſub Gregorio XIII. ad optatum finem pervenerit, & a præfato Pontifice retulerit approbationem prorſus ampliſſimam. *A Pontificibus imperata.* *Et abſoluta.*

Porro autem neque hanc correctionem omni ex parte eſſe perfectam, neque ea, qua par erat, diligentia fuiſſe inſtitutam, atque ipſum Decretum innumeris adhuc ſcatere defectibus animadvertunt, & fatentur eruditi omnes. Demus hujus rei exempla: In hodiernam usque diem in Decreto Gratiani leguntur epiſtolæ antiquorum Pontificum a Clemente I. usque ad Siricium a Pſeudo-Iſidoro conſarcinatæ, decreta falſa Concilii Eliberitani, plura ſanctorum Patrum opera, textus & fragmenta, quæ in caſtigatioribus illorum editionibus veluti ſuppoſititia exploduntur. *Non tamen ex omni parte perfecta.*

Verum poſſet alicui tenerioris conſcientiæ deſuper oriri ſcrupulus, qua conſcientia id dicere audeamus: cum utique Pontifex Decretum ita correctum ac emendatum in terminis prorſus prægnantiſſimis & ampliſſimis approbaverit, unaque ſub interminatione excommunicationis prohibuerit, ne quis huic Decreto quidquam addere, demere, vel in eo emendare, aut corrigere præſumat. Sed bruta hæc ſunt fulmina, quæ nemo hactenus Virorum eruditorum curavit, quin hinc inde corrigenda annotaverint, falſa & ſpuria hinc inde inſerta digitis monſtra- *Quin obſtet approbatio Pontificia.*

 verint,

In quo sensu hæc approbatio intelligenda. verint, ac suas desuper annotationes privatas fecerint. Itaque Gregorius XIII. id unicum prohibuisse creditur, ne quis novam correctionem Decreti assumere, & authoritate privata orbi communicare, ac propalare præsumat. Hujus rei aptissimum occurrit exemplum: Nam esto Synodus Tridentina Editionem vulgatam latinam tanquam authenticam approbaverit, adhuc tamen Viri eruditi non sibi piaculo duxerunt quamplurima menda & loca ostendere, quæ in melius reformari possunt: quamquam inter unum & alterum sit discrimen immensum: quippe quod in Scriptura non nisi defectus quidam materiales; in Decreto Gratiani defectus substantiales, videlicet integra opera spuria deprehendantur. Quænam in hac Decreti emendatione fuerint intermissa, & observari debuissent, diligenter annotat Van-Espen (o).

Summa Decreti utilitas. Interim Gratiano suæ debentur laudes & grates, quippe qui quamplurima antiqua documenta nobis conservavit, quæ facile injuria temporum interitura fuissent, & ea, quæ hinc inde dispersa erant, in unum collegit, atque in meliorem ordinem redegit. Plures hujusmodi utilitates particulares refert Boehmer, illam præcipue, quod infinita quasi monumenta, quæ tum antiquam disciplinam ecclesiasticam repræsentant, tum verum Ecclesiæ finem scopumque docent, exhibeat, unde origines rerum ecclesiasticarum æstimari, & cum præsenti statu eo rectius conferri possunt (p).

§. V.

Authoritas Decreti ab initio summa, & numerus studiosorum ingens. Jam de authoritate hujus Decreti dispiciendum. Profecto a primo mox sui principio, quo in lucem publicam fuit promulgatum, atque in Academia Bononiensi prælegi cæptum, summam mox obtinuit authoritatem, jamque ad hanc scholam innumera Studentium multitudo confluxit, & tantus numerus, ut circa finem Sæc. XII. ultra 1000. ex omni natione etiam Germanorum fuerint numerati. Hi dein vocabantur *Decretistæ*, ac iisdem fruebantur privilegiis, quibus *Legistæ*, atque gradibus Academicis Baccalaureatus, Licentiatus, ac Doctoratus haud secus, quam illi insigniebantur.

Origo Graduum Academicorum. Quomodo collati, Obiter hic aliqua animadvertere liceat de gradibus Academicis, quorum originem debemus Universitati Bononiensi. Primitus quidem conferebantur illis tantum, qui in numerum docentium adoptari volebant: hisce enim multis laboribus defungendum, & non nisi per gradus ad culmen Doctoratus per longum iter adscendendum erat, quod ubi

(o) Part. 6. cap. 2. §. 5.

(p) In Præf. ad Jus Can. 20.

ubi emensi fuerunt, certis ritibus & ceremoniis etiam talibus, quales in Collegiis opificum & artificum sunt in usu, in Doctores fuere inaugurati. Integro quinquennio in stadio Juridico currendum erat illis, qui gradum Doctoratus suscipere ambiebant. Post absolutum triennium gradu *Baccalaureatus* insigniebantur, quarto anno peracto *Licentiatus* gradum capessere, & quinto demum anno superato *Doctoratus* dignitatem ambire licebat. Et sane prudentissimo consilio id factum esse credamus, ne vel docentium numerus præter modum cresceret, vel homines parum eruditi & exercitati munus docendi, quod summæ gravitatis putabatur, adipiscerentur. Primitus ergo honores Academici solis Jurium studiosis tam *Decretistis* quam *Legistis* erant decreti. Paulo post mos iste a Jure Consultis Bononiensibus Lutetiam Parisiorum, atque primum ad Theologos, deinde etiam ad Medicinæ, & artium liberalium Professores defluxit (q). Neque inter fines Italiæ usus, æstimatio, & authoritas hujus Decreti contineri poterat, sed ad exteras etiam Nationes sese diffundebat, atque in ipsa Academia Parisiensi tunc temporis celeberrima adhuc labente Sæc. XII., vel certe ad initium Sæc. XIII. usum scholarum obtinuit.

Et ad alias Academias defluxerint.

Decretum ab aliis Nationibus receptum.

Ab illo tempore usus illius fuit communis in omnibus scholis publicis, eidem enucleando & explicando omnes Doctores insudarunt, illud Glossis, interpretationibus illustrarunt, & tantum effecerunt, ut etiam authoritatem in judiciis publicis sortiretur, prout mox dicemus. Idcirco mirantur haud pauci Doctores, quomodo fieri potuerit, ut opus privati Monachi, tanta confusione compactum, tot errorum congerie refertum, innumeris mendis & defectibus plenum ad supremum quasi honoris culmen ascendere, tantoque Doctorum tam Theologorum quam Jurisperitorum consensu & applausu suscipi & laudari meruerit. Existimant nonnulli approbationem Eugenii III. hanc eidem authoritatem conciliasse. Alii causam refundunt in accuratum ordinem, formam ac methodum, qua conceptum est: eoquod hæc methodus disciplinæ & methodo scholasticæ tunc temporis invalescenti fuerit accomodatissima. Ipsum etiam nomen Academiæ Bononiensis tunc celeberrimæ haud parum ad illius famam diffundendam, & authoritatem stabiliendam contribuisse res ipsa loquitur. Hactenus de authoritate Decreti, quam habuit in scholis. Nunc paucis de usu, æstimatione, & authoritate illius, quam habuit in judiciis, dispiciamus.

Summa illius authoritas, & usus communis in scholis publicis, & quare?

Nn 2 §. VI.

q) Vid. Mosheim Instit. Hist. ad Sæc. XII. Conring de Antiq. Academ. Casparus Ziegler Differt. de jure erigendi Academias.

§. VI.

Etiam in Judiciis & quare?

Ex hoc communi usu, & authoritate Decreti, quam habuit in scholis, non potuit non fieri, ut summam authoritatem in Judiciis quoque obtineret: cum enim omnes ii, qui honorum subsellia ambiebant, atque Reipublicæ suas operas locare meditabantur, se se unice studio Juridico consecraverint, & revera id ipsum, quod tam anxie quærebant, consecuti fuerint, hi omnem suam operam in id intenderunt, ut doctrinam suam, quam in Athenæis publicis hauserunt, in praxin redigerent: quo factum est, ut jam causæ in judiciis tam ecclesiasticis quam civilibus unice secundum Jus Justinianeum, ac collectionem Decreti Gratiani deciderentur, sicque utrumque hoc jus civitate donaretur in omnibus tribunalibus.

Decretistarum & Legistarum summa æstimatio.

Germani etiam studio Decreti operam dederunt.

Anxie profecto eo tempore conquirebantur a Pontificibus, Imperatoribus, & Episcopis *Decretistæ*, & *Legistæ*: ad hos velut ad oraculum Delphicum provocabatur in causis difficillimis, ab his petebantur decisiones in controversiis, illorum decisionibus stabant litigantes, illorum interpretatio reputabatur authentica. Neque hæc praxis obtinuit solum in Italia, & Gallia, sed etiam in Germania: nam ad celeberrimam Academiam Bononiensem Germanos quoque accessisse, & studio *Decreti* operam dedisse eo minus dubii habet, quod ex Arnaldo Abbate Lubecensi (r) constet, Danos quoque illuc confluxisse, & *Decretistis* docentibus operam dedisse. Et quis dubitet inter tot millia Bononiæ & Parisiis studentium non plures fuisse Germanos? Ulteriori testimonio est, quod Joannes Semeca vulgo Teutonicus Præpositus ad Stephanum Halberstadii in illud Decretum Glossas & commentarium Sæc. XII. scripserit amplissimum, in quo cæterorum interpretum Glossas corrigere, & in melius reformare aggressus est, ea laude, ut de ipso scribere non dubitent, Glossatorem hunc id præstitisse per suas Glossas in Decreto, quod Accursius præstitit in Pandectis (s). Et quis nescit, Fridericum Barbarossam in suo comitatu habuisse *Legistas* & *Decretistas*? De Henrico VI. testantur Scriptores, quod utrique juri operam navaverit. Episcopos quoque & Archiepiscopos Germaniæ in suis tribunalibus fovisse Decretistas, illorumque consiliis fuisse usos in regimine suarum Ecclesiarum vel ex solo Joanne Semeca Teutonico supra citato constat, ut de praxi nihil dicamus (t).

Decretistæ in tribunalibus Episcoporum, & aulis Principum in Germania.

Aliud

(r) Lib. 3. Chron. Slav. cap. 5. (s) Boehmerus ad Tit. de Constit. §. 30.
(t) Vid. Boehmer in Præfat. ad Decret. Gratiani.

Aliud argumentum magni ponderis inde desumitur, quod Gratianus maximam sui Decreti partem ex prioribus collectionibus Burchardi potissimum Wormatiensis; hic vero suam Collectionem magna ex parte adornaverit ex Reginonis Prumiensis *Disciplina Ecclesiastica.* Jam vero, cum hi ambo suos codices in usum ecclesiarum Germanicarum ordinaverint, vix dubitari potest, quod Germani Decretum Gratiani ambabus amplexati sint manibus, & in usus ecclesiasticos converterint. *Decretum in Germania receptum.*

Hactenus dicta egregie corroborantur ex constitutionibus Imperatorum consensu Ordinum Imperii Sæculo XIII. latis, quarum una regnante Friderico II. de Anno 1236. legitur apud Goldastum part. II. der Reichs-Satzungen cap. 15. Altera sub regimine Rudolphi de Anno 1281. a Lehmanno in Chron. Spiren. Lib. 4. cap. 108. refertur: quibus accedunt monumenta tam publica, quam privata, & varia Diplomata, quæ omnia ad Jus Canonicum provocant, illudque in decisione causarum observandum esse pronuntiant, prout infra Cap. 3. referemus. Ex hactenus dictis igitur apertissime demonstratum manet, Decretum Gratiani maximum usum habuisse, ac authoritatem prorsus summam ex usu obtinuisse non modo in scholis & Academiis, sed etiam in Judiciis ecclesiasticis ac civilibus.

§. VII.

Ad id jam devolvitur Quæstio, an revera Decretum Gratiani ex hoc usu vim legalem & authenticam ex integro, vel ex parte obtinuerit eo effectu, ut canonibus eidem insertis tanquam legibus sit assurgendum? Quo supposito ulterior consurgit Quæstio, undenam suam authentiam, utrum ab approbatione Pontificum; vel ab usu, receptione & consuetudine habeat? Plerique opinantur, eatenus esse authenticum, quatenus correspondet suis fontibus, ad quos est reducendum; ita nempe, ut si canon aliquis ex fonte authentico, seu legali sit depromptus, eandem authoritatem habeat, ac ipse fons, unde est haustus (u). Non pauci illud ex integro authenticum esse existimant, sic tamen, ut eorum quidam hanc authentiam ab approbatione Pontificum; alii ab usu & receptione derivare soleant. Non nulli media incedunt via, & Decretum istud integrum sed non nisi per aversionem esse authenticum docent, eatenus, quatenus omnes canones, ex quocunque fonte *An, & quomodo sit authenticum? Diversæ DD. opiniones, & quæ sit nostra?*

(u) Sic e. g. fontes authentici sunt canones Conciliorum Generalium, item Decreta Pontificum: & ideo si tales canones sint inserti huic Decreto, habebunt vim legalem.

fonte etiam ſpurio, adulterino ſint deprompti, authoritate pollent, dummodo tales canones uſu & praxi in vim legis fuiſſe aſſumptos oſtendi queat (x). Jam quæ noſtra ſit opinio paucis dicamus.

Itaque putamus Decretum iſtud omnino eſſe reducendum ad fontes, neque vim univerſalem unquam obtinuiſſe: Nam hujusmodi virtutem haberet vel a Gratiano? vel a Pontificum Eugenii III., & Gregorii XIII. approbatione? vel ex uſu, conſuetudine & receptione? non a Gratiano: quomodo enim homo & Religioſus privatus nulla authoritate legislativa præditus doctrinis privatis ſpiritum legalem infundere potuit? non a Pontifice: quia de approbatione legali non conſtat: nam approbavit quidem Eugenius III. iſtud Decretum, quamquam id ipſum adhuc in dubium vocetur, ſed non niſi in uſum ſcholarum, quatenus ad modum normæ, ſecundum quam jus eccleſiaſticum tradendum foret, in ſcholis a Doctoribus recipi poſſit, & debeat. Multo minus illud ex integro approbavit Gregorius XIII. in ſua Bulla, quam Decreto Gratiani poſt ultimam correctionem præmiſerat: nam ſi eam non nihil accuratius luſtremus, ſane nec verbulum reperiemus, ex quo univerſalis approbatio colligi poteſt. Itaque finis & ſcopus Pontificis alius non fuit, quam Collectionem noviter adornatam, correctam & emendatam pro ſuis meritis laudare, cæteris antiquioribus præferre, & inhibere, ne quis alius privatus authoritate propria illud de novo corrigere, emendare, addere vel demere præſumat, & hac ratione vel antiqua vel major canonum confuſio oriatur: atque ut hunc ſuum finem efficacius conſequeretur, ipſum fulmen excommunicationis contra illos intentare voluit, qui huic ſuo mandato contravenire præſumpſerint.

Sed nec ab uſu & receptione univerſalem authentiam obtinuiſſe videtur: quis enim ſibi prudenter perſuadeat, quod Judices eccleſiaſtici unius Doctoris privati ſententiis, ſpuriis Pontificum epiſtolis, adulterinis Conciliorum canonibus, quibus plenum eſt hoc Decretum, aſſurgere, eos homologare, aut in vim legis univerſalis recipere voluerint? aut enim ſciverunt, quod Decretum hoc ſcateat mendis, defectibus, canonibus adulterinis, epiſtolis ſpuriis, aut non ſciverunt? ſcientiam ſupponere vix poſſumus: quia ſi Correctores talem errorum ſcientiam habuiſſent, procul dubio Decretum ab illis purgaſſent: ſi autem non ſciverunt, conſenſus in receptionem, & talem quidem, quæ vim legis univerſalis habeat, ſupponi

(x) Id probant Doctores ex Cap. 3. Q. 1. ubi habetur remedium poſſeſſorium contra ſpoliatores: licet enim ille textus ſit ex fonte adulterino nempe Epiſtola ficta Joannis Pontificis, ex praxi tamen vim legis obtinuit.

ſupponi non poteſt: cum nihil magis obſit conſenſui, quam error. Aut certe ſi unquam Decretum iſtud vim legalem univerſalem habuiſſet, eam noſtris temporibus, magna ſaltem ex parte, deperdidiſſet, quibus ope Critices tot notantur ſpuria, adulterina, falſa, novioribus Juribus, hodiernæ diſciplinæ contraria, Juribus etiam Pontificiis præjudicioſa, imo aliqua non bene cum doctrinis catholicis cohærentia (y). Et fortaſſis hæc ipſa fuit ratio, cur Pontifices prudenti uti Oeconomia, atque Decretum iſtud ex integro approbare approbatione publica non voluerint; cæterum vero illius uſum tacite promovere in judiciis non deſierint: cum enim plurima ex epiſtolis Iſidorianis deprompta ad promovendam & amplificandam authoritatem Pontificiam perquam opportuna ex una; ex altera vero parte non pauca Juribus antiquis Metropolitanorum & Epiſcoporum vindicandis aptiſſima in hoc Decreto legerent, conſultius duxerunt ab approbatione publica prudentis Oeconomiæ cauſa abſtinere. Interim ſi quis in eam ſententiam concedere velit, quæ huic Decreto vim legalem per averſionem tribuit, non habet nos invitos, imo facile nos habebit conſentientes: nam ſi Jus civile Romanum ab hominibus Doctoribus & Jureconſultis privatis conſcriptum, ſi Jus Longobardicum privatum in Germania ex uſu, praxi, obſervantia & conſuetudine in vim legis univerſalis aſſurgere potuit, quare hæc ipſa ſors obtingere non potuit Decreto Gratiani, ut inſtar conſuetudinum feudalium Longobardicarum ex uſu forenſi authoritatem legalem obtineret? Et profecto rem ita ſe habere, id manifeſtiſſimo eſt argumento, quod non tantum plures textus ſpurii, ſuppoſititii vel certe ſuſpecti ex Decreto hoc deſumpti in Decretales Gregorii IX. fuerint relati (z), verum etiam in praxi in vim legis aſſumpti, atque ad hujusmodi canones haud ſecus, quam ad genuinos, ſinceros & authenticos provocari ſoleat: cujus exemplum præbet Cap. 3. Cauſ. 3. Q. 1. quod ex conſarcinatis epiſtolis antiquorum Pontificum eſt deſumptum, & Joanni Pontifici falſo adſcribitur, & tamen ex receptione & uſu vim remedii poſſeſſorii obtinuit. Multum autem intereſt in effectu, an Decretum unice ad fontes reducendum, vel per averſionem & in genere ex uſu & receptione eſſe authenticum dicamus: ſi primum, nullus prorſus canon vim legis habebit, niſi fuerit Concilii Generalis, vel Pontificis legis inſtar publicæ promulgatus: Si ſecundum, haud ſecus doctrinæ Doctorum

Multum authoritatis deperdidit noſtris temporibus.

Cur Pontifices illud integro non approbaverint?

Utrum per averſionem ſit authenticum?

Quid in effectu interſit, ſi per averſionem dicatur authenticum?

(y) Nam multa loquuntur de Juriſdictione Metropolitarum olim ad ipſos pertinente e. g. de Confirmatione Epiſcoporum &c.

(z) In hanc rem citat Boehmer cap. 11. de renunt. cap. 13. de Jud.

rum privatorum, quin etiam canones spurii, & adulterini legibus ecclesiasticis publicis annumerandi erunt, ac canones Conciliorum & Pontificum, de quorum authentia ex certis constat argumentis.

Etiam apud Protestantes habet summam authoritatem, & quare?

Hactenus dicta intelligenda sunt de authoritate, quam Decretum habet apud Catholicos. Sed quid de Doctoribus Protestantibus dicendum est? Res prorsus mira, quod eorum aliqui, esto errores in hoc Decreto contentos intellectu comprehendant, oculis videant, & manibus palpent, illud miris laudibus deprædicent, quamplurimi æstiment, atque illius etiam usum, in quantum nempe sibi visum fuerit, miris modis urgeant, & commendent. Inter hos eminet Stryckius, qui id sibi laboris dedit, ut ex hoc Decreto pro suis prælectionibus omnia illa loca extraheret, quæ sibi Doctrinam Protestanticam sapere videbantur, unde etiam hisce Lectionibus nomen dedit: *Præsidii Religionis Evangelicæ ex Jure Canonico in terris Protestantium* (a). Idem fecere alii, qui Gratianum inter testes veritatis reponunt, suæque Religioni haud pauca subsidia inde arcessunt: nam quia Gratianus plurima ex antiquis Conciliis tam generalibus quam particularibus suo Decreto inseruit, & multoties disciplinam Ecclesiæ veteris fideliter refert, eamque ab illis temporibus deducit, quibus authoritas Pontificia nondum supremum illum apicem attigit, ad quem medio ævo ascenderat, ad infringendam potestatem Pontificis passim ad Decretum Gratiani provocant, & authoritate illius ad stabilienda sua dogmata utuntur. Super quo videantur *Præsidia veritatis ex Jure Canonico* Joannis Feustking; *Dogmata Protestantica e Jure Canonico comprobata* Matthæi Pfaffii; Author *Asyli Innocentiæ Quesnellianæ in Jure Canonico quæsiti;* Spenerus Part. 1. der Bedenken cap. 1. Sect. 14. ubi memorabilem locum S. Augustini in cap. 36. de Consecr. distinct. 4. Decreto Gratiani singulari DEI providentia insertum esse ait, & sequentia addit: Ich nenne es billig eine sonderbare Regierung GOttes, indem solche Thesis nicht wenig Schaden dem Pabstthum, und sonderlich der übermäßigen Prærogativ des Cleri, in dem allein anderer Leute Seeligkeit fast einzig hangen solle, Einhalt thun, ja gleichsam eine Grund-Säule ihres Gebäudes übern Haufen werfen kan (b). Quapropter Boehmerus Decretum istud mirum in modum commendat etiam Doctoribus Protestanticis, attentata Lutheri Jus canonicum Vulcano tradentis reprobat, & scribere non dubitavit, Decretum istud majorem apud Protestantes quam Catholicos usum præstare: *eo quod disciplina eccle-*

Laudatur a Boehmero.

(a) Vid. Boehmer ad Tit. de Constit. §. 17.

(b) Idem ad Tit. de Const. §. 17.

ecclesiarum Protestanticarum ad antiqua instituta ecclesiastica propius accedat, quæ Gratianus in suo Syntagmate tam solicite conquisivit, sed a quibus recentior Ecclesiæ Romanæ disciplina recessit (c). Cæterum qua veritate id scribere possit Boehmerus, non video. Æquus rerum arbiter judicet, utrum Protestantes vel unicum dogma fidei, in quo nobis contrariantur, ex hoc Decreto probare, vel subsidium inde quærere queant. Sponte fatemur, quod hodierna Ecclesiæ disciplina ab antiqua in multis recesserit. Sed quid tum? utique ipsi fateri debent, quod disciplina Ecclesiæ ferme per omnia sæcula mutationem subierit. Et nunquid apud ipsos suarum ecclesiarum disciplina semper fuit eadem, constans, & invariata permansit? Multum autem authoritatis saltem pro usu scholarum deperdidit Collectio Gratiani, postquam Decretales Gregorii IX. in lucem emerserunt: quia paulo post abrogato usu Decreti in scholis publicis hæ instar normæ scholasticæ fuerunt adoptatæ, & vim authoritatis doctrinalis obtinuerunt. Plura de hujus Decreti authoritate infra dicemus, super qua legi meretur Boehmerus in sua Dissertatione de varia Decreti Gratiani fortuna, quam suo Corpori Juris Canonici præmisit. ***Authoritas illius diminuta per Decretales.***

CAPUT III.

De Collectionibus Decretalium potissimum Gregorii IX.

§. I. *De quinque Collectionibus Decretalium minus celebribus.* II. *De Collectione Decretalium Gregorii IX. specialiter de origine epistolarum Decretalium, earum promulgatione, asservatione, collectione & frequentia.* III. *Quomodo & ex quibus fontibus Gregorius suam Collectionem hauserit?* IV. *De divisione & ordine illius.* V. *De mendis & defectibus.* VI. *De usu & authoritate illius.*

§. I.

Hactenus egimus de Collectionibus Juris ecclesiastici, quæ ex canonibus Conciliorum, & epistolis Decretalibus Pontificum promiscue fuere

(c) Idem in Præfat. §. 21.

fuere compilatæ. Postea vero Decretales epistolæ a canonibus cœperunt separari, & sigillatim colligi. Quamvis enim Dionysius Exiguus, Isidorus, Gratianus, aliique Collectores suis codicibus immiscuerint epistolas Pontificum, hisque jam ab antiqua Synodo Romana sub Gelasio anno 494. Romæ celebrata in præsentia 70. Episcoporum sua authoritas fuerit decreta (d), nemo tamen fuit, qui dictas epistolas pontificias in separatum volumen rescissis Conciliorum canonibus colligeret, & orbi catholico in vim legis communicaret usque ad Bernardum Circa, Præpositum Papiensem, & postea Episcopum Faventinum, qui privato studio Pontificum Lucii III. usque ad Cœlestinum III. decretales collegit, & sub certis titulis digessit, & eodem pene ordine librorum & titulorum materias distribuit, quo hodierna Gregoriana Collectio composita est, sed sine numeris capitum aut titulorum, quos se addidisse monet Antonius Augustinus in notis ad cap. 1. in hac compilatione. Inscripsit Bernardus suam Collectionem *Breviarium Extravagantium*, quia fuit collecta ex iis, quæ extra Decretum Gratiani vagabantur, eo fine, ut esset supplementum Gratiani (e). Non tamen constat, quod hæc Collectio approbationem Pontificiam tulerit.

Origo Collectionis Decretalium in librum separatum.

Prima Collectio Bernardi Circa.

Secunda Collectio.

Paulo post duodecim circiter annis, post actam Bernardi Papiensis Decretalium Collectionem, alia Collectio prodiit, cujus tres nominantur Authores, Gilbertus, Alanus, & Joannes Gallensis, sive Vallensis, quibus tamen nomen & gloriam præripuit Joannes Gallensis, quippe qui rescripta pontificia ex utriusque Gilberti & Alani collectionibus congessit, iisque Rescripta Cœlestini III. addidit, & suis scholiis illustravit, ac non nulla a Gratiano prætermissa intermiscuit. Sed neque hæc Collectio ob defectum approbationis pontificiæ ad authoritatem legalem eluctari potuit, id quod inde convincitur, quod in cap. 40. de sent. excomm. textus citatus dicatur esse desumptus *ex verbis cujusdam Epistolæ, quam Scholastici ab Alexandro Papa emanasse proponunt.* At vero citatur hæc epistola in Collectione Joannis Gallensis, ad quam appellatur, ut adeo Pontifex illam Collectionem tanquam *opus mere Scholasticum* citasse videatur.

Tertiam

(d) Nam legitur in citata Synodo: *Item Decretales Epistolæ, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt.* Vid. cap. sancta Romana 3. dist. 15. de hac Synodo, illiusque celebratione hodie multum disputatur.

(e) Joan. Florens de Meth. & Auth. Collect. Grat. §. 4.

Tertiam Collectionem adornavit Magister Bernardus Compostellanus Archidiaconus ex regulis Innocentii III. Papæ, quæ dicta fuit *Romana.* Quoniam vero in hac compilatione quædam reperiebantur Decretales, quas Romana Curia non agnoverat, idcirco Innocentius III. novam Collectionem suo nomine compilari voluit, eique suas Decretales per Petrum Beneventanum Notarium superaddi præcepit. Hanc Collectionem idem Pontifex Doctoribus & studentibus Bononiæ destinavit, inscripsit, consecravit cum Epigraphe: *Innocentius Episcopus Servus Servorum DEI, universis Magistris Bononiæ commorantibus Salutem & Apostolicam Benedictionem &c.* Atque hæc Collectio fuit prima, quæ authoritate publica facta fuit Juris pontificii Collectio (f), & a pluribus rejecta Bernardi Compostellani Collectione *tertia Decretalium compilatio* vocatur. Elapso quinquennio a dicta tertia Collectione accessit quarta ex scitis Innocentii III., & quidem partim ex canonibus Concilii Generalis Lateranensis IV. numero viginti & uno; partim ex epistolis Decretalibus ejusdem Pontificis occasione variarum controversiarum ad Sedem Pontificiam delatarum deprompta, cujus duplex habetur editio teste Antonio Augustino in *Prooemio de quinque antiquis Collectionibus.*

Tertia Collectio, quæ dicitur Romana.

Quarta Collectio.

Successit demum Collectio quinta, quam adornari, & ad methodum priorem adoptari curavit Honorius III. immediatus Innocentii III. successor. Hic ergo exemplum sui Antecessoris imitaturus epistolas Decretales a se editas juxta numerum decem annorum, quibus rexerat Ecclesiam, decem libris per Tancredum Archidiaconum Bononiensem comprehendi, in volumen redigi, & sua authoritate publicari voluit, ea lege, ut ab omnibus reciperentur. Hujus Collectionis jam pridem canonum interpretes mentionem fecerunt, quin tamen publicam lucem aspexerit, donec Innocentius Cironius Academiæ Tolosanæ Cancellarius, & Professor Juris celeberrimus illam ex codicibus manuscriptis Bibliothecæ Albiensis erutam anno 1645. typis ediderit, ac notis scholiisque doctissimis illustraverit.

Quinta authoritate Honorii III. adornata.

Ex his quinque Decretalium Collectionibus duæ priores industria privata sunt coordinatæ; tres posteriores authoritate publica communitæ. Omnes hæ Collectiones usum aliquem habuerunt scholasticum, variis-

Earum authoritas & usus.

Oo 2

(f) Nam ut ait Antonius Augustinus: *Superiores omnes, sive Decretorum, sive Decretalium collectores privata authoritate scripserunt, & Rescripta ab eis relata negari poterant, nisi ab Scrinariis Romanæ Ecclesiæ comprobarentur.*

variisque Doctorum commentariis fuerunt illustratæ, ac plurimum utilitatis habent, non ideo duntaxat, quod in se contineant Conciliorum canones, & Pontificum decreta, quæ alibi vix reperiuntur, sed ideo vel maxime, quod ad intelligendum illustrandumque verum sensum Decretalium Gregorii IX. vel maxime conducere, quin imo esse necessaria videantur. Atque hæ sunt quinque illæ Collectiones, quæ Collectionem Gregorii IX. antecedebant, quarum tres posteriores fide constabant publica & authentica; duæ priores autem incertæ erant authoritatis, & fidei dubiæ. Inde autem nova litium messis enata fuit: dum enim Collectiones istæ ferme manibus omnium eruditorum, scholarium & Advocatorum in foris terebantur, hi vero a Pontifice ad Pontificem, ab hac Collectione ad aliam provocabant, non raro quasdam Collectiones in dubium vocabant, quasdam authoritate legali destitutas asserebant, inextricabiles sane infinitarum litium nodi, aliique morbi gravissimi necessitatem fecerunt cogitandi de medela opportunissima, eaque sufficientissima hisce tot, ac tantis malis, rebusque afflictis succurrendi. Huic ergo malo ut efficacissimam afferret medelam Gregorius IX. Honorii III. Successor jurium peritissimus, de nova Collectione adornanda cogitavit, ac opus tam grande, ac immensum actu in se suscepit.

Lites exinde enatæ.

§. II.

Collectio Greg. IX. illiusque authoritas, & usus.

Atque hic jam delabimur ad Collectionem celeberrimam Decretalium Gregorii IX., quæ authoritatem Decreti Gratiani multum attrivit, primatum tam in scholis, quam in judiciis obtinuit, & Virorum doctissimorum ingenia plurimum defatigavit, ac in id induxit, ut quamplurimis commentariis, notis, scholiis & animadversionibus illam illustrare totis viribus contenderent. Priusquam hanc Collectionem ad incudem vocemus, & examini subjiciamus, quædam præmittenda censuimus, quæ jam alibi aliqua ex parte attigimus, atque illud præprimis: quod Epistolæ Decretales originem trahant ab illis relationibus & consultationibus jam in primitiva Ecclesia ad Romanam Ecclesiam factis, utpote quam omnes totius orbis catholici Præsules velut Matrem omnium Ecclesiarum, & in ea Episcopum Romanum tanquam Primatem totius Ecclesiæ suspexerunt. Ad hunc igitur in causis dubiis ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus confugiebant, ut suam sententiam ediceret, & instar arbitrii supremi decerneret, quo jure, qua lege esset vivendum. Hæ igitur epistolæ non semper instar legis universalis emanabant, neque modo consueto promulgabantur, neque jus novum constituebant, sed

Origo Epistolarum Decretalium.

Illarum usus & authoritas.

ſed unice vim reſponſi authentici ſuper dubio juris antea conſtituti habebant, nihilominus tamen in archivo Romano ſeu Regeſtis diligenter aſſervabantur: unde fortaſſis factum eſt, quod hæ epiſtolæ Decretales Collectionibus canonum non fuerint immixtæ: etſi adhuc alia ratio ſubfuerit, hæc nempe, quod in ſenſu Juris antiqui ſoli Conciliorum canones proprie *Canones Eccleſiæ* fuerint appellati. Utrum Codici Eccleſiæ Univerſali epiſtolæ Decretales fuerint inſertæ, in Diſſert. priori ex Couſtantio retulimus.

Sed nec illud ex omni parte certum eſt, quod tales epiſtolæ unice in Archivo Romano fuerint aſſervatæ, neque per cæterum orbem catholicum promulgatæ: innegabile enim eſt, quod aliquoties Pontifices eas miſerint ad plures conjunctim Epiſcopos, quibus neceſſario communicandæ erant, non nunquam ad conſultationem Epiſcopi particularis reſponderint cum juſſu vel certe hortatu, ut eas cæteris Coepiſcopis communicarent, vel more tunc conſueto deſuper ad Synodum referrent, vel omnino per Dioeceſes & Provincias divulgarent (g). Prima igitur, ſicuti ſupra dictum, harum epiſtolarum Collectio fuit illa Dionyſiana, quam excipiebant aliæ, Ingelramni, & præſertim Gratiani. Ab hoc vero tempore quo poteſtas Pontificia in immenſum excrevit, inceperunt Pontifices plures & innumeras ſcribere epiſtolas non tantum ad conſultationem & relationem aliorum, ſed motu etiam proprio inſtar legis univerſalis cum juſſu, ut a cæteris Eccleſiæ Præſulibus cum debito reſpectu ac reverentia reciperentur. Inceperunt etiam appellationes frequentiſſimæ ad Romanum Pontificem, reſervationes, & avocationes cauſarum, quæ a Pontificibus decidendæ erant, ex quarum deciſionibus exuberantiſſimam novarum Decretalium meſſem enaſci neceſſum erat. Atque hæc immenſa Decretalium copia aliam fecit neceſſitatem nempe eas colligendi in unum quaſi faſciculum, ne, ſi incertis ſedibus vagarentur, in judiciis mera fieret confuſio canonum, & Decretorum, jamque nemo ſciret, quid lege anteriori vel poſteriori ſit conſtitutum. Unde factum eſt, ut quinque illæ Collectiones ſupra recenſitæ in lucem publicam emergerent. Verum neque hac ratione conſultum erat bono publico: cum hæc ipſa Collectionum multitudo novam pareret confuſionem in judiciis: quare, uti ſupra monuimus, demum Gregorius IX. operi manum appoſuit, & Collectionem novam adornari curavit, de qua nunc diſſerendum.

Aliquoties ad Epiſcopos miſſæ, ut promulgarentur.

Collectio illarum prima fuit Dionyſiana.

Oo 3 §. III.

(g) Petrus Couſtant in Præfat. part. II.

§. III.

Quomodo Greg. IX. suum opus fuerit exorsus?

Aggressus est Gregorius opus istud opera & industria Raymundi de Pennafort Pœnitentiarii & Capellani Pontificii anno 1230., & ex quinque Collectionibus anterioribus, adjectis etiam Constitutionibus novis a se editis Codicem adornari præcepit ad imitationem Justiniani Imperatoris, qui ex Codicibus Hermogeniano, Gregoriano & Theodosiano admixtis suis propriis Constitutionibus Codicem Justinianeum colligi jussit.

Ex quibus fontibus illud hauserit?

Ex quibus fontibus Gregorius, & suus fidelis Minister Raymundus suam Collectionem hauserit, ipse indicat in epistola illius confirmatoria: 1mo ex anterioribus Epistolis & Constitutionibus Pontificiis in diversa volumina dispersis, & illarum Collectionibus, quibus hinc inde immixta erant quædam ex Scriptura sacra, Synodis, & Patribus deprompta. 2do ex aliis epistolis suorum prædecessorum nondum in codicem aliquem relatis, & per incertas sedes vagantibus. 3tio accesserunt Epistolæ & Constitutiones ipsius Gregorii ad diversos in causis diversis scriptæ. 4to cum Gregorius jurium esset peritissimus, ac etiam amantissimus, in eo recessit a vestigiis suorum Antecessorum, quod non modo sua Rescripta, & Epistolas ad aliorum instantiam, consultationem, relationem, ac decisionem causarum datas suæ Collectioni inseruerit, sed etiam plura ex Jure civili deprompta sub nomine Constitutionum sine inscriptione tamen, & directione ad quemcunque, hoc ipso quod a nemine rescribere consultus & rogatus fuerat, immiscuerit, & hac ratione quodam velut connubio (felici an infelici dicam ?) Jus Canonicum cum civili conjunxerit.

Præluxerunt quidem Gregorio sui Prædecessores in formandis Judiciis, quæ cum strepitu forensi juxta normam Juris civilis instruxerunt, & decidendis causis controversis, quarum decisionem pluries ex legibus civilibus petebant: nemo tamen eorum placita quædam ex Codice Justinianeo depromere, eaque ad instar propriarum Constitutionum suis codicibus Pontificiis immiscere voluit. Aliud adhuc est, in quo Gregorius ab antiquis moribus recessum fecit. Consueverunt Pontifices antecedentes integras suas Epistolas in Codicem referre cum pleno tenore: Gregorius IX. non integras Decretales, ex more antecedentium compilationum, sed tantum præcipua earum capita, vel ipsas decisiones seu capitula referre, atque ad statum sui temporis dirigere, componereque erat contentus. Ex hac vero relatione frustillatim facta, ex omissione plurium circumstantiarum, quæ ipsam decisionem non raro ingrediuntur, ac causam mirum in modum immutant,

Non integras Epistolas inseruit.

Inde multa incommoda.

novæ

novæ rurſus difficultates interpretibus creatæ fuerunt, diſſenſus ſuborti, controverſiæ exortæ, quibus nemo ſuccurrere poterat, niſi qui integras epiſtolas evolvere, vel omiſſas circumſtantias ſupplere collaboraverit. Hoc ipſum induxit Antonium Contium, ut ea, quæ omiſſa erant in Decretalibus, textui ſubjiceret, & ſenſum evidentiorem eidem reſtitueret, quo ſuo labore Vir iſte eruditis omnibus Jurium Doctoribus & Studentibus ingens profecto præſtitit beneficium, atque effecit, ut poſthac additiones iſtæ conſtanter novis Editionibus ſingulis non obſtante editione Romana ſub Gregorio XIII. publicata, in qua omiſſæ ſunt, ſubjici meruerint. *Antonius Contius ſupplevit.*

§ IV.

Diviſit Gregorius Collectionem ſuam in quinque Libros: Libri dividuntur in titulos, hi in capita, quæ ſi prolixiora fuerint, ſubdividuntur in Paragraphos. In Libro primo agitur in genere de quibusdam ad Jus eccleſiaſticum pertinentibus, ſingulariter de legibus eccleſiaſticis, modis perveniendi ad Prælaturas eccleſiaſticas, ſeu Jurisdictionem eccleſiaſticam &c. In ſecundo Libro de Judiciis eccleſiaſticis ſeu forma Judiciorum. In Libro tertio de variis Juribus & Privilegiis Eccleſiarum, & Clericorum. In Libro quarto de Sponſalibus & Matrimoniis. In Libro quinto de Proceſſu Criminali, & variis Delictis ac Criminibus. Quæ omnia ſequenti vulgatiſſimo continentur verſiculo: *Diviſio Collectionis in quinque libros.*

Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen,

Ordinem & nexum materiarum in his Libris fruſtra deſideramus, & inanem laborem in ſe ſuſcepturus foret, qui talem nexum per conquiſitas non nunquam ridiculas rationes extorquere, & quaſi crinibus attrahere vellet, prout a non nullis Doctoribus Jurium fieri non ignoramus. Brevem Exegeſin materiarum & titulorum omnium exhibet Pertſchius (h).

§. V.

Collectionem hanc non eſſe omnino optimam tum ob defectum ordinis accurati, & connexionis inter materias, truncatas epiſtolas Decretales, quas Raymundus, licet ex optima intentione, brevitatis cauſa reſecuit, & truncatim, reſciſſis etiam iis, quæ ad ſenſum epiſtolæ rite intelligendum omnino forent neceſſaria, Collectioni inſeruit; tum *Collectio hæc non eſt ex omni parte perfecta.*

(h) Vierte Abtheilung von den Decretalen, 290. & ſeq.

tum ob additionem eorum, quæ Raymundus Decretalibus, quas suo quasi tempori accommodare volebat, de proprio admiscuit, & hac ratione alienum omnino sensum canoni vel Decretali epistolæ affinxit, nemo negabit. *Illustratur exemplis.* Et quod hæc a parte rei ita se habeant, indubitatis exemplis, iisque pluribus manifeste ostendit Van-Espen: in hanc rem affert Cap. 9. de Consuet. Cap. 3. de Appell. Cap. 2. de Judic. Cap. 6. de Probat. Cap. 3. de Constit. Cap. 5. de For. compet. Cap. 2. de Elect. Cap. 1. de Jud. Quapropter consulit Vir consultissimus, ut tam Collectiones anteriores, quam ipsi Decretalium fontes consulantur, quos consulere ad innumera obscura dilucidanda, dubia submovenda, sensum intelligendum omnino erit necessarium. Rem hanc Author eruditissimus duplici exemplo illustrat, quorum unum ex Cap. 5. de Testam. alterum ex Cap. 13. eod. depromit. Noverint omnes, qui Jura vel a limine tantum salutarunt, qua animorum contentione inter se collidantur Doctores in Quæstione, *utrum valeat rei alienæ legatum:* Item an voluntas Testatoris in voluntatem tertii rejici valeat? Ipsa Jura canonicum & civile inter se videntur collisa. Jus civile legatum rei alienæ sub certis tamen modis omnino approbat §. IV. Instit. de Leg. econtra voluntatem propriam in alienam transferri in factione Testamenti nullo modo permittit L. XXXII. ff. de Hæred. instit. Jus Canonicum vero quoad utrumque contrarium statuit, & in cit. Cap. 13. dispositionem Juris Civilis tacite reprobare videtur. Jam vero nemo ignorat, quantum in conciliandis Juribus & textibus sudent Jureconsulti. At vero, inquit Van-Espen, omnis difficultas cessat, si epistolas Decretales Pontificis integras & originales inspiciamus: inde enim mox patebit, omnem difficultatem ex eo oriri, quod Compilator quædam truncaverit; quædam necessaria intermiserit, sensum turbaverit, vel circumstantias quasdam referre neglexerit (i).

§. VI.

Illius authoritas prorsus summa, quare? Jam de usu & authoritate hujus Collectionis. Nulla profecto ex omnibus, quæ in hodiernam usque diem lucem publicam aspexerunt, Collectionibus tantum mox a suo principio obtinuit authoritatis, quantum hæc Collectio Gregorii. Sed mirum id videri non debet: inprimis enim ipse Gregorius hanc suam Collectionem verbis amplissimis approbavit, & corroboravit; insuper prohibuit, ne quis aliquam epistolarum Decretalium Collectionem adornare auderet; eamque Doctoribus

(i) Vid. Van-Espen Part. 8. Cap. V. & VI.

bus Bononienſibus inſcripſit, dedicavit, conſecravit, quo ſibi Viros hos mirum in modum devinxit, ita, ut abrogato Decreto Gratiani aut ſaltem non nihil depreſſa illius authoritate in normam ſcholarum hanc Collectionem Gregorianam aſſumerent: maxime quod hæc collectio viſa fuerit commodior, ordinata magis, ſtylo illius temporis magis attemperata, & quamplurima ex Jure civili Romano deſumpta in ſe contineat; præcipue autem illius Compilator proceſſum Judiciarium in ordinem ordinatiſſimum, & longe meliorem, quam eſt in Jure civili, diſpoſuerit. Et quoniam eo tempore in aulis Principum ſolus Juſtinianus cum ſuis legibus perſtrepuerat, & ex Jure civili Romano ferme ſolo, quidquid doctrinæ, eruditionis ac Jurisprudentiæ habuere ævi illius Jureconſulti, veluti ex fonte puriſſimo hauſerant, mirum non eſt, quod tam docentes, quam diſcentes opus iſtud ambabus manibus ſint amplexati, illud inſtar normæ accommodatiſſimæ receperint, optime gnari, hac ratione, ſi jam Juſtiniani legibus canones Gregorii IX. jungerent, ac utrique Jurisprudentiæ pari ſtudio incumberent, ſe ad prima officiorum, ac dignitatum ſubſellia promovendos. Cum enim ipſi Principes & Epiſcopi omnem ſuam fiduciam in Jureconſultis collocarent, illorum conſiliis in ſuo Eccleſiarum & Provinciarum regimine uterentur, ſua judicia conformiter legibus civilibus ordinarent, ſecundum has etiam controverſias deciderent, illi profecto prima ſubſellia occupabant, varia ac ferme omnia miniſteria Conſiliariorum, Judicum, Advocatorum obibant, qui ex ſcholis publicis revertentes ingens legum civilium armamentarium ſecum reportarunt. Ex his ergo confectarium erat, ut hæc Collectio Gregorii per omnes plagas non modo Italiæ, ſed etiam Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Belgii longe lateque diffunderetur, ac dominatum ipſi etiam Juri civili præriperet. Porro cum infra de authoritate Juris Canonici ſingulariter acturi ſimus, plura ad Quæſt. IV. reſervamus. A Sæculo ergo XIII, & XIV. poſt deturbatum e ſua poſſeſſione Decretum Gratiani hæc Collectio ferme ſola uſum ſcholaſticum, & dominatum in omnibus ferme Academiis obtinuit; hæc ſola de cathedris exponitur, in hanc innumera ſcribuntur commentaria, ad hanc in Judiciis provocatur, niſi per noviores Collectiones eidem fuerit derogatum.

Commodior, & ordinata magis.

Jurisprudentia dominabatur in aulis Principum.

Hæc Collectio per omnes plagas primatum obtinuit.

CAPUT IV.
De reliquis Collectionibus in corpore Juris clausis.

§. I. *Utrum post Collectionem Gregorianam ad tempora usque Bonifacii VIII. alia Collectio fuerit facta.* II. *De Collectione Bonifacii VIII. illius scopo, & materia.* III. *De illius approbatione & Authoritate præsertim in Gallia.* IV. *De Clementinis Clementis V.* V. *De Extravagantibus in genere.* VI. *De Extravagantibus Joannis XXII.* VII. *De Extravagantibus communibus.* VIII. *De libro VII. Decretalium.* IX. *De Collectionibus variorum Pontificum, quæ tamen suum effectum non obtinuerunt.* X. *De Institutionibus Lancelloti.*

§. I.

An a tempore Gregorii IX. usque ad Bonifacium VIII. quædam facta Collectio?

Quia Gregorius IX. in epistola suæ Collectionis confirmatoria severe interdixerat, ne quis aliam Collectionem absque authoritate Sedis Apostolicæ speciali facere præsumeret, scribunt non pauci Doctores (k), ad tempus aliquod ab ulteriori compilatione Decretalium, & quidem usque ad Bonifacium VIII. cessatum fuisse, donec hic Pontifex anno sui Pontificatus 4. sub finem Sæc. XIII. novam Decretalium Collectionem fieri mandasset, & suo nomine publicasset.

Duæ a Boehmero asseruntur.

Refellit hanc communem opinionem Boehmerus, qui duplicem Collectionem tempore inter Gregorium IX., & Bonifacium VIII. medio fuisse compilatam demonstrat, quarum una fuit Innocentii IV., qui canones Concilii Lugdunensis anno 1245. celebrati ad normam & methodum Decretalium Gregorii IX. colligi mandavit, eamque ad Academiam Bononiensem more suorum Antecessorum transmisit, ut tam in judiciis, quam in scholis usum præstaret. Altera est Gregorii X. in ipso Concilio Lugdunensi II. ad similem normam disposita, & pariter sub eadum formula, qua prior, ad Bononienses transmissa. Neutra tamen ex his optatum obtinuit effectum, & prior quidem penitus fuit neglecta, & nunquam lucem aspexit publicam (l). Posterior autem simpli-

(k) Van-Espen part. 8. cap. 2. Mastricht in Hist. Jur. Eccles. n. 366. Struvius in Hist. Jur. cap. 7. §. 26.

(l) Hanc Collectionem nunquam antehac editam ex Codice Manuscripto regiæ Biblio-

ſimpliciter inter canones Concilii fuit relata, & nunquam in forma Collectionis prodiit.

§. II.

Animadverſio hæc Boehmeriana neutiquam eſt inepta. Interim excuſari merentur omnes Doctores, qui poſt Collectionem Gregorii IX. immediate ponunt Collectionem Bonifacii VIII., hoc ipſo, quod duæ priores nunquam civitate fuerint donatæ. Itaque neglectus iſte utriusque prædictæ Collectionis ſine dubio anſam dedit compilationi novæ ſub Bonifacio VIII. conflandæ. Hic ergo anno Pontificatus ſui tertio, vel quarto tribus Viris doctiſſimis Guilielmo de Mandagoto Archiepiſcopo Ebrodunenſi, Berengario Fredello Epiſcopo Bitterenſi, & Richardo de Senis S. R. E. Vice-Cancellario commiſit provinciam, novam moliendi compilationem: quod a temporibus Gregorii IX. plures eſſent editæ Decretales, de quarum fide non ſemper conſtaret. Quisnam ſcopus, materia & methodus hujus Collectionis fuerit, ſane luce meridiana clarius ex verbis epiſtolæ Collectionis confirmatoriæ colligitur, quæ in ipſo Corpore Juris legenda proſtat, ut adeo illius verba adducere, ſupervacaneum nobis videatur (m). Scopus ergo Bonifacii alius, ſaltem principalis, non fuit, quam Decretales Pontificum, quæ extra Collectionem Gregorii IX. vagabantur, & quarum fides in judiciis vacillabat, in unum volumen redigere, eaque redactione diſcernere, quæ rejiciendæ, & quæ repudiandæ eſſent. Pro materia ſubſtrata hujus Collectionis aſſumpſit quasdam epiſtolas Gregorii IX. quas ipſe ſuæ Collectioni non inſeruerat, & quæ ante editam Bonifacii compilationem dicebantur Extravagantes Gregorii IX.; dein epiſtolas & Decretales ſuorum Prædeceſſorum, & præcipue ſuas proprias; item canones duorum Conciliorum Lugdunenſium, & duas præcedentes Decretalium Innocentii IV. & Gregorii X. *compilationes:* quo facto ambæ hæ Collectiones deſierunt eſſe, & conſtituere partes *Corporis Decretalium* ſeparatas, adeo ut Bonifacius VIII. ſuam Collectionem *Librum VI.* appellari juſſerit, ſicque impoſterum, neglectis duabus præcedentibus, immediate Collectioni Gregorii IX. in Libros V. diviſæ ſucceſſerit, ejusque *Librum ſextum* conſtituerit.

Animadverſio Boehmeriana non eſt inepta.

Bonifacius VIII. fieri mandat novam Collectionem.

Illius ſcopus & finis.

Materia hujus Collectionis.

Interim etiam Bonifacius ſuam Collectionem in quinque Libros, & hos in titulos ad imitationem Gregorii IX. diviſit, eamque quaſi appendi-

In quinque libros diviſa.

Bibliothecæ Berolinenſis edidit Boehmerus in append. ad Corp. Jur. Can. pag. 348.

(m) Vid. Prooem. ad lib. 6. Decret.

pendicem five fupplementum Decretalium Gregorii haberi, & propterea ad diftinctionem illarum *Librum fextum* vocari voluit, quo nomine in hodiernam usque diem citari folet.

§. III.

Illius approbatio & promulgatio.

Hunc librum Bonifacius in pleno Confiftorio fedulo perlectum, examinatum atque approbatum anno 1298. quinto nonas Martii, anno Pontificatus IV. promulgavit, & ad Academiam Bononienfem, imo ex multorum opinione etiam ad Univerfitates Parifienfem, & Aurelianenfem transmifit, licet Doctores & Gallicani & Germani paffim teftentur, illam in Gallia non effe receptam ob notiffima, & fane fcandalofa diffidia inter Bonifacium VIII., & Philippum Pulchrum Regem Galliarum (n). Teftantur nihilominus alii, hanc Collectionem hinc inde etiam in Galliis habere ufum non modo fcholafticum in Univerfitatibus, fed etiam in Judiciis ecclefiafticis, illiusque Decreta aliquoties in decidendis caufis fuiffe adhibita (o). Noftrum non eft hiftoriam diffidiorum inter Bonifacium, & Philippum pulchrum pertexere. Id unum addimus, in hac Collectione plura contineri, quibus Decretalibus anterioribus fuit derogatum. Quapropter libri hujus omnino ratio habenda erit (p).

Utrum in Galliis fit recepta, & ufum ibidem habeat?

§. IV.

Collectio Clementis V. ab ipfo adornata, fed non publicata & quare?

Poft fextum Decretalium fequuntur Clementinæ, feu Collectio Clementis V. Hic ille fuit Pontifex, qui fedem Pontificiam Roma tranftulit Avenionem. Hic ergo conftitutiones generales Concilii Viennenfis, cui præfuit anno 1311. una cum non nullis aliis fuis Conftitutionibus, atque Epiftolis Decretalibus ante, aut poft illud Concilium emiffis colligi, atque ad editionem parari curavit. Sed morte præ-

(n) De his poft alios fufe agit Van-Efpen in opere pofthumo pag. m. 617. & feq. difceptabatur nempe inter illos fuper authoritate Pontificis in temporalia, jure Regaliæ &c.

(o) Duarenus de Sac. Ecclef. Minift. in Præfat. Petri de Marca lib. 4. cap. 16.

(p) Author quidam Novitius Moguntiuus in fua Differtatiuncula *de fontibus Juris Canonici Germanici* prætendit, hanc Collectionem nec in Germania effe receptam, & provocat ad opus pofthumum Van-Efpen pag. 702. Sed male, quia Van-Efpen unice loquitur de Belgio, quod utique Germania dici nequit.

præventus illam publicare non potuit: imo scribunt non nulli, quod lectulo mortuali affixus, jamque morti proximus illius publicationem prohibuerit (q); prius tamen eandem pro more consueto ad Academiam Aurelianensem adhuc in vivis miserit, etiam ad alias transmissurus, nisi, ut dictum fuit, pœnitentia ductus, de ea abolenda, antequam animam ageret, cogitasset (r). Nihilominus illius Successor Joannes XXII. eam publica authoritate donandam esse censuit, approbavit, & Doctoribus Bononiensibus inscripsit. Etiam hæ Clementinæ dividuntur in quinque Libros; hi vero in Titulos, & continent Decretales Clementis, quas ante, & post Concilium Viennense vel in ipso Concilio edidit. Eas amplissimo decreto in terminis prægnantissimis concepto pro usu scholarum non tantum, sed etiam judiciorum approbavit Joannes XXII., quod præfationis instar Clementinis in Corpore Juris clausis est præfixum, & omnino legi meretur. *Eam publicavit Joan. XXII.*

§. V.

Hactenus de Collectionibus in Corpore Juris clausis egimus. Progrediendum igitur ad Collectiones, quas *Extravagantes*, veluti extra Corpus Juris vagantes appellare solemus. Verum mox in limine nobis opponi animadvertimus, etiam ipsas *Extravagantes* esse in Corpore Juris clausas: aut si hoc verum non est, nos vagari extra nostros limites, cum utique nobis constitutum sit unice agere de Collectionibus in Corpore Juris clausis. Recte prorsus hic nobis scrupulus movetur, quo non raro discipulos etiam pulsari experientia didicimus, tunc maxime, quando de Reservationibus Beneficiorum audiunt, quod alia sit clausa in Corpore Juris, qualis est illa sola, quæ habetur in cap. 2. de Præbend. in 6.; & alia non sit clausa, qualis legitur in Extravag. execrabilis Joannis XXII. eod. tit. & altera in Extravag. ad Regimen Benedicti XII. eod. tit.: cum tamen hæ omnes & singulæ sedem fixam in Corpore Juris habeant. Idcirco operæ pretium duximus hunc scrupulum submovere. *De Extravagantibus.* *Cur dicantur Extravagantes, cum tamen sint in corpore juris clausæ?*

Rem ab ovo damus. Ex Scriptoribus, & monimentis constat, quod olim, postquam Decretum Gratiani in lucem prodiit publicam, omnes Constitutiones Pontificiæ in hoc Decreto non contentæ, nomine Extravagantium fuerint designatæ: quapropter Bernardus Papiensis, qui primus post Decretum Gratiani compilationem fecerat, eam

 voca-

(q) Aventinus Annalium Bojorum 7.

(r) Boehmer in Præfat. ad Decret. §. 17.

vocavit *Breviarium Extravagantium.* Verum postquam Collectio Gregorii IX. in lucem emersit, cum Decretales in ea comprehensæ, utpote jam in certum ordinem & formam redactæ, & Pontificia authoritate munitæ, adhuc tamen extra Corpus Juris consistere crederentur, Doctores illius ævi indicandæ huic Collectioni solum vocabulum *extra* retinuerunt. Ab eo tempore nomen *Extravagantium* ad novas Constitutiones translatum est, quæcunque Corpori Juris insertæ non essent. Jam vero dantur Extravagantes duplicis generis etiam in Corpore Juris contentæ, quæ tamen ambæ retinuerunt nomen Extravagantium, videlicet *Extravagantes Joannis XXII.* & *Extravagantes communes.* Vocantur autem *Extravagantes*, quod ambæ singulari rescripto Pontificio non fuerint munitæ, multo minus authoritate publica in Corpus Juris relatæ: Approbavit quidem Joannes XXII. suam compilationem, dum in fine apposuit consuetam clausulam: *Nulli ergo &c.* Quia tamen speciali rescripto cæterarum instar confirmata non fuit, neque ad Academiam Bononiensem, aut alias Universitates transmissa, eo quod præfatus Pontifex pleniorem compilationem adornare in animo habuerit, suum pristinum locum, nomen, & characterem inter Extravagantes retinuit. Inde etiam est, quod duæ illæ Reservationes in Extravagantibus contentæ in hodiernam usque diem dicantur *non clausæ in Corpore Juris.*

§. VI.

Extravagantes Joan. XXII.

Quædam celebriores.

Jam de ipsis Extravagantibus Joannis XXII. quam paucissimis dicamus, quæ nihil sunt aliud, quam 20. Constitutiones hujus Pontificis, quas ipse sub 14. titulis anno Pontificatus sui nono, id est, anno 1325. promulgavit. Sunt quædam harum Constitutionum magni prorsus momenti, uti Extravag. Execrabilis de Præb. & dignit. ubi Pontifex sibi reservavit reservatione generali Beneficia incompatibilia; Extravag. ad Conditorem de V. S. in qua a se abdicavit Dominium illud famosum Fratrum Minorum, illudque naturæ rei esse contrarium asseruit. Fuit Joan. XXII. Vir acris ingenii, dissidia valde gravia habuit cum Ludovico Bavaro, Annatarum etiam maxima ex parte habetur Author; strenue tamen pro juribus suis Pontificiis decertavit.

§. VII.

Extravagantes com-

Breviter etiam de Extravagantibus communibus videamus. Nempe circa finem Sæc. XV. in lucem emersit Collectio quædam Constitutionum

num Pontificiarum ſub nomine *Extravagantium communium.* Dicuntur *communes:* quia non ſunt unius, ſed plurimorum, & quidem 25. Pontificum a Bonifacio VIII.; vel ut alii volunt, ab Urbano IV. usque ad Sixtum IV. qui per annos plusquam 220. nempe ab anno 1262. usque ad annum 1483. ſedem Pontificiam tenuerunt. Diſtincta eſt hæc Collectio in libros quinque, complectitur Titulos 35. Capitula 74.

munes, & quare communes dicantur?

In eo non tantum ambæ Extravagantes a Decretalibus in Corpore Juris clauſis diſtinquuntur, quod usque nunc extra illud vagari dicantur; ſed in eo etiam, quod ambæ deſtituantur approbatione legali. Quidquid ergo authoritatis legalis habent, id omne ex receptione, praxi, uſu, & conſuetudine acceperunt.

Sunt authenticæ non ex approbatione, ſed uſu.

§. VIII.

Sequitur Liber ſeptimus Decretalium, cujus Author fuit Petrus Mathæus Jurisconſultus Lugdunenſis, qui novam compoſuit Collectionem Decretalium, eamque jam anno 1590. abſolvit. In Corpus Juris autem hæc Collectio primum relata fuit anno 1661. dum nova Decretalium editio Cardinali Cajetano dicata in lucem prodiit. Continet Liber hic ſeptimus Decretales in Corpore Juris non contentas a tempore Gregorii IX. præcipue Sixti IV. usque ad Sixtum V. Plura in hoc Libro a Scriptoribus notantur, deſiderantur, & quodammodo carpuntur. Ipſa inprimis inſcriptio notam meretur: nam inſcripſit Author ſuam compilationem *Librum ſeptimum*, quem tamen propter ſuperadditas Extravagantes potius Librum nonum inſcribere debuiſſet. Antiquiorum nec Librorum nec Titulorum ordinem ſervavit, titulos mirum in modum ſine neceſſitate multiplicavit, plura utilia prætermiſit, multa minus neceſſaria ſuo operi intexuit. Singulariter Doctores Galli Matthæum Lugdunenſem male habent, atque id vitio illi vertunt, quod ipſe pro juribus & libertatibus patriæ ſuæ, id eſt Gallicanis tam ſegniter zelaverit; quin imo plurimum eisdem præjudicaverit, dum ſuæ Collectioni tot Decretales Pontificum inſeruit, quæ cum juribus Eccleſiæ Gallicanæ vix ſtare aut conciliari poſſunt. Deeſt etiam huic Collectioni approbatio publica, & ideo ad legalem authoritatem eluctari nunquam potuit, neque illam ex praxi & conſuetudine obtinuiſſe conſtat. Alium adhuc commiſit errorem hic Compilator, qui ferme memoria nobis excidiſſet, nempe quod plura ex Concilio Tridentino ſuæ Collectioni inſeruerit, quin tamen indigitaverit, quid Synodus Tridentina novi ſtatuerit, aut in quo a Jure Canonico antiquiori receſſerit, id quod ſane intermittere non debuiſſet: quia id ingenti prorſus & commodo & utilitati fuiſſet

Liber ſeptimus Decretalium ſucceſſu temporis in corpus juris relatus, quid contineat? Plura in hac collectione deſiderantur, & carpuntur a Gallis.

Non habet authoritatem legalem.

Singularis defectus detegitur.

Illum emendavit Douiat. fuiſſet legentibus. Defectum hunc egregie ſupplevit, & emendavit Joannes Douiat in ſuis annotationibus ad Inſtitutiones Lancelloti. Hactenus recenſuimus Collectiones, quas varii Pontifices (excepto ſolo Libro VII. Decretalium) fieri curarunt.

§. IX.

Plures Pontifices meditabantur Collectiones præcipue Sixtus V. Plures Pontifices ſimilem laborem meditabantur: tum, ut Eccleſiæ & bono literario in melius proſpicerent, ſicut credebant: tum ut nomen ſuum æternitati tranſcriberent. Simile opus meditabatur etiam Sixtus V. jamque actu Viris eruditis pluribus Cardinali Dominico Pinelli, Cardinali Hippolyto Aldobrandini, Cardinali Hieronymo Pinelli, Lucio Salano Epiſcopo Rupano, Seraphino Olivario Auditori Rotæ, Franciſco Begna Auditori Rotæ, Pompejo Arrigonio Advocato Conſiſtoriali, Julio Cæſari Oddinello Secretario Congregationis provinciam novam Collectionem adornandi ſub titulo Liber ſeptimus Decretalium anno 1588. demandavit. Inceptum fuit iſtud opus, ſed brevi iterum, neſcio quo fato, intercidit. Quod ſi Fagnano fides adhibenda eſt, Gregorius XIII. jam opus iſtud auſpicari cogitabat, ac laborem hunc tribus Cardinalibus Flavio Urſino, Franciſco Alciato, & Antonio Caraffæ commiſit; morte tamen præventus illud conſummare non potuit. Quapropter Sixtus V. continuationem operis commendavit prædicto Cardinali Pinelli, & huic ſocios laborum dedit duos Cardinales Aldobrandini, & Columna. Aſt neque ſub hoc Pontifice opus iſtud ad finem fuit perductum. Succeſſit in dignitate Pontificia Sixto V. præfatus Cardinalis Aldobrandini ſub nomine Urbani VII. Hic ergo opus tandem conſummaturus tres ex ante dictis laborum ſociis ad dignitatem evexit Cardinalitiam, injuncto onere opus inchoatum perficiendi, quod & feliciter anno 1593. conſummarunt. At vero nova difficultas exorta impedivit, ne Collectio in lucem prodiret publicam: nam dubitatum fuit, utrum huic Collectioni decreta doctrinalia Concilii Florentini, & Tridentini inferenda forent, cum in anterioribus Collectionibus nihil ſimile factum eſſe legatur. Rebus in utramque partem ponderatis concluſum fuit, omnino eſſe immiſcenda. Quapropter mox opus iſtud in V. libros & in ſuos titulos diviſum fuit. Quia vero etiam Urbanus VII. fatis conceſſit, priusquam integrum opus finem obtinuit, illud primum ſub Pontificatu Clementis VIII. anno 1598. ſub nomine Libri ſeptimi Decretalium typo fuit commiſſum. Jamque in eo res erat, ut hæc Collectio authoritate publica promulgaretur, cum ecce! recruduit prior dubitatio, an Decreta Concilii Florentini, & Tridentini inferenda forent:

Hacque

Hacque ratione publicatio Collectionis fuit impedita. Ita rem refert Prosper Fagnanus, cui eo major adhibenda est fides, quo liberiorem habuit accessum ad Archivum Romanum, quod ipsi qua Secretario sacræ Congregationis apertum esse debuit (f).

§. X.

Institutiones Lancelloti. *Jus ecclesiasticum ad normam juris civilis Romani redactum.*

Ultimum locum in Corpore Juris Canonici occupant Institutiones Lancelloti. Ex dictis facile colligitur, quod Jus Canonicum per Collectiones successive publicatas in eam ferme formam fuerit redactum, quam in Jure Civili Romano suspicimus. Novimus, quod Jus Civile Romanum in Corpore Juris clausum in se complectatur Pandectas, Codicem, Novellas, & Jus Feudale seu Longobardicum de Consuetudinibus Feudalibus: Quid ni dicere liceat, quod in Jure ecclesiastico vices Pandectarum sustineat Decretum Gratiani; Codicis Decretales Gregorii IX.; Juris Longobardici seu Consuetudinum Feudalium Extravagantes? solæ desiderabantur Institutiones. Hunc defectum suppleturus combinandis Institutionibus ad normam Juris civilis manum admovit Sæc. XVI. Joannes Paulus Lancellotus Jureconsultus Universitatis Perusinæ longe celeberrimus. Meminit Lancellotus in suo Prooemio, se hortatu, jussuque Pontificis hunc laborem suscepisse, quo completo ipse Romam profectus fuit, ubi illum Paulo IV. Romano Pontifici obtulit, & longo tempore ibidem perstitit. Idem Pontifex opus istud tribus Viris eruditis Fabio Accorumbano, Julio Oratino, & Antonio Massam, aliisque librorum Censoribus revidendum approbandumque commisit. Sperabat Lancellotus approbationem a Pontifice obtinendam. Sed nihil obtinere valuit, licet ultra biennium Romæ sollicitaverit. Et quoniam Lancellotus finem Concilii Tridentini in proximo esse conspexit, optimeque prævidit, quamplurima sibi in sua Collectione fore immutanda, & emendanda, suas Institutiones nomine & authoritate propria anno 1563. in lucem edidit. Postquam Synodus Tridentina eventu optato finem obtinuit, Lancellotus multum sollicitabatur, ut ea, quæ a Patribus Synodi Tridentinæ immutata fuerunt, annotaret, & suæ Collectioni insereret: Attamen, ut id laboris in se susciperet, persuaderi non potuit. Sub Pontificatu Pauli V. plures approbationem Institutionum Lancelloti solicite impetrare contendebant, sed frustraneo conatu. Id unum concessit Pontifex, quod Institutiones hæ cæteris

Institutiones composuit Lancellotus hortatu Pontificis.

Illarum approbationem obtinere non potuit.

(f) In Commentario ad cap. 11. de Judic. N. 61.

teris Collectionibus in Corpore Juris contentis appendicis instar adjungi valeant. Itaque id saltem honoris & præmii reportavit Lancellotus, quod sibi licuerit primam suam editionem inscribere Pio IV., jamque opus suum in Corpore Juris locum honorificum obtinuerit.


Divisit in 4. libros. Divisit Lancellotus Opus suum in IV. Libros ad normam Triboniani, & in his Jus ecclesiasticum secundum triplex objectum Juris, nempe *Personas*, *Res*, & *Actiones* pulcherrimo ordine examinat. *Summam merentur commendationem.* Profecto meretur Opus istud commendationem summam ob pulcherrimum ordinem, brevitatem, & suam methodum, ac optandum foret, ut Jus Canonicum in scholis publicis secundum has potius Institutiones, quam ordinem Decretalium, quæ ob suam vastitatem, & materiarum confusionem tam docentibus, quam discentibus plurimum facessunt difficultatis, explanare liceat. Idcirco mirum non est, quod tot commentaria in has Institutiones a Viris doctissimis edita lucem publicam aspexerint, & in quibusdam scholis publicis Jus ecclesiasticum secundum ordinem harum Institutionum potius, quam Decretalium explicetur.

Hactenus de Collectionibus Juris Novi in Corpore clausis. Atque his etiam huic opellæ finem imponimus eum in finem,

ut

In omnibus glorificetur DEUS.

F I N I S.



QUÆSTIO

QUÆSTIO III.

DE COLLECTIONIBUS JURIS ECCLESIASTICI NOVISSIMI.

Accingimur Juri ecclesiastico novissimo explanando, quod extra corpus Juris vagari dicitur. Optarunt non pauci novam Collectionem hujus Juris, existimantes, Benedictum XIV. P. M. sane literatissimum pro sua immensa eruditione huic operi suffecturum. Verum vota hæc fuere, eruntque posthac frustranea: Num enim Pontificem quemcunque, quantocunque eruditionis apparatu, fortitudine, ac magnanimitate animi præditum id ausurum, aut salva sua authoritate in his rerum ac temporum circumstantiis delicatissimis, quibus Ecclesiæ variæ suas objiciunt libertates, Episcopi sua jura Episcopalia communia & singularia, Reges & Principes suum *Jus regium cum Placito Regio*, audere posse existimamus? Anne Episcopi per orbem universum diffusi novam Juris collectionem instar legis sine contradictione acceptabunt, aut Principes illius promulgationem & acceptationem patienter ferent? Agimus etiam in hac Collectione de Curia Romana, de variis Tribunalibus & Congregationibus Romæ erectis: tum quod alii Authores de his agere non soleant: tum ut Candidati Jurisprudentiæ ecclesiasticæ aliqualem horum habeant notitiam in praxi haud exiguum fructum allaturam. Tu Lector vale, & fave.

INDEX CAPITUM.



CAPUT I.

De Collectionibus Juris ecclesiastici novissimi in genere, earum origine & incrementis.

§. I. *A quo tempore Jus novissimum sit incipiendum, & quænam huc pertineant?* II. *De variis Conciliis generalibus post obitum Clementis V. celebratis, Pisano, Constantiensi, Basileensi, Florentino, Lateranensi, Tridentino.* III. *De Concordatis Germaniæ remissive.* IV. *De Pace Religiosa & Westphalica remissive.*

§. I.

Visum est nobis *Jus ecclesiasticum novissimum* auspicari a tempore, quo Clemens V., qui sedem Pontificiam Roma Avenionem in Galliam transtulit, e vivis excessit. Esto enim ab illo tempore, quo sedes pontificia Avenionem translata fuit, plures Synodi Generales fuerint celebratæ, innumera emanaverint Pontificum Decreta, schismata plura turbaverint Ecclesiam, Hæreses diversæ intoxicaverint religionem, varia inita fuerint pacta inter Ecclesiam Romanam, & alias inferiores Ecclesias, inter Pontificem & Episcopos, inter Ecclesiam & Imperium, inter Principes ecclesiasticos & politicos, totusquantus status ecclesiasticus & politicus mirum in modum immutatus fuerit, novamque faciem induerit, nulla tamen amplius emanavit Collectio canonum, & Decretalium authoritate Pontificis suffulta: quamquam, si unquam, certe nostris temporibus talis foret summe necessaria, ut, quæ adhuc ex antiquis canonibus obtinent, vel per noviores subierunt mutationem, alterationem & reformationem, aut quæ sint Jura particularia Pontificum & Episcoporum, ecclesiarum particularium, & Ecclesiæ Universalis, eo luculentius constaret, ne toties de regundis finibus agendum foret. Profecto Jus istud, quod a tempore prædictæ translationis in Ecclesiam fuit invectum, jure optimo *Novissimum* dicere possumus, maxime si ad temporum rerumque circumstantias reflectamus. Quatuor potissimum ante oculos nobis ponamus temporis periodos, & illud præprimis tempus, quod fluxit ab anno, quo Clemens sedem pontificiam Roma Avenionem transtulit, usque ad schisma illud magnum, quod ecclesiam per 50. annos mire divexavit; secundo tempus intermedium, quo

Jus novissimum incipit a tempore Clementis V. & quare? mira rerum turbatio & vicissitudo ab illo tempore usque nunc.

Quatuor temporum periodi valde sunt notabiles.

quo Joannes XXII. cum Ludovico Bavaro fuit colliſus; tertio ipſum tempus ſchiſmatis; & quarto tempus Reformationis ad noſtra usque tempora. Quoniam vero hæc ſingula fuſiori calamo alibi diſcuſſimus, Lectorem noſtrum eo remittimus (a).

§. II.

Synodi interea celebratæ.

Juvat hic recenſere Synodos Generales, quæ a tempore Clementis V. ad noſtra usque tempora fuere celebratæ, & quasdam deſuper animadverſiones facere, ut inde appareat, quanta canonum in codicem quemdam redigendorum copia ſuperſit, ſi quis grande opus aſſumere in animum ſuum induceret.

Res beneficiales mutatæ. *Reſervationes Pontificiæ.* *Schiſma, & Synodi deſuper celebratæ.* *Synodi Baſileenſis & Tridentina valde ſunt celebres.*

Ex quo ſedem pontificiam Avenionem transferri contigit, res eccleſiæ potiſſimum Beneficiales in dies magis magisque in pejus abire cœperunt. Nunquam ſane Pontifices ſuas gratias exſpectativas tam frequenter, tanto cum rigore exercuerunt, eccleſias ſuis exactionibus onerarunt, jura inferiorum Epiſcoporum reſtrinxerunt, quam illo tempore, quo Avenione ſuam ſedem fixerunt. Acceſſerunt Reſervationes Pontificiæ Joannis XXII., & altera omnium præcipua Benedicti XII. Denique ad ſchiſma ventum fuit, quo magis exitioſum Eccleſia nunquam fuit experta. Ad iſtud tollendum primitus Synodus Piſana fuit convocata, qua in irritum ruente Synodus Conſtantienſis ſchiſma componere debuit. Secutæ ſunt aliæ Synodi, Baſileenſis, Ferrarienſis, Florentina, Lateranenſis V., ac denique Tridentina. Has inter duæ potiſſimum ad Jus eccleſiaſticum pertinent, quæ illud miris modis auxerunt, videlicet Synodus Baſileenſis, & Tridentina. In priori actum fuit de regendis finibus Jurisdictionis & Jurium Pontificiorum, de tollendis gravaminibus ab omnibus ferme Nationibus contra Pontifices propoſitis, & oblatis, de gratiis exſpectativis abolendis, reſervationibus reſtringendis, Annatis prorſus caſſandis, appellationibus ad Curiam Romanam coercendis, ex quibus maxima ſane ſequi debuit immutatio in Jure eccleſiaſtico. Ex hac ulterius Synodo originem traxit Sanctio Pragmatica Gallicana, & inde ſecutum Concordatum Gallicum. Huic potiſſimum Synodo debemus noſtra Concordata Germaniæ eatenus, quatenus Germani generoſius cum Pontifice agentes haud parum in reverentiam ſedis Romanæ de ſuis juribus remiſerunt, quæ ipſis haud ſecus, quam Gallis in Synodo Baſileenſi fuerunt ſtabilita.

Baſileenſis ſingulariter ad jus Germaniæ illuſtrandum ſpectat.

(a) Vid. Diſſert. II. de Jure Eccleſ. German.

ta. Quod alibi jam monuimus, iterum iterumque monemus, nempe, ut in pervolvendis hujus aliarumque mox praecedentium & subsequentium Synodorum actis simus soliciti, quia ex his praecipue Jura singularia nostrae Germaniae sunt discenda

Tridentina est celeberrima. Quid de Synodo Tridentina dicamus? nulla profecto hactenus fuit celebrata Synodus, quae plures condidit canones morum ac disciplinae, plenos Spiritu S., sapientia, & discretione, quam haec Synodus, quibus res ecclesiasticae mirum in modum fuerunt exornatae. Utinam haec per exempla innumera commonstrare liceret! Illud hic singulariter animadvertendum duximus, quod ab illo tempore, quo inter Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum notissima illa agitabantur dissidia, authoritati Juris communis multum fuerit derogatum. *A tempore Joannis XXII. authoritati Juris communis multum fuit derogatum* Agebatur de restringenda Pontificum potestate in Synodo Constantiensi & ita quidem, ut Patres congregati Sess. 4., & 5. sententiam dicere non dubitaverint, *Concilium esse supra Pontificem:* quidquid de hoc interea sit, an Synodus Constantiensis quoad utramque illam sessionem pro authentica sit habenda. *Per Synodum Constantiensem.* Hujus ulteriori argumento sunt illa potissimum, quae in Sessione septima sunt statuta, in qua appellationes frivolae ad Romanum Pontificem rejectae, gratiae exspectativae cassatae, ulteriores reservationes beneficiorum Pontificibus interdictae. *Per Concordata.* Quoniam vero super omnibus in hisce Synodis conveniri non poterat, soluta Synodo varia pacta & Concordata inter Pontifices, Imperatores, Reges, Episcopos, & Principes fuere inita, inter quae sine dubio primum locum occupant nostra Germaniae Concordata, de quibus alibi (b). *Per Reformationem.* Ultimam veluti stragem intulit Juri communi ecclesiastico praetensa Reformatio. Hac erumpente illius authoritas ruinam minitabatur, & forsan in totum, saltem apud Protestantes, fuisset conquassata, nisi ipsi Jurisconsulti Lutherani intercessissent, de quo infra dicemus plura (c).

§. III.

De Concordatis Germaniae remissive. Opportunus hic foret locus agendi de Concordatis Germaniae, ut-pote quae apud nos Germanos jus faciunt *novissimum*, & in certo sensu *antiquum*, quatenus ecclesiis Germanicis Jura quaedam antiqua subtracta, & mediantibus hisce Concordatis postliminio fuere restituta. Sed de his Concordatis jam alibi fusiori calamo egimus (d). Illud unicum addere libet, quod Germani post solutam Synodum Basileensem, illius Sessionem 31. ulterioribus provisionibus anno 1439. die 26. Martii Moguntiae

(b) Dissert. 2. de Jure Eccles. cap. 1. (c) C. ult. hujus Q. (d) Loc. cit.

guntiæ ſpeciali conſtitutione confirmaverint, & receperint; ſed ab hac libere per Concordata receſſerint, & hac ratione notabiliſſimam jurium ſuorum partem in manibus Pontificum generoſe reliquerint.

§. IV.

Pax religioſa, & Weſtphalica Religioni & Eccleſiæ ſumme perniciosa.

Etiam de Pace religioſa, ac Weſtphalica loc. cit. fuſius egimus. Nemo dubitavit, quod funeſtiſſima Pax hæc Religioni, Eccleſiæ, & Juri Catholico-eccleſiaſtico ingentem cladem intulerit, quidquid Pontifices contradixerint. Interim ſtandum eſt paci, in quantum Juri Canonico per illam derogatum fuit, tunc ſaltem, quando cum Proteſtantibus nobis res eſt. In aliis cauſis ipſi etiam Proteſtantes Jus Canonicum non dedignantur, illud docent in ſcholis publicis, obſervant in Judiciis, ſecundum illud decidunt cauſas, agunt in beneficiis &c. Quapropter ſi quæ apud ipſos oriatur controverſia extra materiam Religionis, in materia tamen ad Jus eccleſiaſticum pertinente e. g. circa Electionem, Poſtulationem; Aſſumptionem Coadjutoris, & illam ad Judicium Imperii aulicum deferri contingat, ſecundum principia Juris Canonici procedi ſolet. De his infra erit occaſio plura dicendi.

CAPUT II.

De Curia Romana & diverſis tribunalibus Pontificiis.

§. I. *De Curia Romana, & diverſis tribunalibus in genere.* II. *De Conſiſtorio Cardinalium ordinario & extraordinario & cauſis conſiſtorialibus,* III. *De Cancellaria.* IV. *De Dataria.* V. *De Pœnitentiaria antiqua,* VI. *& potiſſimum Romana.* VII. *De Signatura Juſtitiæ.* VIII. *De Signatura gratiæ.*

§. I.

Ad Collectiones J. E. referuntur Bullarium M. Regulæ Cancellariæ, deciſiones Rotæ Romanæ &c.

Cum ad Collectiones Juris eccleſiaſtici paſſim Doctores referant *Bullarium magnum*, *Regulas Cancellariæ*, *Deciſiones Rotæ Romanæ*, aliarumque Congregationum Romæ erectarum decreta, operæ pretium duximus, quædam cum pro meliori horum intelligentia, tum pro praxi de Curia Romana, Tribunalibus Pontificiis, Dicaſteriis, & Congregationibus Romæ erectis communicare. Sæpenumero audimus, vel legi-

legimus de Stylo Curiæ Romanæ, de Consistorio, Cancellaria, Dataria, Pœnitentiaria, Signatura Justitiæ & Gratiæ, Congregationibus, & ne quidem, quid nominis vel rei hæc sint, scimus. Itaque rerum harum aliqualem notitiam dare constituimus.

Quid sit Curia Romana?

Ordimur ab ipsa *Curia*, quæ in genere considerata est locus a supremo Principe singulariter electus, ut in eo causæ quæcunque ad ipsum seu pro administranda Justitia, seu pro levandis necessitatibus tam publicis, quam privatorum delatæ expediantur. Est ergo nomen *Curiæ* nomen genericum, & sub se complectitur varia Dicasteria, Tribunalia, Audientias, & Congregationes, in quibus Princeps summus hæc omnia expediri jubet, & mandat. Ex his facile constat, quid sit *Curia Romana*: nempe est Senatus summi Pontificis, in quo causæ ad sedem Pontificiam delatæ expediuntur. Jam secundum diversitatem negotiorum & causarum diversæ etiam sunt *Curiæ*. Communius *Curia Romana* in duas partes dividitur: ad primam pertinent negotia *contentiosa*; ad alteram negotia mere *gratiosa*. Pro expediendis negotiis & causis contentiosis erecta sunt varia Tribunalia, & Congregationes. Pro gratiosis *Dataria*, *Cancellaria*, & *Secretaria Brevium*, *Indulgentiarum*, & *Memorialium*. De his jamjam videamus, non secundum ordinem causarum, sed secundum illum ordinem, qui nobis ad nostrum scopum & finem obtinendum magis aptus videbitur.

Pro diversitate negotiorum curia est duplex.

§. II.

De Consistorio Cardinalium.

Inter cæteras *Curias Romanas* eminet *Consistorium Cardinalium*. Consistorium dicitur a verbo *consistere*, & in genere consideratum est locus vel Dicasterium, in quo Princeps de rebus publicis consultat, ac deliberat. Prout huc pertinet, est consessus Cardinalium cum Pontifice tanquam suo Capite super negotiis consistorialibus consultantium. Caput ergo hujus consessus est ipse Pontifex: Cardinales sunt quasi Consiliarii intimi, a quibus Pontifex consilium & votum requirit, hoc ipso, quod hodiernis moribus constituant supremum Pontificis senatum.

Est duplex, ordinarium & extraordinarium.

Duplex autem hodie est Consistorium, *ordinarium*, & *extraordinarium*. Extraordinarium est, ad quod etiam alii Prælati ecclesiastici, Ministri, ac Principum Oratores & Magistratus vocantur, ut si Pontifex quemdam fasto Sanctorum solemni ritu adscribat. *Ordinarium*, ad quod soli Cardinales conveniunt pro negotiis ordinariis pertractandis & solet vocari *Secretum*. *Ordinarium* pro beneplacito ipsius Pontificis &

negotiorum urgentia, & communius teste Cardinali de Luca (e) bis vel ter in mense, & quidem feria secunda convocatur (f). Indicitur Consistorium die præcedente: comparent Cardinales die & hora indicta cum solemni apparatu, &, si fides Cardinali de Luca adhibenda, *more regio*, ita quidem, *ut tot Reges reputari mereantur.* Verum id persuadebit citatus Eminentissimus Author illis, qui præter Romam & hunc apparatum nihil viderunt. Inchoatur Consistorium non sine pompa & solemnitate, dum Pontifex Sede aliquantulum elevata sedens, januis apertis, & permisso Viris Nobilibus & qualificatis aditu Cardinalibus auricularem præbet audientiam, qua finita, ac cæteris dimissis cum solis Cardinalibus negotia consistorialia incipit. Sunt autem negotia consistorialia potissimum sequentia: *Creatio Cardinalium* more consueto, nempe vel cum publicatione *ore tamen reserato*, vel *cum reservatione in pectore; Provisiones* Ecclesiarum Patriarchalium, Metropoliticarum, ac Cathedralium vacantium, etiam Titularium tantum, & in partibus infidelium existentium, ac Monasteriorum consistorialium, uti vocantur (g); *Concessiones Coadjutoriarum cum futura Successione* in Ecclesiis Metropoliticis, Episcopalibus, & Monasterialibus consistorialibus; ac denique *dimissiones* sive liberæ, sive per translationem cum debita petitione solutionis a ligamine factæ Episcopatuum, & Abbatiarum consistorialium; *Confirmationes* Episcoporum *cum prævia Canonizatione* (h); depositiones & privationes Episcoporum; petitiones Palliorum cum debita forma; Uniones non nullarum Ecclesiarum; concessiones Privilegiorum majorum, quæ fiunt Principibus, ecclesiis; ac demum omnia alia negotia majora tam ecclesiastica, quam politica universum orbem catholicum concernentia, qualia nostris temporibus occurrunt quamplurima, dummodo non in forma judicii, & cum strepitu forensi, sed solummodo prudentialiter, & politice, id est secundum regulas prudentiæ Politicæ, & *Rationem Status* sint expedienda. Cum in hodiernum usque diem certæ taxæ pro similibus expediendis negotiis, præcipue

Quæ sint negotia Consistorialia.

De taxis, earumque retaxatione.

(e) In relatione Curiæ Romanæ Discur. 5.

(f) Olim tempore Innocentii III. per hebdomadem ter habebatur.

(g) Notant tamen Authores, quod Monasteria Consistorialia aliquoties extra Consistorium expediantur per Datariam.

(h) Nam quando fit confirmatio Episcopi electi, tunc duplex celebratur Consistorium, in quorum primo per Cardinalem, qui vocatur *Proponens*, fit sola nominatio Electi, quæ dicitur Præcanonizatio: In secundo fit solemnis confirmatio more consueto.

præcipue pro expeditionibus literarum apostolicarum, & *Annatæ* debeant solvi, ex stylo Curiæ receptum est, ut si taxa non correspondeat reditibus, retaxatio seu relaxatio taxæ in hoc ipso Consistorio ab Agente petatur, quæ potest vel concedi, vel negari, & semel denegata de novo peti; tertia autem vice non nisi rescripto novo remissivo Papæ ad Collegium Cardinalium. In ipsis etiam Concordatis Germaniæ in hoc puncto provisum est (i).

Quoad stylum hujus Consistorii illud adhuc addendum est, quod, cum ob majorem Consistorii majestatem omnis strepitus forensis, & contentiosa discussio ab eo exulare debeat, frequentius autem graves oppositiones & contradictiones ab ipsis etiam Cardinalibus in absentia partis contradicentis fieri soleant, quædam alia particularis Congregatio negotiorum Consistorialium præparatrix seu consultrix ex competenti Cardinalium numero, aliorumque peritorum Prælatorum cum Secretario sit constituta, qui debite informari, ac prævie partibus opponentibus sufficienter auditis in forma contentiosa stylo tamen Curiæ proportionata causam examinare debent. Plura citatus de Luca, a quo tamen alii Scriptores, qui de noviori stylo Curiæ scribunt, quoad aliqua differunt.

Stylus Consistorii.

De Congregatione negotiorum Consistorialium præparatrice.

§. III.

Ad Curias pro *negotiis gratiosis* expediendis destinatas progrediamur. Harum prima est *Cancellaria.* Multum disputant Scriptores de ipso hoc nomine. Plures putant, quod sit vox barbara, per quam significatur locus pro conficiendis, scribendis, & expediendis literis publicis per Viros singulariter constitutos destinatus. Hinc Cancellarius in hodiernam usque diem dicitur ille, ad quem pertinet expeditio literarum, & principalis cura Rescriptorum, Sanctionum, Legum publicarum, in tantum, ut nihil eorum sine illius præscitu, notitia, & expeditione prodeat in publicum, & omnia in debita forma expediantur. Inde etiam est, quod Cancellarii sub se & sua cura habeant Archiva Principum, dirigant in Cancellariis, & expedienda expediant.

Quid nominis & rei sit Cancellaria?

Origo hujus Officii in Curia Romana non est certa. Ad tempora Innocentii III. quidam illam reducunt. Olim tanta non erat dignitas, & eminentia Cancellarii, quanta est hodie: & officio hoc fungebantur Viri infimæ sortis, dummodo doctrina & probitate fuerint conspicui. Bonifacius VIII. creditur illud demandasse Cardinalibus, ut, quemadmodum

De origine Officii Cancellarii.

(i) §. *Item circa.* Ubi inter alia dicitur: *Siquæ vero excessive taxatæ sint, juste retaxentur.*

modum ipsi sunt primarii Justitiæ Ministri, ita etiam negotia Justitiæ per ipsorum manus expedirentur. Hodie Cancellarius habet titulum fixum Cardinalitium, & quidem admodum conspicuum, scilicet ad S. Laurentium in Damaso; habitationem quoque commodam & amplam in palatio, quod Cancellaria dicitur. Non tamen se nominat Cancellarium, sed Vice-Cancellarium, si sit Cardinalis: quare autem ita scribere soleat, haud facile est divinare. Card. de Luca, qui, ubicunque loquitur de dignitate Cardinalitia, illam supra omnes stellas & cœlos, supra omnes Angelos elevat, rationem a suprema dignitate status deducit, existimatque prorsus suo statu sublimissimo indignum esse, si Cardinalis officio Cancellarii fungatur; attamen haud fore indecens, si illud provisionaliter & jure commendationis administret. Neque id novum aliquid, aut extraordinarium in curia esse credendum est: cum id ipsum in *Dataria* ex more recepto fieri soleat, ita, ut si Cardinalem munere Datarii fungi contingat, hic se non *Datarium*, sed *Prodatarium* scribat.

Cancellarius habet titulum fixum.

Non se nominat Cancellarium, & quare?

Ratio Card. de Luca.

Est Officium istud primariæ dignitatis: & Cancellarius cæteros omnes Aulæ Romanæ Ministros præcedit, primaria & graviora Sedis Apostolicæ negotia publica & solemnia, qualia sunt Consistorialia, aliaque plurima per illius manus transeunt, sub illius directione in Cancellaria per Officialium manus expediuntur literæ Apostolicæ, seu Bullæ omnium negotiorum, & omnium Brevium Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum, ac Monasteriorum Consistorialium; item omnium reservationum super pensionibus motu proprio Papæ concessarum; ac demum singulæ aliæ Bullæ aliarum provisionum beneficialium, dispensationum, gratiarum, cæterorumque negotiorum, quæ per organum Eminentissimi Prodatarii antea transeunt in Dataria. Idem Cancellarius suscipit juramentum Fidelitatis ab illis, qui ad Episcopatus, Pælaturas, aliasque Dignitates ecclesiasticas promoventur, aliisque Aulæ Pontificiæ, & præcipue Cancellariæ Ministris & Officialibus. Ipse præest Prothonotariis Apostolicis, Expeditoribus Brevium, Officialibus, quibus cura Archivi est demandata; Auditoribus Rotæ, Abbreviatoribus, Advocatis Consistorialibus, Secretariis, Plumbatoribus, Senescalco, aliisque Ministris.

Officium Cancellarii est primariæ dignitatis.

Primaria negotia, expeditiones Bullarum, Brevium per illius manus transeunt.

De illius præsidentia.

Plures sub se habet Cancellarius Officiales, quorum aliqui sunt Prælati majores annexam habentes Prælaturam, quales sunt Regens Cancellariæ, & duo Præsidentes *de majori vel minori Banco*, ita dicti a loco Cancellariæ, in quo conveniunt, qui vulgo *Banco* dicitur. Sunt nempe duo Collegia in Cancellaria, quorum primum nuncupatur Collegium

Plures sub se habet Officiales.

Duo Collegia unum de

legium Abbreviatorum majoris Præſidentiæ, ſeu de *Banco majori;* alterum minoris Præſidentiæ ſeu de *Banco minori.* Utriusque munus eſt reſolvere quæſtiones, dubia, ac controverſias in Cancellaria oriri ſolitas circa poſitiones clauſularum in bullis, & ſic ſunt Judices controverſiarum omnium, quæ ſuper expeditione & extenſione bullarum potiſſimum circa Curialia oriri poſſunt (k). Præter hos ſunt adhuc alii Officiales: Summiſta Cancellariæ, Plumbator, Cuſtos Regiſtri Bullarum, aliique diverſorum nominum Officiales, qui omnes & ſinguli in Bullis revidendis, tranſcribendis, plumbandis, regiſtrandis occupantur. De Regulis Cancellariæ infra dicemus. *Banco majori, & alterum de minori.*

§. IV.

Altera Curia pro expeditione negotiorum gratioſorum ſeu tribunal gratiæ eſt *Dataria*, quæ vocatur a voce barbara *Datare*, quod idem eſt, ac datam, ſeu datum temporis literis publicis ſeu privatis, legibus, Diplomatibus, inſtrumentis adjungere, prout antiquitus, & noſtris temporibus more eſſe receptum legimus: & quia Præſes hujus Collegii manu propria *datum*, ſeu tempus, quo gratia conceditur, addere ſolet, eidem nomen *Datariæ* impoſitum fuit. *Dataria, unde dicatur?* Tribunal iſtud ſi ex ſuo objecto, ſeu negotiis, quorum expeditio ad illud pertinet, emetiamur, eſt ampliſſimum: nam huc pertinent collationes Beneficiorum reſervatorum, vel affectorum tam in vim Regularum Cancellariæ, quam aliarum apoſtolicarum conſtitutionum, ſi illorum reditus non excedant 80. Ducatos; reſervationes penſionum ſuper iisdem Beneficiis; diſpenſationes matrimoniales, ſuper irregularitatibus, natalibus, ætate &c. beneplacita apoſtolica ſuper alienatione bonorum eccleſiaſticorum; Eccleſiarum uniones, Coadjutoriæ, erectiones in Eccleſiam Cathedralem, vel Collegiatam, ſuppreſſiones, dismembrationes, erectiones novorum Canonicatuum, Beneficiorum, diſpenſationes in votis & juramentis, confirmationes ſententiarum, prolongationes termini legalis e. g. in electionibus, & collationibus Beneficiorum: paucis, omnia illa negotia, in quibus Pontifex gratiam concedere vult, in hoc tribunali gratiæ ſunt expedienda. *Negotia ad illam pertinentia.*

Collegium iſtud tres perſonæ principales conſtituunt, *Datarius*, ſeu *Prodatarius*, ſi ſit Cardinalis, *Subdatarius*, & *Præfectus Vacantiæ per obitum.* Hiſce aſſiſtunt plures Officiales ſubalterni: *Adminiſtrator com-* *Perſonæ Collegium iſtud conſtituentes.*

(k) Teſtantur Scriptores, quod Prælati de minori Banco ſint Officiales otioſi, vix habentes, quod agant, niſi ut curam habeant, quatenus Bullæ ferantur, & tradantur Prælatis majoribus.

componendarum, *Præfectus Officii Datarum*, duo *Revisores omnium supplicationum beneficialium*, *Revisor omnium supplicationum matrimonialium*, *Subdatarius Datarum*, *Officialis de Missis*, *Substitutus Præfecti Officii Datarum*, & *Notarius* (l).

Origo hujus Collegii. De origine hujus Collegii non ita constat. Verosimilior est opinio, quæ illam derivat ab illo tempore, quo Pontifices innumera Beneficia reservabant, vel per gratias exspectativas conferebant: cum enim Pontifices similia non in consistorio, sed in sua aula & conclavi expedire consueverint, haud infrequenter ob occurrentium negotiorum multiplicitatem contigit, ut Pontifex sui immemor idem beneficium pluribus concederet. Ut ergo hisce incommodis contraveniret, placuit fiduciarium assumere Ministrum, qui vices ageret Secretarii, similia expediret, & tempus *datæ*, vel *signatæ* accurate annotaret, quatenus constaret, quænam in ordine ad consequendum effectum sint gratiæ anteriores, vel posteriores.

Datarius hodie est Cardinalis. Et hæc ipsa est ratio, cur hic Officialis nomen Datarii reportaverit. Munus istud quondam obtigit Prælatis ecclesiasticis, qui ordinarie de gremio Auditorii Rotæ assumebantur: ex recentiori observantia datur Cardinalibus, qui se Prodatarios scribere solent, ne ipsorum dignitas vilescere videatur. *Illius Officium.* Munus Datarii est, omnes supplicationes revidere, antequam Papæ signandas tradat. Singulis diebus de mane in palatio Datariæ habetur Congregatio, in qua examinantur negotia *Modus expediendi negotia.* Papæ proponenda, & supplicationes ab ipso signandæ: postea ingrediuntur alii Officiales, qui pariter examinant ea, quorum expeditio ad ipsos pertinet. Peracto examine Datarius se confert ad Papam cum fasciculo supplicationum, eique ad signandum præsentat. Post signationem supplicationes restituuntur Datario, qui dein expeditionem ulteriorem procurat. Nimis longum foret, si stylum hujus Curiæ accurate describere vellemus: videndi ergo sunt Authores, qui de hac re ex professo scribunt. Id unum addendum esse existimavimus, quod non omnia supra dicta negotia in examine hujus Congregationis expediantur, sed aliquoties juxta gravitatem, & naturam negotiorum ad Congregationem Concilii, vel Episcoporum pro voto remittantur (m).

§. V.

De Pœnitentiaria. Ad tribunal *Pœnitentiariæ* progrediamur. Jam in veteri Ecclesia, dum adhuc vigebat pœnitentia publica, quidam constituebatur Presbyter

(l) Vid. Elem. Jur. Can. Eusebii Amort. in Append. ubi hæc munia egregie explicat. (m) Vid. Corradus, & Rebuffus.

byter Pœnitentiarius eum in finem assumptus, ut doceret homines, quænam peccata pœnitentiæ publicæ sint subjecta, & quomodo procedendum in injungenda pœnitentia privata cum hominibus propter peccata occulta, quæ in publicum proferri non expediebat, dum metuendum erat, ne hoc ipsis pœnitentibus detrimento esset, vel Ecclesiæ offendiculo. Officium istud invaluit tempore persecutionis Diocletiani; & iterum abrogatum fuit a Nectario Episcopo Constantinopolitano tempore Theodosii Imperatoris, prout refert Socrates, & Sozomenus (n). Aliud genus Pœnitentiariorum erat satis notum circa sæcula posteriora, dum nempe Episcopi Viros quosdam excellentiores quasi in Coadjutores, & Vicarios assumebant, ut in expediendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis vices Episcopi supplerent, quorum tamen potestatem Episcopi pro suo arbitrio limitabant ad certas personas, & restringebant ad crimina (o), salvo semper manente recursu ad ipsum Episcopum. Cum vero hujusmodi recursus essent valde frequentes, placuit Episcopis Virum quemdam eruditione ac pietate præstantem constituere, ad quem haud secus, quam ad Episcopum, liberrimus pateret accessus, quem *Pœnitentiarium majorem* nominabant. Ad hunc igitur majorum criminum absolutio, & pœnitentiæ impositio pertinebat: ad hunc reliquis Confessariis in casibus dubiis pro consilio confugiendum erat (p). Ipsa etiam sacra Synod. Trid. voluit, ut in omnibus Cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri potest, Pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ proxime vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor Theologiæ, vel in Jure Canonico &c. (q).

In primitiva Ecclesia erat quidam Presbyter Pœnitentiarius.

Origo & abolitio hujus Officii.

Pœnitentiarii sequioribus temporibus ab Episcopis assumpti veluti coadjutores.

Pœnitentiarius major.

Synodus Tridentina præcepit, ut assumatur Pœnitentiarius.

§. VI.

Ut jam ad *Pœnitentiariam Romanam* veniamus, quemadmodum Episcopi, ita etiam Romani Pontifices suos habuere Pœnitentiarios: cumque labentibus sæculis plurium criminum ac censurarum absolutiones, nec non votorum atque canonicorum impedimentorum relaxationes ad Sedem Apostolicam devolutæ sint, etiam major & frequentior pro iis obtinendis fuit ad Sedem Apostolicam accedendi necessitas. Quoniam vero his examinandis, & decidendis solus Pontifex erat insufficiens, omnia Pœnitentiario plene commisit, idque primitus, ut anno-

Pœnitentiarius a Pontifice assumptus.

(n) Vid. Pingham. Orig. Eccles. lib. 18. cap. 3. Tom. 8. pag. 152.
(o) Van-Espen part. 1. Tit. 12. cap. 3. (p) Idem loc. cit.
(q) Sess. 24. de Reform. cap. 8.

annotat Card. de Luca, tam pro foro interno, quam externo, adeo, ut pleraque negotia, quæ hodie per *Datariam* & *Secretariam Brevium* transeunt, *per organum Pœnitentiæ* concederentur. Verum cum tractu temporis plura continuo negotia ad Pœnitentiariam devolverentur, tandem necessum fuit alios Officiales adjungere, qui unum cum Pœnitentiario tribunal constituerent, quod *Pœnitentiaria* vocatur. Duravit hæc Pœnitentiarii authoritas usque ad tempora Pii IV. qui anno 1562. Bullam reformationis Pœnitentiariæ Apostolicæ edidit, & illius potestati arctiores limites posuit. Aliam iterum Bullam reformatoriam antiqua cassata publicavit Pius V., qui numerum Officialium ad paucos reduxit, penes quos posthac sit potestas dirigendi tribunal Pœnitentiariæ.

Huic alii Officiales adjuncti, qui unum tribunal constituebant, quod vocatur Pœnitentiaria. Pius IV., & V. illius potestatem restrinxerunt.

Pœnitentiaria in quem finem sit instituta? Pertinet vel ad forum conscientiæ, vel ad forum judicii.

Est ergo tribunal istud eum in finem institutum, ut pœnitentes, qui incurrunt in aliquod crimen Papæ reservatum, absolvi, & a quocunque impedimento canonico liberari possint in foro conscientiæ tantum, & non in foro fori. *Pœnitentiaria* considerari potest, vel prout est tribunal conscientiæ, quatenus pœnitentes in hoc tribunali per Pœnitentiarios a peccatis Papæ reservatis absolvi possunt; vel prout exercetur ad normam alicujus tribunalis audiendo supplicationes super petitis absolutionibus & dispensationibus, præcipue absentium ab urbe, cognoscendo causas eum in finem, ut literæ dispensatoriæ in debita forma expediri valeant. Ad Pœnitentiariam priori modo consideratam pertinet Pœnitentiarius Major, & tres Pœnitentiarii Minores, qui ex diversis Religiosis assumuntur, & in tribus ecclesiis Patriarchalibus suo munere funguntur, in *Vaticana* Patres S. J., in *Lateranensi* Patres Ordinis Minorum observantium Reformatorum, in *Liberiana*, seu *S. Mariæ Majoris* Ordinis Prædicatorum, qui, dum confessiones excipiunt, in signum majoris potestatis virgam tenent in manibus, qua pœnitentes tangere consueverunt. Ad tribunal Pœnitentiariæ in forma judicii ordinarii consideratæ pertinent ultra majorem Pœnitentiarium *Regens*, qui communius assumitur ex Auditorio Rotæ, *Theologus sacræ Pœnitentiariæ*, *Doctor Decretorum* celebris Canonista, *Datarius*, *Corrector*, & *Sigillator*. Ultra prædictos adsunt Officiales subalterni, tres Procuratores, & totidem Scriptores. Quænam horum Officialium sint munia, exponit Van-Espen (r).

Quinam Pœnitentiarii ad tribunal conscientiæ pertineant.

Pœnitentiaria celebrat suos conven-

Solet *Pœnitentiaria* suos habere conventus tempore, quo visum fuerit Pœnitentiario Majori, & ordinarie die Veneris post prandium singulis

(r) Part. 1. Tit. 12. cap. 3.

ſingulis ſeptimanis in palatio majoris Pœnitentiarii, vel in palatio Regentis, quando majorem Pœnitentiarium impediri contingit. Interveniunt hiſce Congregationibus omnes prædicti Officiales, referuntur a Procuratoribus materiæ examinandæ, reſolvendæ, & decidendæ: & demum audito voto Theologi, & Canoniſtæ, quid in negotiis ſit agendum, decernitur. *tus, quando, & quomodo?*

Ad hoc tribunal pertinent diſpenſationes ſuper irregularitatibus ex homicidio, ex defectu natalium &c. provenientibus, reconvalidationes matrimoniorum cum impedimento dirimente, ſed occulto contractorum; item proviſiones beneficiorum ſimoniace obtentorum, abſolutiones a cenſuris, ac licentiæ, quibus Religioſis conceditur facultas ab una Religione tranſeundi ad aliam, & vel maxime Religioſis apoſtatis redeundi ad gremium proprium. *Cauſæ ad hoc tribunal pertinentes.*

Poſtquam cauſa diſpenſationis fuit diſcuſſa, expeditur reſcriptum & quidem ſub nomine Pœnitentiarii majoris, ac in forma commiſſionis ad tertium dirigitur ſub formula conſueta, ut ſuper irregularitate vel impedimento diſpenſet, & a crimine abſolvat. *Modus expediendi reſcriptum.*

Modus autem & formula ſcribendi & recurrendi ad hoc tribunal diſcenda eſt ex praxi. Hujusmodi formulas paſſim exhibent Doctores: ſolummodo id notetur, nomen ſupplicantis, ſicut & patriam tacendam, ac ſuplicationem ſub nomine *Oratoris* vel *Oratricis* porrigendam (s). *Item ſcribendi & recurrendi ad hoc tribunal.*

§. VII.

Adhuc duplex tribunal examinandum eſt, nempe *Signatura Juſtitiæ*, & *Gratiæ*. Quantum ad *Signaturam Juſtitiæ*, eſt hæc illud tribunal, ad quod pertinent omnes cauſæ appellatione indigentes, eum in finem erectum, ut non tam de cauſæ appellabilis meritis, quam de ipſa appellatione, an ſit admittenda, & de gradu appellationis cognoſcatur, ſub quibus clauſulis ſit concedenda. Quapropter, quando clare conſtat cauſam non eſſe appellabilem, vel illam non indigere appellatione a Signatura decernenda, ſed aliunde a jure competere, non opus eſt ad hoc tribunal recurrere. Et quidem in hoc tribunali poſſunt proponi omnes cauſæ pro obtinenda appellatione, exceptis iis, quæ deciduntur in quibusdam tribunalibus, de quibus dicitur, quod *Signaturam in ventre habeant*, hoc eſt propriam Signaturam, in qua poſſunt *Signatura Juſtitiæ quid ſit, & quæ cauſæ ad ipſam pertineant? nempe appellabiles ſub certa reſtrictione. Dantur tribunalia, quæ dicuntur Si-*

(s) Vid. Jus Canon. P. Reiffenſtuel ad lib. 4. Decretalium.

gnaturam in ventre habere.

possunt vigore novæ audientiæ agnoscere, an & sub quibus clausulis concedenda sit appellatio in causis a se decisis. Talia tribunalia sunt Congregationes Concilii, Episcoporum, & Regularium, Rituum: nam si quis in his judiciis succumbat, non potest adire Signaturam Justitiæ pro habenda appellatione; sed hanc debet petere vel a Secretario, vel a Præfecto, vel ab ipsa Congregatione.

Clausulæ, sub quibus hæc Signatura solet rescribere.

Plures sunt clausulæ, cum quibus hoc tribunal solet rescribere, potissimum triplicis generis: nempe suspensivæ, devolutivæ, aut nullum effectum operantes pro appellatione. Principaliores sunt sequentes: *Alteri cum facultate manutenendi de Jure, constito de Rebus. De Appellatione. Nihil. Alteri, qui ad ulteriorem executionem, vel alteri qui ad legitimam. Sine præjudicio. Partitio. Refectus. Purgatis, sine præjudicio, circumscripta possessione & apposito sequestro.* Quis sit sensus, qualis effectus harum clausularum, discendum est ex Practicis, & Scriptoribus, qui ex professo de stylo Curiæ scribunt.

Officiales hujus Tribunalis.

Modus procedendi.

Tempus, quo convenire solent.

Hoc tribunal componitur ex Cardinali Præfecto, 12. Prælatis votantibus, & nonnullis aliis, qui nuncupantur *Ponentes*, hoc est, qui proponunt causas in Signatura resolvendas juxta suffragium eorundem 12. votantium Prælatorum, addito suffragio Domini *Ponentis*, qui etiam habet votum in iis causis, quas portat in Signatura. Eminentissimus vero Præfectus non habet suffragium, sed tantum assistit, nisi adsit paritas votorum: tunc enim per suum votum potest facere majora. Singulis septimanis semel, & quidem die Jovis in palatio Apostolico conveniunt: in vacationibus tamen, seu feriis rotalibus bis in mense congregantur, dummodo dies non fuerint impediti. Quilibet ex Ponentibus ordinarie affert tres causas, & in his etiam dat suum proprium votum; non vero in reliquis aliis causis in Signatura referendis, & proponendis; & hoc ad differentiam Prælatorum votantium, qui suum suffragium præstant in omnibus causis.

§. VIII.

Signatura gratiæ quid sit, & unde dicatur?

Raro hoc tribunal convocatur.

Superest, ut de *Signatura Gratiæ* dicamus, quæ est tribunal quoddam eum in finem adinventum, ut in eo proponi possint negotia & causæ, quæ ex natura sua non patiuntur, ut rigoroso Juris examini subjiciantur, sed de plano vel breviori via cognoscantur: & ideo dicitur *Gratiæ*, ut distinquatur a Signatura *Justitiæ*, in qua secundum normam Juris stricti proceditur. Rarior fit convocatio in hoc tribunali: olim fieri consuevit saltem semel in mense, & die Martis: nunc fit bis

bis in anno, & interdum femel tantum. Solet non raro Pontifex hanc Congregationem coram fe convocare, & tunc omnes Cardinales huic tribunali adfcripti comparere debent, non ratione Officii, fed pro ratione Majeftatis; & hinc nullum etiam dant votum, nifi fingulariter a Pontifice interrogentur, id quod rarius fieri confuevit, licet alii intervenire foleant ratione officii cum poteftate dandi votum. Hæc Congregatio folemnius folet celebrari, eidemque interveniunt diverfiffimi generis Officiales, quos omnes recenfere nimis longum foret & fupervacaneum. ***Aliquoties a Pontifice.***

Solent autem in hoc tribunali proponi *Commiffiones*, uti vocant vel fuper caufis contentiofis, vel Gratiofis: *contentiofæ* funt illæ, quæ unice dependent a Pontifice tanquam fupremo Principe, ita ut ipfe folus refcribere poffit e. g. fi petatur, ut liceat aliquam caufam appellabilem proponere in quodam tribunali cum claufula: *appellatione remota;* vel ut a caufa non appellabili appellare concedatur. *Gratiofæ* funt, quando petitur reductio Gratiæ vel provifionis ad terminos juris eam de medio tollendo, ac fi nunquam emanaffet, atque hoc modo tertio auferatur jus quæfitum e. g. fi Epifcopus petat, ut exemptio cujusdam Monafterii refigatur: in fimilibus tamen caufis & negotiis gratiofis magis circumfpecte proceditur propter grave præjudicium tertii. ***In eo proponuntur commiffiones vel contentiofæ vel gratiofæ.***

Illud fingulariter quoad Signaturam *Gratiæ* eft notandum, quod hæc manus fuas non apponat in caufis ordinariis, in quibus Signatura *Juftitiæ* appofuit, vel poteft apponere; multo minus in iis, quæ per Judices ordinarios concedi vel fieri poffunt, fed folummodo in iis, quæ indigent fuprema & extraordinaria Principis poteftate. Quapropter fi quæ caufa alia ad illud tribunal ex quocunque capite, fortaffis ex aliquali incuria, vel ignorantia deferatur, folet refcribi cum claufula: *Pars inftans utatur Jure fuo.* ***Non apponit manus in caufis ordinariis, in quibus Signatura Juftitiæ appofuit.***

Sunt autem tres caufæ præcipuæ, in quibus ad hanc Congregationem aditus non conceditur. Primus eft in caufis difputatis & decifis in Signatura Juftitiæ, quoties non agitur de noftro gravamine. Secundus circa caufas antiquas, quæ a decennio ultra funt fopitæ, & filuerunt, dummodo filentium non proveniat ex impotentia agendi, vel alio jufto impedimento. Tertius, quando obftat *ratio prudentialis*, quæ toties obtinet, quoties agitur de intereffe fupremorum Principum, quos offendere fæpe *Ratio Status* non permittit. Opportunus hic etiam foret locus agendi *de Tribunali Auditoris Papæ*, & *Auditore Cameræ:* verum alia nos vocant. ***Caufæ, in quibus aditus ad eam non conceditur.***

CAPUT

CAPUT III.

De Bullis, Brevibus, Signaturis Pontificiis, Bullario & Regulis Cancellariæ.

§. I. *De Bullis Pontificiis.* II. *De Brevibus Apostolicis.* III. *De Signaturis.* IV. *De ipso Bullario, illiusque collectione.* V. *De illius authoritate & authentia.* VI. *De Regulis Cancellariæ*, VII. *Illarum authoritate & promulgatione.*

§. I.

Literæ Pontificiæ triplicis sunt generis, Bullæ, Brevia, Signaturæ.

Antequam de *Bullario magno* agamus, quod instar novioris Collectionis haberi consuevit, prius de ipsis Bullis, aliisque Literis apostolicis agendum esse existimavimus. Triplicis generis Literas Pontificias passim Authores solent distinquere, *Bullas*, *Brevia*, & *Signaturas*.

Quid sint Bullæ?

Bullæ sunt *literæ Pontificiæ in membrana nigra scriptæ, latius extensæ, in majoris momenti causis appenso sigillo plumbeo effigiem SS. Apostolorum Petri & Pauli continente concedi solitæ, & ab ipso Pontifice ordinarie subscriptæ.* Mox in limine hic occurrit quæstio, cur hæ Literæ

Nomen Bullæ unde veniat?

dicantur *Bullæ*. Existimant non nulli hanc nomenclaturam inde venire, quod sigillum appensum præseferat figuram Bullæ aqueæ, vel globuli cujusdam aurei, quales apud Romanos pueri nobiles in signum libertatis e collo pendulos gestare, & *Bullas* vocare solebant. Longe verosimilius alii nomen istud derivant a Rescriptis Imperatoriis: moris enim erat, ut Imperatores Rescripta aliquoties clausa, non nunquam aperta ederent. Jam vero solebant Græci Literas Imperatorias apertas vocare βούλας. Ut autem hujuscemodi literis & fides, & authoritas conciliaretur, sigillum Principis appendebatur; unde factum est, ut primitus ipsa sigilla, quæ non nunquam ex auro, vel argento, pluries ex plumbo vel cera fuere confecta, dicerentur *Bullæ*; successive vero nomen *Bullæ* ad ipsa Rescripta & Diplomata fuerit extensum (t).

Undenam origo sit derivanda obsignandi Bul-

De Origine etiam harum *Bullarum* vel potius more Bullas Pontificias plumbo effigiem Petri & Pauli repræsentante obsignandi non satis constat. Quantum ad sigillum plumbeum; morem hunc refert Polydorus

(t) Salmasius de Obsignat. test. cap. 32. Colerus Parerg. cap. 4. Meursius in Lexico Græco Barbaro.

rus Virgilius ad tempora Stephani III. & Hadriani I., cujus verba hic admetiri liceat: *Satis constat, Agatonem in cera annulo impressisse sigilla. Verum cum postea Romanus Pontifex multa erogaret Privilegia, & Diplomata diuturniora forent, placuit Stephano III., ac deinde Hadriano I. tabulas Apostolicas plumbo obsignari. Fuit is annus 772. cum ipse Hadrianus factus est Pontifex: nam antiquitus non reperitur sigillum plumbeum, quemadmodum constat, ante Carolum M. Imperatorem literas auro obsignasse Principum Romanorum neminem.* Verum vetustiora Pontificum Diplomata plumbo obsignata asserit Dominicus Raynaldus Bibliothecæ Vaticanæ Custos apud D. du Cange in Glossario verbo *Bulla plumbea;* & quidem Bullam plumbeam Sylvestri I. asservari in archivo Aretino, uti & Leonis I., Gregorii M., ac Sergii vetustissima Diplomata in papyro ex frutice confecta, plumbo obsignata in archivo Castri S. Angeli. Idem Raynaldus observat, quod in plumbo Diplomatum vetustissimorum Pontificum non fuerint impressæ imagines Petri, & Pauli, sed tantum illius Pontificis nomen, cujus literæ obsignabantur: vetustiorem quippe hactenus Bullam cum imaginibus Petri, & Pauli non se reperisse ait usque ad tempus Hadriani IV., qui anno 1153. vixit. Cur autem Pontifices potius plumbo, quam auro vel argento utantur in suis sigillis, haud facile quis divinaverit. Rideri, & contemni merentur Doctores illi Acatholici, qui insultorie de Pontifice scribere assueti ajunt, Pontificem velle imitari exemplum Petri, dum cæco eleemosynam petenti respondit: *Argentum & aurum non est mihi* &c. (u). Solent autem Bullæ scribi in membrana nigra charactere antiquo Gallico (x), & hoc modo distinqui a *Brevibus Apostolicis*, de quibus mox. Quod si Bulla expediatur in materia Justitiæ, appenditur plumbum e filis cannabis; in materia gratiæ e filis sericis. Quænam autem sint causæ majores, in quibus solent emitti Bullæ, dependet a stylo Curiæ. Hujusmodi causa gravior censetur esse concessio Jubilæi &c. Aliter autem se subscribit Pontifex electus ante; & aliter post suam coronationem: in primo casu subscriptio sic habet: *Datum anno primo die tertio suscepti a nobis officii Apostolatus:* Ipsa autem Bulla ex una parte repræsentat effigiem Petri & Pauli; ex altera parte est vacua. In altero casu subscriptio hæc est: *Datum Anno Pontificatus nostri* &c. & ex altera parte conspicitur nomen cum sigillo Pontificis.

las Pontificias plumbo effigiem Petri & Pauli repræsentante.

Bullæ scribuntur in membrana nigra charactere antiquo & Gallico cum appensione plumbi e filis cannabis, vel sericis.

Forma Bullæ.

 §. II.

(u) Act. 3. v. 6.

(x) Card. de Luca hunc morem scribendi charactere Gallico inde venire existimat, quia

§. II.

Quid sint Brevia apostolica? Alterum genus Literarum seu Rescriptorum Apostolicorum sunt *Brevia Apostolica*, quæ sunt Scriptura in minoribus negotiis concessa, indifferenter vel in membrana, vel in papyro scripta, cera rubea, vel viridi, annulo Piscatoris sigillata, ac signo Secretarii subscripta. *Discrimen inter Bullas & Brevia.* Ex his manifeste apparent plura discrimina inter *Bullas*, & *Brevia* quoad materiam, scripturam, sigillum, & subscriptionem: nam materia Brevium sunt negotia minora, character nitidus & elegans, membrana subtilis, & alba: sigillum est annulus Piscatoris: subscriptio fit a Secretario. *De annulo Piscatoris.* Quandonam Pontifices sua Brevia cum annulo Piscatoris sigillare inceperint, non certo constat. Antiquitus id in more fuisse positum probat epistola Clementis IV. ad Petrum Grossum nepotem suum anno 1265. data, cujus hæc est clausula: ***Non scribimus tibi nec familiaribus sub Bulla, sed sub Piscatoris annulo, quo Romani Pontifices in Secreto utuntur.*** Vocatur hic annulus *Piscatoris*, quia continet imaginem S. Petri manu sua hamum tenentis. Id etiam de hoc annulo Piscatoris annotari meretur, quod Cardinalis Camerlengo dictus illum toties, quoties Pontificem mori contingit, statim post obitum infringere soleat. (y).

§. III.

Quid sint Signaturæ? Tertium genus Rescriptorum sunt *Signaturæ:* definitur autem *Signatura*, quod sit Scriptura in papyro conscripta, a Pontifice vel ejus delegato absque sigillo in medio scripta, partis supplicationem, & Pontificis concessionem breviter continens. Solent hujusmodi Signaturæ concedi, priusquam Bullæ, & Brevia in extenso conficiuntur, & in forma solemni expediuntur. De hisce Signaturis, modo illas conficiendi, exprimendis in prima & secunda parte, de effectibus & clausulis illarum plenius agunt Doctores ad Tit. de Rescriptis; Item de Præbend. & Dignit.

§. IV.

Quid sit Bullarium? Jam ad ipsum *Bullarium*, quod a *Bullis* suum habet nomen: & est nihil aliud, quam Collectio variarum Bullarum & constitutionum apostolica-

quia tales Bullæ eo tempore, quo Pontifices Avenione sederunt, plures emanarunt in causis reservationum, & affectionum beneficiorum ecclesiasticorum.

(y) De his vid. Heineccius de Sigillis. Carolus du Fresne Gloss. verbo annulus, & Bulla. Vid. Van Espen Part. 2. Tit. 24. Cap. 3. & seq.

ſtolicarum, opera primum Laertii Cherubini Juriſconſulti Romani compilatum, & dehinc ad noſtra usque tempora auctum. Primam illius editionem adornavit Laertius Cherubinus anno 1588. tempore Urbani Papæ, in qua continentur ordinationes Pontificiæ a Gregorio VII. usque ad Sixtum V. Alteram editionem procuravit Angelus Maria Cherubinus filius Laertii Cherubini, Monachus Caſſinenſis ſub Paulo V. Tertiam elaborarunt Angelus a Landuſia, & Joannes Paulus a Roma Religioſi S. Franciſci, quibus acceſſit editio quarta anno 1727., quæ conſtat Tomis majoribus octo, vel potius quatuordecim, & incipit a Leone I. usque ad Benedictum XIII. Præter Bullarium iſtud magnum etiam habemus Collectionem Operum, Bullarum, & Brevium Clementis XI. anno 1724. editam ſub titulo: *Clementis XI. Pontificis M. Opera, ſcilicet Epiſtolæ, Brevia ſelectiora, & Bullarium.* Demum Benedictus XIV. Pontifex ſane maximus, celeberrimus, eruditiſſimus, ab innumeris ferme conſtitutionibus, operibus & epiſtolis per omnem orbem celebratiſſimus ſuas quoque conſtitutiones ſucceſſive imprimi typis curavit, easque more antiquo Doctoribus Bononienſibus inſcripſit, quarum quatuor mihi Tomi ad manus ſunt.

Tres illius collectiones.

Præter Bullarium magnum dantur aliæ Collectiones operum, Bullarum & Brevium aliorum Pontificum.

§. V.

Quærunt DD. an Bullarium M. ſit authenticum, & quænam illius authoritas? communis omnium eſt opinio, quod, cum Bullarium iſtud nullam expreſſam, eamque authenticam approbationem præferat, plus ponderis & authoritatis non habeat, quam ipſæ Bullæ Pontificiæ ſeorſim ſpectatæ. Quod ſi Bullæ, antequam in Bullarium fuerunt relatæ, per viam legis univerſalis editæ, ac legitime publicatæ, & acceptatæ ſint, vim legis, quam olim habuerunt, etiam hodie intra Bullarium retinent: niſi vel lege poſteriori, vel contraria conſuetudine fuerint abrogatæ. Interim eatenus iſtud Bullarium magnam habet authoritatem, quatenus ad Bullas in eo contentas provocare licet, ita ut illis, in quantum in hoc Bullario continentur, fides ſit habenda, & illi, qui illarum fidem impugnare præſumeret, probatio de contrario injungenda foret. Quod ſi tamen aliquis errorem docere, & authentiam Bullæ expugnare vellet, ſine dubio audiendus foret. Vel maxime autem ſimilium Bullarum authoritas elidi poſſet, ſi quis doceret, eas nunquam legitime fuiſſe promulgatas, vel non receptas, vel uſu contrario abrogatas.

An Bullarium M. ſit authenticum.

§. VI.

§. VI.

Quid sint regulæ Cancellariæ.

Inter Collectiones Juris novissimi reponunt DD. communius *Regulas Cancellariæ* ita dictas: quæ nihil sunt aliud, quam *Constitutiones Pontificiæ a quovis Pontifice ad initium sui regiminis præscriptæ, quæ normam & ordinem regiminis potissimum Cancellariæ apostolicæ, res beneficiales, resignationes, & dispensationes concernunt.*

Quare ita vocentur?

Dicuntur regulæ *Cancellariæ*, non in eo sensu, quasi hisce regulis *Cancellaria* sola, in quantum dicit *Dicasterium separatum*, gubernetur, sed quod sint & debeant esse norma totius Curiæ Romanæ, & omnium Dicasteriorum, in quibus agitur de negotiis & causis, quarum causa regulæ istæ sunt constitutæ.

Illarum author quis?

Author illarum communiter fuisse creditur Joannes XXII. quas ipsius Successores pro suo libitu auxerunt, restrinxerunt, diminuerunt. Imo, si rem bene inspiciamus, Joannes Pontifex in suis regulis unice collimavit ad instruendam, informandamque Curiam, & Cancellariam Romanam, ut, qua arte in expediendis literis Pontificiis sit procedendum, scirent Officiales: nam ad Nicolaum usque V., qui Pontificatum tenuit circa medium Sæculi XV., vix ulla ostendi potest regula, quæ reservationes beneficiorum, similesque materias beneficiales extra Cancellariam respicit.

Nicolaus V. eas in ordinem redegit.

Itaque, quidquid in his regulis quoad materiam beneficiorum statutum legitur, id omne Successoribus Joannis XXII. adscribendum erit, inter quos præcipuus fuit Nicolaus V., qui has regulas in certum ordinem & formam redegit, a qua hodierni Pontifices non facile solent recedere.

Exspirant cum Pontifice, & quo effectu?

Exspirant hæ Regulæ una cum Pontifice, & hinc sede Pontificia vacante non obligant, saltem extra Curiam, & Collatores ordinarii possunt conferre beneficia, quæ vi regularum sunt Pontifici reservata.

Reassumuntur a Pontifice Neo-Electo.

Solent autem Pontifices Neo-Electi post unum alterumve diem illas de novo reassumere, &, prout libuerit, restringere, limitare, augere, multiplicare.

§. VII.

An & quale faciant Jus?

Inter DD. controvertitur, an & quomodo hæ regulæ obligent, & faciant Jus? indubitanter affirmamus, quod in Curia Romana faciant Jus locale, & Officialibus in ea agentibus secundum illas tam in observanda forma judicii, quam decidendis causis sit procedendum. Extra Curiam vero aliter non obligant, nisi in quantum vel sunt promulgatæ, vel receptæ, & non sunt contrariæ aliis Juribus particularibus e. g. Concordatis Germaniæ &c.

Sane

Sane de promulgatione harum Regularum universali specialiter in nostra Germania non constat. Usu & consuetudine si receptae esse dicantur, hic usus & consuetudo probari debet: quasdam earum hinc inde usu obtinere, qualis e. g. est regula *de viginti*, *de triennali possessore*, ex praxi quarumdam Dioecesium scimus. Cavendum tamen erit, ne causa qualiscunque ad Curiam Romanam devolvatur, quae procul dubio secundum suas regulas Cancellariae sententiam feret, etsi regula apud nos non obtineat, aut fortassis consuetudo contraria vigeat. Verum an bene, dubitare licet: cum enim Pontifices in suis epistolis Decretalibus & Rescriptis in corpore Juris clausis passim ad consuetudines locorum provocent, & secundum has rescripserint, quare non id ipsum facere Curia Romana debeat? cum utique leges & canones in genere approbent omnes consuetudines legitime introductas. De eo nobis minus est dubium, quod Curia Romana hisce Regulis non possit uti in praejudicium Concordatorum Germaniae, quia pacta sunt servanda: secus nemo amplius talia pacta cum Sede Apostolica inibit, si ab illis pro arbitrio recedere liceat. Plures ex his regulis gravibus difficultatibus sunt obnoxiae, quare mirum non est, quod Viri eruditi plura in eas scripserint commentaria (z).

De promulgatione, usu, & consuetudine earum.

CAPUT IV.

De Congregationibus Cardinalium in genere, & de Congregatione S. Officii seu Inquisitionis in specie.

§. I. *Quid sint Congregationes Cardinalium, & quotuplicis generis.* II. *De Congregatione S. Officii; illiusque origine, quam habet a Tribunali Inquisitionis.* III. *De hoc Tribunali singulariter agitur.* IV. *De erectione hujus Congregationis, illiusque Officialibus.* V. *De Congregationibus praeparatoriis, & ipsa Congregatione Inquisitionis.* VI. *De causis ad ipsam pertinentibus, & modo introducendi.* VII. *De Processu Inquisitionis.*

§. I.

Ad Congregationes Cardinalium transitum faciamus, quae inter caetera

Quid sint Congregationes Cardinalium.

(z) Joan. Chockier, Gonzalez, Barbosa, Plettenberg.

tera Curiæ Romanæ tribunalia vel maxime eminent. Sunt ergo hæ Congregationes nihil aliud, quam *certa Collegia a Pontificibus erecta & instituta in ordine ad certa negotia dirigenda, discutienda, & sub forma cujusdam tribunalis & judicii per Cardinales potissimum decidenda.* Atque in his continetur tota rei essentia, & quidquid de his Congregationibus dici potest.

Aliæ ordinariæ, & aliæ extraordinariæ.

Aliæ sunt *ordinariæ*, & aliæ *extraordinariæ:* Priores a Pontificibus semel erectæ de se & per se sunt fixæ, stabiles, & habent statum permanentem: Posteriores pro negotiis quibusdam specialibus expediendis assumuntur, prout frequentius fieri solet, & novissime factum esse scimus (a). Cum Pontifex triplicem potissimum personam sustineat, Pontificis seu Episcopi universalis, Episcopi urbis, ac Domini sui districtus seu Principis in statu Romano, aliæ iterum sunt Congregationes, quæ ordinantur ad dirigenda decidendaque negotia tam publica universalis Ecclesiæ, quam privata ex universis provinciis ad Curiam Romanam via provocationis, consultationis, relationis, appellationis, aut reservationis devoluta, & spectant Pontificem qua Pontificem, qua Primatem ac Caput universalis Ecclesiæ; & aliæ, quæ concernunt regimen Ecclesiæ Romanæ tantum, quatenus est Ecclesia particularis, cujus Episcopus est ipse Pontifex (b); & aliæ, quæ pertinent ad regimen temporale Status ecclesiastici. Nobis unice agendum est de Congregationibus in bonum universalis Ecclesiæ institutis, & inter has

§. II.

Congregatio S. Officii, sive Inquisitionis ortum habet a tribunali Inquisitionis.

Eminet Congregatio S. Officii, sive Inquisitionis, quam ipse Sixtus V. in sua Bulla quæ incipit: *Immensa æterni DEI* inter Congregationes decem a se erectas primam collocat. Hæc Congregatio sine dubio a famoso tribunali Inquisitionis, quod adhuc in quibusdam regnis, Portugalliæ præsertim, & Hispaniæ summo cum rigore exercetur, suam trahit originem. Inquisitores fidei ex Jure divino, & ecclesiastico, traditione, praxi & consuetudine, & ex ipso officio episcopali semper fuere Episcopi: quippe quos *posuit DEUS regere Ecclesiam DEI.* Primus qui speciales Inquisitores cum plena authoritate procedendi contra Hæreticos constituit, fuit Innocentius III., qui sub initium

Inquisitores fidei ex jure divino sunt Episcopi.

(a) E. g. in causa Gallorum super denegatione Sacramentorum.

(b) Quatruplicem enim personam sustinet Pontifex, nempe Pontificis, Patriarchæ per Occidentem, Metropolitæ per certum districtum Italiæ, & Episcopi in Dioecesi Romana.

tium Saec. XIII. contra hæresin Albigensium in provinciam Tolosanam, eique adjacentes misit Arnaldum Abbatem Cistercienscm cum duobus Monachis Cisterciensibus Petro de Castro novo, & Radulpho. His idem Pontifex in subsidium adjunxit Didacum Oxomensem Episcopum, & S. Dominicum ejusdem Ecclesiæ tunc Canonicum. Post biennium completum, cum Didacus ad suam Ecclesiam reverti coactus fuisset, Dominicus solus adscitis sibi quibusdam Sociis, jactisque sui Ordinis fundamentis huic operi strenue incubuit, & subinde ipsos etiam Principes, & Magistratus sæculares, quin & populum contra hæreticos excitavit, & sub promissione Indulgentiarum ita concitavit, ut sub nomine *Cruce signatorum* arma etiam contra Hæreticos arriperent. Mox ab initio Inquisitores isti contrarios sibi habuere Episcopos & Magistratus sæculares, & ideo vel nihil, vel parum contra hæreticos profecerunt. Ut ergo major foret Inquisitorum authoritas, & opus Inquisitionis feliciores haberet progressus, Gregorius IX. certos inquirendi, & contra hæreticos procedendi modos præscripsit, & quoddam Inquisitionis tribunal in Synodo Tolosana per Cardinalem suum Romanarum celebrata instituit, unaque authoritatem inquirendi, procedendi & puniendi Episcopis veluti legitimis ex ipso jure divino Inquisitoribus commisit. Sed paulo post nimio zelo abreptus Pontifex, existimans, ab Episcopis officium suum flaccidius, quam oporteret, obiri, officium istud solis fratribus Dominicanis commisit, qui tanto rigore processerunt, ut populus Tolosanus omnes fidei Inquisitores una cum suo Episcopo ex urbe expulerit. Pontificum fervorem æmulatus fuit Fridericus II. Imperator, qui circa annum 1244. acerbissimas constitutiones contra hæreticos eorumque fautores evulgavit, & Inquisitores fidei in suam protectionem suscepit. Has Friderici leges anno 1251. confirmavit Innocentius IV. Pontifex, pluraque pro stabiliendo Inquisitoris tribunali adjecit per Constitutionem, quæ incipit *ad extirpandas &c.*

Innocentius III. Sæc. XIII. speciales constituit.

De Cruce signatis.

Greg. IX. certos inquirendi modos præscripsit.

Officium Inquisitionis Dominicanis demandavit, qui propter rigorem urbe expulsi.

Friderici II. pœnæ contra hæreticos.

Itaque jam Inquisitionis tribunali formato plura, præsertim in Italia, ac in terris Romano Pontifici subjectis, talia Inquisitionis tribunalia fuere erecta; Inquisitores vero præcipue ex Ordine Dominicanorum designati. At in urbe, & Curia Romana Inquisitionis tribunal per ipsum Pontificem cum Ministris ad id deputatis, & pro illius arbitrio assumptis regebatur.

Tribunalia Inquisitionis plura erecta.

§. III.

Atque hic pedetentim ad scopum nostrum id est, ad tribunal, seu Congregationem Officii explicandam venimus. Prius tamen de famo-

Tribunal Inquisitionis rigidissimum.

famoso tribunali Inquisitionis, quod per Italiam, Hispaniam, & Portugalliam præcipue excessivo ac immenso rigore exercetur, agamus. Sane si quid est in Ecclesia Catholica, quod Religionem summe exosam, contemptibilem, imo etiam hæreticis ridiculam facit, illud profecto est tribunal Inquisitionis, quod non nisi difficillime cum mansuetudine Christi, cum exemplo Apostolorum, cum principiis Christianitatis combinari posse multis etiam Catholicis videtur. Horrenda videri possunt, & horribilia, inaudita, & barbara, si vera sunt, quæ Scriptores etiam Catholici de hoc tribunali Inquisitionis scribunt, de modo inquirendi, de judiciis contra suspectos institutis, de pœnis & suppliciis contra Hæreticos statutis prorsus horribilibus &c. ut quid ergo mirum, si Scriptores gravissimi defectionem Belgii huic Inquisitionis tribunali, quod cum excessivo rigore urgebatur, magna ex parte adscribant? hæc sublimiori Judicio expendenda relinquimus. Noverint sapientissimi Pontifices, & Episcopi, cur tribunalia ista tolerent, permittant, & rigorem istum non mitigent, moderentur, & ad limites Christianæ mansuetudinis reducant. Nos sublimiori Spiritui Ecclesiæ suæ semper assistenti hæc adscribimus.

Hæreticis exosum.

§ IV.

Congregatio S. Officii ortum suum habet a tribunali Inquisitionis.

Illius authoritas confirmata & aucta fuit a Pio V. & Sixto V.

Ut jam ad rem nostram veniamus, tribunal istud Inquisitionis occasionem præbuit, ut hæc Congregatio S. Officii institueretur. Primus ergo fuit Paulus III., qui anno 1542. sex Cardinales constituit, & deputavit, ut essent generales Inquisitores per universum orbem Catholicum in omnibus provinciis, urbibus citra, & ultra montanis. Pauli vestigia pressit Pius V., qui numerum auxit usque ad octo, data Inquisitoribus potestate plenissima statuendi, decernendi, decidendi, quidquid pro bono Ecclesiæ futurum ipsis visum fuerit: ita, ut quidquid major pars illorum statuerit, & decreverit, id omnino fixum sit ratumque. Hanc declarationem confirmavit Pius, & gesta per majorem partem præsentium esse reputanda, ac si ab omnibus essent ordinata, voluit, etiamsi duo tantum sint præsentes. Tandem Sixtus V. in sua famosissima constitutione quæ incipit: *Immensa æterni DEI* quindecim Congregationes instituit, inter quas primam nominavit Congregationem Officii, illamque in terminis amplissimis & prægnantissimis confirmavit; inquisitoribus vero authoritatem amplissimam *inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi, & definiendi in omnibus causis tam hæresin manifestam, quam schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, Sacramentorum abusus, & quæcunque alia, quæ etiam præsumptam*

ptam hæresin sapere videntur, concernentibus. Ita verba Constitutionis. Tribunal istud præter Cardinales constituunt plures alii Officiales, inter quos primus est Commissarius S. Officii, qui assumitur ex Ordine Dominicanorum, & gerit vices Judicis ordinarii. Hic in Consiliarium seu Assessorem habet Prælatum, vel Clericum sæcularem, qui dicitur Assessor S. Officii, qui ratione muneris debet esse Professor optimus & insignis in sacra Theologia, & sacris Canonibus. Alii iterum sunt Ministri, Fiscalis, & Notarius. Præprimis vero ad hanc Congregationem spectant Theologi, & SS. canonum peritissimi, qui *Consultores S. Officii* dicuntur, atque ex diversis Religionibus pro Papæ beneplacito assumuntur, non nunquam etiam e statu Clericali sæculari. Intervenit etiam huic Congregationi inter Consultores Magister sacri Palatii, qui solet residere in palatio Apostolico. Inter hos Ministros tres sunt, qui habent officium fixum & stabile, nempe Magister Generalis Ordinis S. Dominici, & Magister Palatii, qui similiter est ex præfato Ordine, & Professor quidam Ordinis Minorum Conventualium, cui veluti per Antonomasiam competit nuncupatio Consultoris S. Officii, habens hoc munus magis specialiter, permanenter, & stabiliter. *Officiales hujus Congregationis.*

§. V.

Antequam fiat Congregatio coram ipso Papa, duæ singulis hebdomadis habentur Congregationes præparatoriæ, prima die Lunæ in ipso palatio S. Officii prope Basilicam S. Petri, ubi conveniunt Commissarius, Assessor, Fiscalis, Notarius, & Consultores tam sæculares quam Regulares. In hac Congregatione, quæ *Consulta* dicitur, examinantur ea, quæ ad proximam Congregationem præparatoriam pertinent, leguntur commissiones, epistolæ, memorialia, relationes, processus criminales, aliaque, quæ vel ab Episcopis, vel aliis Inquisitoribus pro examine, informatione, aut decisione sunt transmissa, idque pro majori instructione Assessoris, qui ea referre debet in altera Congregatione præparatoria, quæ habetur die Mercurii in Conventu S. Mariæ supra Minervam, ubi conveniunt omnes Cardinales, & Dominus Assessor. Et quidem primum habetur Congregatio secreta, in qua soli Cardinales cum Commissario & Assessore deliberant, consulunt. Postquam vero sufficiens facta fuit discussio, vocantur Consultores, eorumque votum seu consilium expeditur. Quæ autem in hac Congregatione decreta aut resoluta sunt, eodem die per Assessorem referuntur ad Sanctissimum. Atque hæc est ratio, cur decreta hujus Congregationis præparatoriæ prodeant sub nomine Cardinalium S. Officii, non ipsius *Duæ singulis hebdomadis habentur Congregationes præparatoriæ. Modus in his procedendi.*

 Ponti-

Præcipua Congregatio celebratur die Jovis coram ipso Pontifice.

Pontificis, facta tamen relatione ad Sanctissimum. Præcipua autem Congregatio, quæ proprie vocatur *Congregatio Inquisitionis*, est illa, quæ die Jovis coram ipso Pontifice celebratur, in qua unum alterumve negotium, quod ex relatis per hebdomadam videtur esse gravissimum, assumitur, & prævio Sanctissimi Oraculo finaliter resolvitur. Communius tales casus prævio Theologorum examini committuntur. Postquam ergo hi suam relationem absolverunt, omnes dimittuntur exceptis Cardinalibus, qui coram solo Pontifice sua vota depromunt, quibus auditis Pontifex finaliter concludit. Quo facto rursus intrat Assessor cum Commissario, quibus suam resolutionem finalem Pontifex significare solet. Tunc eduntur Decreta, & a Notario signantur, in quibus tamen, etsi sint Decreta Congregationis, solus Pontifex tanquam decernens, & resolvens introducitur.

§. VI.

Causæ ad hanc Congregationem pertinentes.

Ad hanc Congregationem pertinent omnes causæ fidei, censura, approbatio, prohibitio librorum, licet id etiam ad Congregationem subsidiariam *Indicis*, de qua mox agemus, hodie pertinere dignoscatur; item licentia legendi libros hæreticos: & quod magis est, hodie ad hanc Congregationem spectant concessiones facultatum Episcopis dari solitarum, quas singulis quinquenniis renovare debent; licentiæ vescendi carnibus singulis diebus prohibitis, dispensationes in omnibus gradibus tam affinitatis quam consanguinitatis primum tangentibus.

Modus introducendi causas est diversus secundum diversitatem causarum.

Modus introducendi causas in hoc tribunali est diversus secundum diversitatem causarum. Si causa est *fidei*, introducitur per viam accusationis, & denuntiationis, quod fit per Episcopos, Inquisitores, vel quoscunque alios, vel per ipsam Rei confessionem: si reus fateatur, causa finita est, & hinc injuncta aliqua salutari pœnitentia a tribunali dimittitur, & absolvitur: si adsit accusator, tunc Officiales S. Officii curant, ut compiletur processus probationum: agnita accusatione tanquam legitima proceditur ad incarcerationem accusati, & datis defensoribus, nisi reus accusationem purget, quod raro contingere solet, ad pœnam condemnatur. Si sint aliæ causæ e. g. dispensationum, licentiarum, de quibus mox antea diximus, tunc porrigendus est libellus ipsi Sanctissimo, cui per Assessorem referendum est. Quod si Sanctissimus annuat, in calce libelli per Notarium Officii rescriptum Papæ extenditur.

§. VII.

De processu Inquisitionis.

Pauca hic addere liceat de processu Inquisitionis, de quo supra, & modo procedendi. Quando igitur Inquisitor ad locum quemcunque perve-

pervenerit, tunc mandatum a Pontifice acceptum exhibet Episcopo, aut ejus Vicario Generali, & Ministris tribunalium etiam sæcularium, eosque adigit ad juramentum de executione legum ecclesiasticarum & civilium adversus hæreticos statutarum. Inquisitor munus suum solenni oratione auspicatur, qua homines ad faciendas denuntiationes hortatur, ac terminum 30, vel 34. dierum, qui terminus vocatur *Gratiæ*, præfigit, intra quem qui veniunt, ac se ipsos accusant, a pœnis consuetis absolvuntur. Post hæc Inquisitor denuntiationibus, & accusationibus aures præbet, format processum, in quo juxta qualitatem præsumptionis *levis*, *vehementis*, & *violentæ* procedit: & quidem vehementi præsumptione gravatos ad probationem contrariam, & purgationem canonicam admittit; alios vero violenta præsumptione oppressos condemnat, & adhibito prius Episcopi, vel Generalis Vicarii, aliorumque Virorum doctorum consilio solemniter sententiam profert, quæ pro varietate diffamationis, suspicionis, pœnitentiæ vel impœnitentiæ varia est, nunc benignior, nunc severior; vel absolutoria, vel condemnatoria. Pœnitentes abjurata hæresi ab excommunicatione absolvuntur, & in signum pœnitentiæ accipiunt vestem pœnitentialem, quam *saccum Benedictum* vocant, eamque, quoad vivunt, gestare, ac certis diebus ad portam ecclesiæ cum cereo accenso in manibus stare, & pœnitentiam agere jubentur, aliquoties vero in perpetuos carceres detruduntur. Qui vero convicti fuerint, & impœnitentes, vel pœnitentes *laxi* sunt, de suo ordine dejiciuntur, curiæ sæculari traduntur, & ad ultimum supplicium damnantur. Nolim ego rigorem hujus judicii inquisitorii, & modum procedendi longius prosequi, ne quibusdam sim offendiculo.

nis, & modo procedendi.

CAPUT V.

De Congregatione Indicis.

§. I. *De institutione, fine, & Officialibus hujus Congregationis.* II. *Competit ei facultas revidendi, examinandi, & prohibendi libros, & quomodo in his procedere soleat?* III. *An prohibitio librorum sit licita?* IV. *Ad quem pertineat jus prohibendi libros?* V. *De Indice librorum prohibitorum.* VI. *Quæ singulariter sint animadvertenda quoad hunc Indicem?* VII. *Quid sit sentiendum de prohibitione lectionis S. Scripturæ, & de ipso Indice pro Germania?* VIII. *Quid de proscriptione*

ne librorum, quæ in Congregationibus Officii, & Indicis fieri solet? IX. *De approbatione librorum, antequam typis mandantur.*

§. I.

Congregatio Indicis est Vicaria Congregationis Officii.

Progrediendum jam ad *Congregationem Indicis*, quam, ut esset tanquam *Vicaria*, & subsidiaria Congregationis Officii, Sixtus V. instituit, eique curam revisionis, & prohibitionis librorum demandavit. Cum enim sacrum Officium majoribus fidei negotiis esset occupatum, quo minus materiam revisionis & prohibitionis cum debita circumspectione & diligentia tractare posset, in subsidium placuit Congregationem Indicis adjungere. Hæc Congregatio constituitur ex competenti numero Cardinalium pro beneplacito Pontificis. Habet Secretarium ex Ordine S. Dominici, qui una cum Cardinale Præfecto decreta Congregationis signat. Præterea habet perpetuum & fixum Consultorem, Magistrum S. Palatii, similiter ex Ordine S. Dominici, qui ante erectionem fuit quasi Theologus Pontificis in rebus fidei, & ferme solus munus revidendi & supprimendi libros obiit, & in hodiernam usque diem, saltem quoad impressionem librorum retinet, ita ut sine ejus licentia impressio librorum in urbe, ejusque districtu fieri nequeat. Hisce accedit magnus numerus Theologorum, aliorumque Doctorum, qui frequentius, vel pro majori parte sunt Religiosi diversarum Religionum sub nomine *Consultorum.*

Illius Officiales.

§. II.

Illius facultas & potestas.

Hæc Congregatio fit ad libitum juxta urgentias, & habet facultatem revidendi, examinandi, & prohibendi libros, concedendi licentiam legendi libros prohibitos. Distributio librorum fit per Secretarium inter Consultores, quibus incumbit obligatio referendi in plena congregatione, ubi dein consulitur, an liber prohiberi, expurgari, vel suspendi debeat. Cardinales vero ut plurimum se judicio Consultorum conformare solent. Soli tamen Cardinales ex Constitutione Sixti V. votum decisivum habent. Decreta duntaxat sub nomine Cardinalium Congregationis Indicis, non ipsius Pontificis formantur, & evulgantur, prius tamen, quam imprimuntur, per Secretarium Indicis Pontifici exhiberi consueverunt. Quoniam vero Pontifex nec legit librum, nec relationem Consultorum audit, sed unice decreto jam formato simpliciter annuit, nulla Pontificis mentio in decreto injicitur. Cum autem hæc Congregatio ex dictis tantum sit Vicaria Congregationis Officii, huic sua

Modus procedendi.

Congregationi S. Offi-

sua potestas revidendi libros in salvo manet: quin non nunquam contigisse scimus, quod liber aliquis per decretum hujus Congregationis in Indicem relatus, postmodum per speciale decretum Congregationis Officii fuerit proscriptus (c). Sed neque Episcopis per erectionem hujus Congregationis sua pro suis Diœcesibus potestas revidendi, corrigendi, & prohibendi libros fuit adempta.

...cii sua authoritas manet in salvo. Etiam Episcopis pro suis Diœcesibus.

§. III.

Opportuna hic se offert occasio quædam scribendi de prohibitione, approbatione, qualificatione, & lectione librorum prohibitorum. Quantum ad prohibitionem librorum nemo prudentum negaverit, prohibitionem hanc non raro esse licitam, utilem, imo necessariam, & viguisse etiam apud Gentiles, Romanos, Græcos, aliasque nationes & præcipue in Ecclesia antiqua, prout mox demonstrabimus. Qui enim seditionum & rebellionum motus, quæ scandala in publico, quæ morum corruptio non foret pertimescenda, si promiscua librorum lectio omnibus permissa foret, si libri diffamatorii, magici, obscæni, hæretici, scandalosi non prohibeantur? an non *Ratio Status* tam ecclesiastici, quam politici exposcit, ut libri quidam aut proscribantur, vel saltem occultentur, aut supprimantur, ne in omnium manus perveniant? dummodo talis prohibitio sit sobria, justa, prudens, nulla sinistra passione & affectu causata, vel extorta. Hæc autem prohibitio vel est *doctrinalis*, vel *imperativa:* Priorem vocant illam, quæ ex legibus amicitiæ & charitatis sine imperio coactivo unice propter bonum spirituale fit; posteriorem, quæ est conjuncta cum exercitio coactivo: & hæc iterum vel *publica*, vel *privata:* hæc a parentibus, Magistris, & Doctoribus; illa per legem vel edictum Superioris vel ecclesiastici, vel politici fit. Exempla prohibitionis *doctrinalis* plura in ipsis f. literis prostant: sic Paulus 1. Timoth. 4. v. 7. Author fuit Thimonidi, ut a lectione antiquarum fabularum abstineat: & ad Tit. 3. inculcat, ne in legendis inutilibus quæstionibus tempus perdat: & omnibus fidelibus ad Coloss. 2. v. 8. suadet, ne se Philosophiæ Gentilium participes faciant.

Prohibitio librorum est licita, utilis, apud omnes Gentes usitata, imo necessaria, debet tamen esse sobria.

Alia doctrinalis, alia imperativa, publica, privata &c.

Profecto mos iste prohibendi lectionem librorum noxiorum legitimatur primo ex factis populorum, moribus Gentilium, Judæorum ac Christianorum. De Gentilibus libros quosdam prohibentibus constat ex

Mos prohibendi lectionem quorundam librorum legiti-

(c) Vid. Van-Espen part. 1. tit. 22. cap. 2.

matur ex factis populorum, moribus Gentilium, Judæorum, & Christianorum.

ex Seneca, Tacito, Valerio maximo, & Suetonio, quorum ultimus de Augusto Imperatore refert, quod ultra duo millia librorum fatidicorum concremari jusserit. De Judæis testantur scriptores, quod licet lectionem Scripturæ ex integro non prohibuerint, quædam tamen illius loca, & inter hæc lectionem *Cantici Canticorum* non nisi Viris provectioris ætatis indulserint; libros vero magicos, & divinatorios severissime interdixerint. De Romanis aliunde scimus, quod scripta Christianorum combusserint, cujus testis est Arnobius dicens: *nostra quidem scripta cur ignibus comburi meruerunt? cur immaniter conventicula dirui* (d)? Legitimatur secundo ex constanti praxi & consuetudine Ecclesiæ, quam non modo exempla Scripturæ mox antea allata corroborant, sive dein illæ prohibitiones fuerint *suasoriæ*, & *doctrinales* tantum, sive *imperatoriæ*, & quasi *coactivæ*; verum etiam facta innumera, quæ a Synodis generalibus & particularibus abunde suppeditantur. Sufficiat sola Synodus Romana sub Gelasio Pontifice anno 494 celebrata (e), in qua fuit conditus Index diversorum librorum prohibitorum, prout legitur in Decreto Gratiani. Huc certe pertinet etiam *Disciplina Arcani*, quæ in primitiva Ecclesia mirum in modum viguit, quando Gentilibus Catechumenis non modo quædam sublimiora fidei dogmata, verum etiam libri quidam abscondebantur, & eorum lectioni subtrahebantur. Legitimatur tertio a praxi Imperatorum, qui Ecclesiæ Præsules egregie adjuverunt, pœnas etiam capitales statuentes in transgressores legum ecclesiasticarum in hac materia emanantium: ita teste Socrate Constantinus Magnus singulari quodam edicto libros Arii comburendos, & illorum occultatores mortis pœna afficiendos esse edixit. Simile edictum edidit Arcadius contra codices Eunomianorum; item Theodosius, & Valentinianus contra Nestorium &c. Cum prohibitione librorum non est confundenda illorum occultatio, vel potius asservatio, dum libri quidam cimeliorum, & pretiosi auri instar asservabantur, ne in quascunque manus venirent. Atque id factum esse per *Disciplinam Arcani* scimus (f). Ita apud Romanos carmina Sybillina in Capitolio asservabantur, quin ulli hominum inspicienda traderentur. Adhuc hodie Romæ & alibi quosdam libros arctissime custodiri nunquam evulgandos ipsi scimus.

Disciplina Arcani huc pertinet.

Item edicta Imperatorum.

§. IV.

(d) Adverf. Gent. lib. 4.

(e) De authoritate hujus Synodi usque nunc inter Criticos dubitatur.

(f) De hac. vid Schellstratius, nec non Clar. P. Hermannus Scholliner Professor Theol. Salisburg.

§. IV.

Si jam quæratur, ad quem pertineat jus prohibendi libros, facilis eſt reſponſio quoad libros fidem, bonosque mores concernentes, dicendumque, hanc poteſtatem Eccleſiæ, illiusque Præſulibus eſſe propriam, utpote quos Chriſtus conſtituit regere Eccleſiam DEI. Hisce præcipue incumbit cura gregis Dominici: hi ſunt, qui gregem debent paſcere verbo & exemplo, lupos abigere, damna avertere, &, ne veneno afficiantur peſtifero, ſolicite curare. Sunt ſane Eccleſiæ Præſules in antiquiſſima hujus juris & poteſtatis poſſeſſione, quam usque nunc in Synodis antiquioribus Nicæna, Epheſina, Chalcedonenſi, & novioribus Conſtantienſi, Baſileenſi, dum libros Huſs & Wicleffi comburi juſſerant, exercuerunt. Imo Principibus ſæcularibus etiam facultas competit prohibendi libros in *Statum*, vel *jura Status* impingentes, ſcandaloſos, & tales, ex quibus tumultus, ſeditiones, & ſcandala poſſent oriri in populo.

Jus prohibendi libros pertinet ad Eccleſiam, illiusque Præſules.

Etiam ad Principes ſæculares pro certis caſibus.

§. V.

Diſpiciendum jam de Indice librorum prohibitorum, quorum plures jam in lucem prodierunt publicam. Primum ex omnibus talibus Indicibus fuiſſe illum, qui Sæc. V. in Synodo Romana ſub Gelaſio prodiit, haud pauci exiſtimant. Porro autem, præterquam quod hæc Synodus a quibusdam in dubium vocetur, Viri doctiores animadvertunt, illum Indicem non fuiſſe Indicem librorum prohibitorum juxta ſenſum & phraſin hodiernæ praxis: nam in illa Synodo agitur de lectione librorum publica, & uſu illorum in eccleſiis tempore divini officii: circumferebantur enim tunc temporis quamplurima ſanctorum Martyrum acta dubia, incerta, & ſuſpecta, de quorum authoribus, multo magis fide non ſatis conſtabat. Nobis autem eſt ſermo de prohibitione librorum, quorum lectio non modo publica in Officio divino, ſed etiam privata inhibetur. Idcirco vera origo Indicis librorum prohibitorum referenda eſt ad Sæc. XVI., quo tempore invaleſcebat Secta Lutheranorum & Calviniſtarum. Cum enim illo ævo plures libri mentito nomine Authoris, ac hæretico fermento conſperſi lucem ſubirent publicam, ne multi ſimpliciores incauta illorum lectione deciperentur, varii cæperunt a Theologis confici Catalogi ſeu Indices librorum, quibus ipſi notabant libros, quos vel ab hæreticis confectos, vel hæreſi conſperſos credebant. Primum catalogum ſeu Indicem juſſu Caroli V. Imperatoris anno 1546. edidit facultas Theologica Lovanienſis. Cumque in

Index librorum prohibitorum primus haud paucis videtur ex Sæc. V. derivandus: ſed male.

Vera illius origo referenda ad Sæc. XVI.

Primus index prodiit juſſu Caroli V.

in dies plures prodirent libri, pluresque hæresi consperſi notarentur, eadem sacra Facultas post lapſum 10. annorum fuſiorem catalogum concinnavit, quam addito speciali edicto publicari idem Carolus mandavit anno 1556. Hoc Imperatoris exemplo Paulus IV. Pontifex anno 1547. Inquiſitoribus Romæ curam demandavit ſimilem catalogum conficiendi, quem etiam intra biennium abſolverunt, juſſu Pontificis promulgarunt, & in tres classes diviſerunt. Atque hic eſt primus catalogus librorum prohibitorum, qui a Pontificibus fuit editus.

Paulus IV. ſimilem edi procuravit, qui primus eſt a Pontificibus editus, ſed cum exceſſu rigidus.

Quoniam vero Paulus IV. cum rigore exceſſivo contra librorum prohibitorum lectores proceſſiſſe videbatur ſuo ſucceſſori Pio IV., eo quod fulmen excommunicationis latæ ſententiæ cum irrogatione perpetuæ infamiæ, privatione quorumcunque munerum, & incapacitate ad ea contra eos tulerit, deſuper ad Concil. Trident. eſſe referendum, & negotium iſtud judicio Patrum congregatorum ſubmittendum idem Pontifex cenſuit. Contigit, ut Synodus ad 10. annos fuerit ſuſpenſa, qua iterum reaſſumpta habita fuit Congregatio 26. Januarii anno 1562., & in ea deliberatum, quid hac in re ſit faciendum. Super hac re varias fuiſſe Patrum ſententias ex ipſis Concilii actis conſtat. Patribus ergo in diverſas ſententias abeuntibus placuit, ut hæc cura Viris quibusdam doctis committeretur Seſſ. 18., qui abſoluto ſuo opere Synodo jamjam ad finem vergente illud Patribus obtulerunt. Verum Patres Concilii, quia huic negotio accuratius inſudare non vacabat, Seſſ. ult. decreverunt, ut ad Pontificem relatio, & illius authoritate & approbatione evulgatio Indicis fieret, & approbatio. Hoc munere functus eſt Pius IV., qui novum Indicem librorum prohibitorum una cum quibusdam regulis, quas præfati Viri non tam juſſu Concilii, quam *conſilio proprio* pro majori explicatione quorumdam in anteriori Indice obſcure contentorum appoſuerunt, ſub forma *Brevis* promulgavit. Continet hic Index tres claſſes, in quarum prima non tam libri, quam librorum Scriptores continentur, qui aut hæretici, aut de nota hæreſis ſuſpecti fuerunt; in ſecunda libri in ſanctam fidem, vel bonos mores peccantes; in tertia libri perverſi incertorum Authorum referuntur.

Pius IV. deſuper ad Synod. Trid. retulit.

Quid deſuper in cit. Synodo actum?

Pius IV. novum Indicem edidit cum quibusdam regulis.

Continet Index tres Claſſes.

§. VI.

Quoad hunc Indicem, & regulas illius ſequentia ſunt animadvertenda: primo, quod hic Index non ſit editus ab ipſo Concilio Tridentino, & eatenus ſolum dicatur Concilii Trident., quatenus illius juſſu cura illum conficiendi fuit demandata Viris doctis, & in lege peritis. Secundo, quod regulæ Indicis in nullo ſenſu ſint, & dici poſſint eſſe Concilii

Hic Index non eſt ab ipſo Concilio editus.

Nec Regulæ ſunt Concilii Trident.

Concilii Tridentini: quia consilio magis proprio, quam mandato Concilii fuerunt appositæ. Tertio, quod hujusmodi regulæ numerentur decem, & in his multa præscribantur Episcopis, Inquisitoribus, & Typographis observanda, ac denique in fine addatur pœna excommunicationis latæ sententiæ contra illos, qui libros hæreticorum, aut cujuscunque Authoris propter hæresin vel falsum dogma damnatos legerint; de aliis vero, qui libros alios alio nomine prohibitos legere præsumpserint, edicitur, quod reatum peccati mortalis contrahant, & ab Episcopis severius sint puniendi. Ex hoc inferunt Doctores, quod, quando Congregatio Indicis in prohibitione librorum ad has pœnas provocat per consuetam formulam: *sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis*, adhuc incerta maneat pœna, quam contravenientes incurrunt: quia juxta hodiernum Congregationis stylum non solet exprimi, ex quo capite liber aliquis proscribatur: & ferme omnes qualificationes sunt respectivæ (g).

Regulæ tales numerantur decem.

Quomodo intelligendæ?

§. VII.

Duo super hoc Indice in quæstionem veniunt: primo, quid sit sentiendum de prohibitione lectionis S. Scripturæ per regulam quartam Indicis, quam tantopere criminantur Sectarii. Secundo, Quid de Indice isto pro nostra Germania sit sentiendum? Quoad primam quæstionem, profecto in hoc Decreto eminet singularis Ecclesiæ prudentia, & discretio: primo enim Ecclesia non prohibet omnem lectionem Scripturæ, vel potius editionem, sed tantum editiones illas, quas solemus vocare vernaculas, quas sæpe sæpius esse corruptas, depravatas, & adulteratas novimus. Secundo: tanta est sublimitas, & obscuritas S. Scripturæ, ut homines plebeii intelligere nequeant, & facile in lapsus induci valeant. Tertio: hinc inde apparet quædam veluti contrarietas, aut contradictio, quæ minus doctis posset esse causa lapsus & scandali: & nunquid ferme omnes hæreses suum traxerunt ortum ex male intellecta scriptura? Quarto: experientia docemur, quod illi, qui præceptum Ecclesiæ parvi pendentes scripturarum lectioni se occulte consecrant, non raro in fide nutent, variis agitentur scrupulis, aut omnino in errores ruant? Sexto: hac ratione magis consulitur puritati, & majestati Scripturæ. Septimo: non possunt Laici conqueri contra legis duritiem: habent enim facultatem legendi editionem vulgatam,

Quid sentiendum de prohibitione lectionis S. Scripturæ.

(g) Vid. dicta Tom. I. Quæst. IV. Cap. II. §. VI.

tam, & cum licentia ſuorum Paſtorum etiam editiones vernaculas (h).

Quid de hoc Indice pro Germania? Quoad ſecundam quæſtionem graviſſimi DD. teſtantur, quod ille Index in Germania univerſaliter non ſit receptus, maxime quoad Regulam quartam, per quam lectio S. Scripturæ interdicitur; quoad libros autem prohibitos ſit diſtinquendum, an ſint primæ vel ſecundæ claſſis? primæ claſſis prohibiti dicuntur eſſe illi libri, qui ex profeſſo de Religione, Fide, & Hæreſi tractant: ſecundæ claſſis ſunt omnes cæteri libri, qui per ſe materiam Religionis & Fidei directe non attingunt. Verum duo nobis hic oriuntur ſcrupuli: & quidem primo libere fatemur, nobis hactenus non ſat eſſe probatum, quod Index hic quoad lectionem ſcripturæ non ſit receptus: cum paſſim Epiſcopi eidem firmiter adhæreant. Secundo: Jure dubitari poteſt, an non majus periculum animarum immineat ex lectione librorum quorumdam, qui, etſi per ſe & principaliter de Religione non tractent, nihilominus talia in ſe continent, quæ ad Religionis materiam proxime accedunt, quales ſunt libri Hiſtorici, Politici, Juridici: nam in libris de Religione ex profeſſo tractantibus venenum intus latens facile proditur; in aliis manet occultum, tacite & velut inanimadvertenter imbibitur cum proximo periculo lapſus. Dein quis nobis dicere poterit, quinam libri ſint primæ, ſecundæ, vel tertiæ claſſis, ad quam claſſem ſint reducendi libri eccleſiaſtici, hiſtorici? Hæc pro cautela dicta volumus.

§. VIII.

Quid de libris prohibitis generaliter ſit ſentiendum? Jam ad Congregationem Indicis iterum revertamur. Haud abs re quæritur, quidnam ergo ſit ſentiendum de proſcriptione librorum, quæ in Congregationibus Officii & Indicis fieri ſolet? cardo difficultatis in eo conſiſtit, an, ſi in Germania, vel alibi conſtet de proſcriptione alicujus libri, eidem abſolute ſit aſſurgendum, aut, quemadmodum alii ſtatum quæſtionis movent, deſuper *Placitum Epiſcopale, vel Regium* ſit exſpectandum? Rationes dubitandi ſe offerunt ſat graves: Inprimis enim talia Decreta non prodeunt nomine Pontificis, ſed ipſius Congregationis: cur ergo illis abſolute ſit ſtandum? Reviſio librorum ordinarie committitur Theologis diverſarum Religionum, qui non raro opinionibus ſuarum ſcholarum, quibus ſuam fidem addixerunt, ſunt præventi, & pro illarum defenſione zelo prorſus indiſcreto zelare conſueverunt, ac non raro zelo amaritudinis, vel inordinatis paſſionibus ſe in transverſum

(h) Vid. dicta Tom. I. Q. II. Cap. II. §. VIII. pag. 152.

versum agi patiuntur. Num constat, quod Consultores eam in revidendo libro diligentiam adhibuerint, quam negotii gravitas exigit? quod nulla inordinata irrepserit passio? quid prohibet, quo minus interveniat sub-aut obreptio? utique novum non est, quod aliquoties interveniant patrocinia Potentum, commendationes Principum, quas eblandiri non raro laborant Viri indiscreto zelo zelantes? Et quotusquisque est, qui sibi scrupulo ducit libros Romae prohibitos legere, nisi *Placito* Episcopali tales prohibitiones sint corroboratae, & publicatae (i)? Haec sine dubio moverunt Benedictum XIV. Pontificem maximum, ut paucis abhinc annis ordinaret, ne posthac Authoris cujuscunque catholici liber, dummodo alias bonae famae Vir sit, prohibeatur, vel qualificetur, nisi vel ipse ad defensionem sit admissus, vel alius ex Consultoribus, vel Procuratoribus illius defensionem antea susceperit. Nobis non licet mentem nostram super his explicare. *Saluberrima Benedicti XIV. desuper Constitutio.*

§. IX.

Inter alia saluberrima statuta Ecclesiae illud etiam est, quo prohibetur, ne quis librum publice typis imprimi curet, nisi prius approbationem illius, & licentiam imprimendi obtinuerit. Postquam enim ars typographica fuit inventa, invaluit etiam facilitas quaecunque divulgandi in publicum cum gravissimo praejudicio Reipublicae christianae, & politicae. Ut ergo hisce malis efficaciter obveniretur, Leo X. in Concil. Lateran. V. anno 1515. statuit, ut posthac omnes libri in urbe Romana per Vicarium Pontificium, vel Magistrum sacri Palatii; in aliis vero dioecesibus per Episcopum, vel alios Viros ab ipso deputatos ante editionem approbentur: aliter edentes ultra librorum impressorum amissionem, illorumque publicam combustionem solvant 100. ducatos ad fabricam Ecclesiae applicandos, & ipso facto sint excommunicati. Decretum istud renovavit Synodus Trident. Sess. 4. quae omnino legi meretur. *Jure ab Ecclesia statutum, ne libri sine approbatione typis mandentur.*

Ex his sequitur, quod approbatio librorum per se pertineat ad Episcopos, ad Vicarios generales, aliosque ab his ad id muneris deputatos, si loquamur de libris, qui religionem & fidem concernunt. Quod si de libris *Statum politicum* spectantibus loquamur, dubium non est, quod *Prohibitio librorum pertinet ad Episcopos, aliquando etiam ad Principes.*

(i) Vid. Van-Espen Tom. 2. part. 3. caute tamen legendus, ex quo has rationes decerpsimus. Res aliunde nota est, hunc Authorem hinc inde de Curia Romana, & ipsis Pontificibus insulse prorsus scribere. Nos meliora de hac Congregatione praesumimus.

quod Imperatores aliique Principes & Status territoriales e suo territorio proscribere valeant libros Reipublicæ politicæ perniciosos, vel etiam prohibere, ne quis similes libros, ex quibus periculum imminet Reipublicæ, edere valeat, sine approbatione Principis territorialis. Super hoc puncto cautum est in multis recessibus imperii (k). Altioris indaginis quæstio est, an etiam libri Theologici, & ecclesiastici approbationi & censuræ Censorum sæcularium subjici debeant, propter periculum, ne in rationem Status, in principia politica, & ordinationes politicas, prout facile contingere posset, impingant? quid in praxi factum sit, & in diem usque hodiernam fiat, scimus: utrum hæc praxis usum bonum, vel abusum sapiat, alii judicent. De qualificatione propositionum alibi actum fuit (l).

An aliquando prohibitio librorum Theologicorum ad sæculares pertineat.

CAPUT VI.

De Congregationibus super negotiis Episcoporum & Regularium, nec non sacrorum Rituum, & quibusdam aliis.

§. I. *De Congregatione super negotiis Episcoporum & Regularium, personis illam constituentibus, causis ad eam pertinentibus, & modo procedendi.* II. *De sacra Congregatione Rituum, illius scopo & fine.* III. *Quotuplex sit, & quæ causæ ad eam pertineant.* IV. *De Beatificatione & Canonizatione, & toto illius processu.* V. *Ad quem olim pertinuerit causa Beatificationis, & hodie pertineat.* VI. *Duplicis generis negotia in ea tractantur, & quomodo expediantur?* VII. *Huc etiam pertinent causæ Immunitatem, vel ecclesiasticam Jurisdictionem concernentes.* VIII. *De quibusdam aliis Congregationibus.*

§. I.

Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium

Inter Congregationes Pontificias celebriores jure optimo reputatur *Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium* tum ob multitudinem, tum ob gravitatem causarum, quæ in hac Congregatione ferme quotidie

(k) Vid. Boehmer ad lib. 5. tit. 7. §. 59. & seq.

(l) Tom. I. Quæst. IV. Cap. 2.

quotidie occurrunt, quam proin Card. de Luca dicere *occupatissimam atque in negotiorum multitudine omnium majorem ob faciles recursus, querelas, & contentiones* non veretur: Quid enim hodie frequentius, quam lites & controversiæ inter ipsos ordines Religiosos, Congregationes & Monasteria super præcedentiis, privilegiis, & juribus; inter Episcopos & Regulares super exemptionibus; inter Abbates & Clericos sæculares super juribus parochialibus, decimis &c. inter Abbates, aliosque Superiores regulares, & suos subditos? Congregationis hujus author fuit Sixtus V. atque ex duabus quasi unam conflavit, nempe super *negotiis Episcoporum*, & super *negotiis Regularium*. Vocatur hæc Congregatio *Cardinalitia*, quia nonnisi ex meris constituitur Cardinalibus, nisi quod unum habeat Secretarium non Cardinalem, a quo literæ & decreta hujus Congregationis scribuntur, una cum subscriptione unius e Cardinalibus, qui *Cardinalis Præfectus* appellatur. Numerus tamen Cardinalium hanc congregationem componentium non est determinatus, sed pendet ab arbitrio Pontificis: communius tamen ad minimum sunt duodecim. Celebratur Congregatio semel in hebdomada singulis diebus Veneris, nisi dies sit impedita. Olim celebrari solebat in palatio Cardinalis Senioris, modo celebratur in palatio apostolico, ubi pro tempore Pontifex moratur.

valde celebris instituta a Sixto V.

Vocatur Cardinalitia.

Ad hanc Congregationem causæ Regularium non solum publicæ sive super regimine Religionis in universum, sive inter unam Religionem & alteram, sed etiam privatæ inter Religiosos super officiis, prælaturis, electionibus, præcedentiis, aliisque præeminentiis; inter Episcopos, & Abbates; inter superiores, & subditos super valore, vel nullitate professionis pertinent.

Causæ Regularium publicæ & privatæ huc spectant.

Forma hujus judicii non est solemnis, sed simplex, & de plano summaria, sola inspecta rei veritate, & admissis probationibus necessariis. Stylus autem hujus Congregationis hic est, ut, si contingat fortassis, quod Religiosus contra suum Abbatem queratur, scribatur epistola familiaris nomine Congregationis signata per Cardinalem Præfectum, & Secretarium cum incluso libello simplici ad Episcopum, vel alium superiorem, ut super expositis in libello supplici Congregationem informet. Hac informatione habita, si Congregatio videat, quod circa factum conveniatur, totaque difficultas reducatur ad punctum juris, tunc negotium in Congregatione discutitur, & revolvitur, ipsaque resolutio per literas, ut antea intimatur. Si vero informatio accepta non videatur esse sufficiens, aut super factis non conveniat cum libello supplice, tunc Congregatio non raro per alias literas libellum supplicem pro ulteriori informa-

Forma judicii simplex.

Modus scribendi, consultandi, procedendi.

formatione transmittit ad Metropolitanum aut viciniorem Episcopum. Cæterum id fateri cogimur, quod Scriptores, qui de stylo hujus curiæ, & modo procedendi scribunt, ita obscure scribant, ut frustraneum laborem in se suscepturus videatur ille, qui ex illis stylum curiæ addiscere vellet.

§. II.

Sacra Congregatio Rituum ab eodem Sixto V. instituta,

In ordine ad dirigendum cultum DEI externum publicum, ritus & ceremonias ordinandas, & tollendos abusus.

Post Congregationem super negotiis Episcoporum & Regularium primum locum meretur *sacra Congregatio Rituum*, quam eidem Sixto V. in acceptis referre debemus. Cum enim Ecclesia semper in id intenta fuerit, ut omnia decenter fiant in domo DEI, divina cum debita reverentia & majestate celebrentur, supremo Numini cultus debitus impendatur, mox a suis primordiis certos ritus in administratione Sacramentorum, in Officio divino, in celebratione Missarum, in functionibus liturgicis instituit. Quoniam vero modus iste facile in superstitiones degenerare potest, & experientia etiam docuit, multos irrepsisse abusus, voluit Sixtus V. singularem instituere Congregationem, cui incumberet cura introducendi ritus, abusus reformandi, superstitiones corrigendi, & cultum DEI externum ita determinandi, ut nihil, quod saperet vanitatem, introduceret; nihil, quod redolet superstitionem, toleraret, sed potius omnes suos ritus ad ædificationem plebis, ad stimulos virtutis, & pietatis addendos ordinaret, & dirigeret. Et certe, si quod est disciplinæ ecclesiasticæ caput, quod indiget reformatione, illud cultus externus esse palam dignoscitur, in quo facile aut per excessum, aut defectum excedere solemus. Libeat audire verba ipsius Sixti V. in sua Constitutione, quam edidit, & verbis prægnantissimis concepit: *Quibus* (loquitur de quinque Cardinalibus, quos huic Congregationi præfecit) *hæc præcipua cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus urbis, orbisque ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis, divinis officiis, Sacramentorum administratione, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur, ceremoniæ, si exoleverint, restituantur, si depravatæ fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus & ceremoniis, inprimis Pontificale, Rituale, Ceremoniale, prout opus fuerit, reforment, & emendent, officia divina de sanctis Patronis examinent, & nobis desuper consultis concedant, diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem, festorumque dierum celebrationem, ut omnia rite & recte & ex Patrum institutione fiant &c.*

Ex

Ex his jam manifeſtum eſt, quisnam fuerit ſcopus, finis, & intentio Sixti V. quænam negotia huic Congregationi committere voluerit, nempe (loquor cum Eſpenio) (m): *Finis primarius hujus Congregationis fuit, ut omnia in divinis Officiis, Sacramentorum adminiſtratione, atque Dei cultu & rite, & religioſe, prout dignitas & majeſtas tanti operis exigit, peragantur, nihilque in ritibus aut ceremoniis irreligioſum aut indecens occurrat, ac per conſequens Cardinales, aliosque ad hanc Congregationem ſpectantes oportere multum eſſe verſatos circa verum ac genuinum Eccleſiæ ſenſum in ritibus, ac ceremoniis præſcribendis, nec non in diſcernendis ritibus, quos Eccleſia jam pridem probavit, & ad populi devotionem excitandam, ipſiusque divini operis majeſtatem imprimendam induxit, ab illis, quos poſterioribus ſæculis vel irreverentia, vel ſuperſtitio, vel avaritia, vel Prælatorum & Paſtorum incuria aut ignorantia invexit.* *Finis hic clarius exponitur.*

§. III.

Hæc Congregatio eſt duplex *ordinaria & extraordinaria:* illa eſt, in qua agitur de ritibus, ceremoniis, & etiam præeminentiis & præcedentiis in publicis proceſſionibus, aliisque publicis functionibus: hæc eſt, quando agitur de negotio aliquo graviori & extraordinario e. g. ſuper Beatificatione & Canonizatione Sanctorum, ſive cultu cuidam DEI ſervo decernendo, de quo mox aliqua dicemus. *Eſt ordinaria & extraordinaria.*

Ex primæva inſtitutione hanc Congregationem conſtituunt quinque Cardinales. Hodie illos pro ſuo arbitrio aſſumit Pontifex: præter hos vero interveniunt multi alii Prælati, ſcilicet primus & ſecundus Magiſter ceremoniarum Papæ, Promotor fidei, Sacriſta Papæ, unus Protonotarius apoſtolicus, & dein Secretarius Congregationis; item alii ceremoniarum Magiſtri, qui ſunt numero ſex. Hæc intelligi debent de Congregatione ordinaria. Ad Congregationem extraordinariam maxime ſi agatur de Beatificatione, vel Canonizatione ſervorum DEI, ultra prædictos interveniunt etiam ſex Conſultores Prælati, &, (qui ut plurimum ſunt Miniſtri generales alicujus ordinis) 20. alii Conſultores Theologi. *Cardinales & Officiales illam conſtituentes.*

§. IV.

Cum ad ſacram Congregationem Rituum ex conſtitutione Sixti V. pertineat Beatificatio, & Canonizatio, haud ingratiis nos facturos exiſtimamus, ſi de hujus ritibus & ceremoniis quædam pro aliquali eruditione *De Beatificatione & Canonizatione.*

(m) Part. I. Tit. 22. cap. 7.

Beatificatio quid. ditione tradamus. Aliud est Beatificatio, & aliud Canonizatio: Beatificatio est concessio a Pontifice cuidam Provinciæ, Regno vel Ordini facta, per quam præmisso examine de virtutibus heroicis, & miraculis certis permittitur, ut aliquis possit appellari beatus, eidemque certus cultus deferri e.g. Officium celebrari, Missa dici &c. Canonizatio vero est sententia decretoria solemnis, qua Pontifex præmissis præmittendis solemni ritu aliquem fastis Sanctorum adscribit, eumque toti Ecclesiæ colendum proponit.

Quid Canonizatio?

Quænam sint præmittenda Beatificationi? Priusquam ad ipsam Beatificationem pervenitur, sine dubio præmittenda præmitti debent, ac præprimis examen rigorosissimum super vita, morte, virtutibus heroicis, & miraculis Beatificandi, & quidem examen ita rigorosum, ita severum, & accuratum, ut vix major diligentia desiderari valeat. Quamdiu vel minima exceptio contra Beatificandum opponi potest, tamdiu negotium beatificationis manet in suspenso, & non raro omnino supprimitur. Scriptura aliqua vel epistola a Beatificando adhuc in vivis agente scripta totum Beatificationis processum suppressisse legitur. Ponamus igitur, quod persona quædam e vivis decedat, quæ in vita fulsit virtutibus, & fama sanctitatis, & post obitum fulget miraculis: neutiquam licet Congregationi rituum, ad quam ex dictis spectat negotium Beatificationis, quemdam albo Beatorum, multo minus Sanctorum adscribere, sed dantur 50. anni, inter quos processum ventilare licet. Intra hoc tempus Ordinarii, in quorum Dioecesibus hujusmodi homines decedunt, diligentissime in vitam, in mortem, in virtutes, in miracula inquirunt, testes audiunt, examinant, juramenta imponunt, ac tandem de processu Inquisitionis, & omnibus a se actis authenticam copiam ad Pontificem mittunt, cujus originale sub diversis clavibus in archivo Pontificis asservatur. Postquam acta Beatificationis debite fuere præsentata, & fortassis potentissimis Regum & Principum recommendationibus, quemadmodum fieri solet, munita ad manus pervenerunt Pontificis, instituitur commissio, & denominantur Commissarii ad processum Beatificationis inchoandum, qui tamen primum post decennium a die præsentati, & hoc non nisi pro casu, quo ab Ordinario nova testimonia famæ, miraculorum, devotionis populi veniunt, inchoatur.

Dantur 50. anni, inter quos processus ventilari debet.

Inquisitio ab Episcopis facienda.

Romæ instituitur commissio.

His itaque omnibus peractis aperitur processus in præsentia Cardinalium, & Notariorum, ac inquiritur, utrum acta processus sint legitima, an non defectuosa &c. De his si constet, inquiritur in testes, an legitime deposuerint, legitime examinati, & omnes Juris apices fuerint observati. Post hæc iterum totus processus clauditur, & sigillo

Congre-

Congregationis munitus asservatur, nec amplius aperitur, donec 50. anni effluxerint. Elapso dein 50. annorum spatio primo, & principalissime inquiritur in vitam & virtutes; secundo in miracula Beatificandi. Quoad virtutes inquiritur, an Beatificandus in gradu eminenti possederit virtutes Theologicas? an quosdam actus exercuerit heroicos virtutum? Non enim quicunque ab Ecclesia beatificantur, sed illi, qui singulari vitæ sanctitate, & virtutum exemplo præluxerunt: vult enim Ecclesia, ut Beatos non modo veneremur, sed vel maxime illorum vitam imitemur: itaque mirari non debemus, si hinc inde vel legamus vel audiamus, quod plures similes processus corruerint: eo quod patroni causarum in probatione virtutum heroicarum defecerint (n). Miracula etiam requiruntur: quia Ecclesia illos duntaxat vult supra candelabrum ponere, fidelibus colendos proponere, quos ipse DEUS signis manifestis coli, ac debito honore haberi manifestat. Et quidem miracula debent esse evidentia, & quasi luce meridiana clariora, de quibus ut eo clarius cognoscatur, vocantur Medici, Chirurgi, Philosophi, Historici, ac ipsi etiam Theologi: quia, cum miracula vera prout contradistincta a falsis non habeant characterem & notam intrinsecam, sed potius illorum veritas ab ipsa persona, modo, fine & effectibus dimetienda sit, horum vel maxime examen accedat, necesse est (o).

Inquisitio in vitam & virtutes nec non in miracula.

Requiruntur virtutes heroicæ in gradu eminenti possessa.

Item miracula indubitata.

Jam negotio ita præparato habetur congregatio coram ipso Pontifice, qui audito voto Congregationis interponit Decretum. Hoc peracto indicitur aliud Consistorium prorsus solemnissimum a Pontifice, ad quod præter Cardinales vocantur omnes Prælati ecclesiastici, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, quorum omnium per quamdam Concilii imaginem votum requiritur, & tunc demum præmissis precibus, aliisque ceremoniis, quæ in ceremoniali Romano late describuntur, instante Procuratore causæ Pontifex alta voce sedens cum mitra sub consueta formula Beatum pronuntiat, & decernit Sanctum, Sanctorumque albo adscribit (p). Hæc de ritibus Canonizationis.

Pontifex duo celebrat Consistoria, in quorum altero solennissime beatificat, vel canonizat.

§. V.

Jam quæritur ulterius, ad quem pertineat Canonizatio, vel potestas solemniter canonizandi? Tria cum Mabillonio (q) distinquenda sunt

Quoad jus canonizandi tria tempora distinquenda.

(n) Vid Passionei Votum Bellarmins Seligsprechung betreffend, quod reperire est in Francisci Griselini Denkwürdigkeiten des berühmten Fra Paolo Sarpi.

(o Vid. Differt. de veris & fictis miraculis Calmeti.

(p) Vid. Opus de Beatif. Benedicti XIV. (q) Præfat. in Sæc. V. Ord. S. Bened.

ſunt tempora: Primum ab exordio Eccleſiæ usque ad Sæc. X. Secundum a Sæc. X. usque ad Alexandrum III. & tertium ab eo tempore usque ad nos. Primo intervallo facultas canonizandi competebat cuivis Epiſcopo in ſua Diœceſi, ita tamen, ut populi ſuffragium in ipſa Canonizatione adhiberet; imo ſucceſſive circa Sæc. V. & VI. poſtulabatur authoritas Synodi particularis, & conſenſus Principis. Attamen hæc Canonizatio fiebat cum magna cautela, uti citatus Author oſtendit, atque eo tempore valebat commune illud: *Vox populi, vox DEI.* Sæculo IX. jam non pauci requirebant authoritatem pontificiam, ita tamen, ut plerique Epiſcopi, præſertim Metropolitæ, ſuam antiquam conſuetudinem retinerent. Secundum tempus eſt a Sæc. X. usque ad Alexandrum III. nam hoc labente ſæculo primum indubitatæ fidei monumentum de ſolemni per Romanum Pontificem Canonizatione reperitur, nempe Diploma Joannis XV., qui Romæ in frequenti Epiſcoporum conventu ad preces Luitolfi Epiſcopi Auguſtani Udalricum ejusdem Urbis Epiſcopum in Sanctorum album retulit anno 995. Equidem haud ignoramus, Bellarminum, aliosque Viros doctos in ea fuiſſe perſuaſione, hujus moris originem ad S. Suidbertum id eſt ad Sæc. VIII. eſſe revocandum, quo tempore Leo III. in præſentia Caroli M. præfatum Epiſcopum Cæſarwerdæ ſolemni ritu canonizaſſe refertur: Sed quia Acta hujus Canonizationis ex actis apocryphis Genebrardi Gemblacenſis ſunt mutuata, peritiores Critici ea rejiciunt, & ad ſinceriora provocare conſueverunt. Itaque ab hoc tempore, id eſt a Sæc. X. inquiſitio de piorum meritis & miraculis facta eſt tum per Romanos Pontifices, tum per Archiepiſcopos & Epiſcopos, & viſis ſcriptis datum Diploma Pontificium vel Epiſcopale ad eorum ſanctitatem ſolemni modo declarandam. Tertium denique tempus currit a tempore Alexandri III., qui Canonizationem tanquam unam ex majoribus cauſis ad Romanum Pontificem pertinere edixit, ſibique & ſuis ſucceſſoribus reſervavit, & mox Beatos quosdam Eduardum Regem Angliæ, Theobaldum Eremitam Vicentinum, Thomam Cantuarienſem, & poſt biennium Bernardum Caravallenſem ſolemni Ritu Sanctorum faſtis adſcripſit.

Primus ſolemni ritu a Pontifice fuit Canonizatus S. Udalricus.

Hiſtoria de Canonizatione S. Suidwerti non eſt ſatis certa.

Alexander III. primus fuit, qui Canonizationem Romano Pontifici reſervavit.

Canonizatio jam antiquitus plurima cum circumſpectione fuit peracta, etiam ipſo-

At nemo exiſtimet velim, antiquam Canonizationem non cum ea, qua par erat, circumſpectione fuiſſe peractam: nam, ſi vel de ſolis SS. Martyribus loqui velimus, Eccleſia non quoscunque Martyres reverebatur, ſed illos, de quorum martyrio certo conſtabat. Cum enim ipſi etiam hæretici Montaniſtæ, & Donatiſtæ ſuos quoque martyres venderent, & aliquoties falſos martyres ſubrepſiſſe deprehenſum fuiſſet, jam Cle-

Clemens I. constituit septem Notarios, ut acta Martyrum conscriberent: Fabianus vero totidem Subdiaconos instituisse fertur. Imo ne ipsi quidem fideles aliquem pro Martyre habebant, nisi indubitata acta martyrium contestarentur. Et quis nescit, olim corpora ipsa martyrum igne fuisse probata, an sint genuina? Rem hanc pulcherrimis exemplis demonstrat cit. Mabillonius, unaque ostendit canonizationem Martyrum esse antiquissimam, & primum Saec. IV. vel V. supervenisse canonizationem sanctorum Confessorum, ex quibus primi fuere Antonius, & Hilarion Eremitae. *rum SS. MM.*

Sed nec sine omni ritu & honore debito fiebant hae Canonizationes: nempe praecedebat commune populi suffragium, sequebatur erectio Altaris, vel Oratorii supra tumulum, succedebat corporis elevatio, quam excipiebat celebratio officii. Haec omnia pluribus illustrat eruditissimus Mabillonius (r). *Fiebat etiam cum quibusdam ritibus.*

§. VI.

Jam ut ad id, unde digressi sumus, revertamur: adhuc aliqua dicenda supersunt de hac celeberrima Congregatione Indicis; atque id praeprimis, quod in ea tractentur duplicis generis negotia, *contentiosa*, & *gratiosa*. *Contentiosa* sunt illa, quando adest pars contradicens e. g. si oriantur controversiae circa praecedentias, usum Pontificalium, erectionem Sodalitatum, Confraternitatum, titulos honorificos, gestationem signorum crucis, annuli, erectionem baldachini &c. *Gratiosa* sunt, quae simpliciter petuntur sine contradictione alterius, quae ordinarie tangunt sacros ritus, vel ceremonias ecclesiasticas, aut cultum divinum, e. g. si supplicetur pro concessione facultatis celebrandi officium sub ritu duplici, de quodam Sancto speciali recitandi breviarium, celebrandi festum cum octava, assumendi quemdam sanctum Protectorem, & Patronum Regni, Provinciae, Dioecesis &c. vel si petatur resolutio dubii circa quemdam ritum ecclesiae. *In hac Congregatione Indicis tractantur negotia tam contentiosa, quam gratiosa.*

Est autem diversa forma expediendi pro diversitate negotiorum: in gratiosis porrigitur libellus ipsi Congregationi, quae nulla prorsus informatione audita, facta tamen sibi per Secretarium relatione in plena Congregatione, vel annuit, vel gratiam denegat, prout ei expedire videtur. Etiam in contentiosis porrigendus est libellus, & in eo causae status enarrandus. S. Congregatio libellum remittit pro informatione ad Ordinarios: injungit, ut omnes interesse habentes admoneant, ut in sacra *Forma procedendi & expediendi.*

(r) Praefat. in Saec. V.

sacra rituum congregatione ad se se defendendos compareant. Postquam rediit informatio Ordinarii, tunc unus ex Cardinalibus constituitur *Ponens*, coram quo pars ad judicium provocans debet citare alteram partem ad concordandum de dubio, & post concordatum dubium Eminentissimus Ponens assignat terminum pro propositione causæ: interea fiunt informationes, quibus factis, & adveniente termino propositionis, qui semper cadit in diem Sabbathi, causa proponitur, & per pluralitatem votorum resolvitur. Sequitur expeditio rescripti modo consueto. Illud singulari mentione dignum est, quod aliquoties Pontifex in negotiis contentiosis majoris momenti causas ab hac Congregatione avocet, easque sacræ Rotæ juxta normam in hoc Tribunali receptam decidendas committat; aliquoties simpliciter mandet, ut cognoscatur causa de voto Rotæ juxta eandem normam: quo facto cessat officium Rotæ, & votum Rotale communicandum est Congregationi Indicis, ut, quid in hac causa sit decidendum, determinare valeat.

Pontifex aliquoties causas avocat, easque S. Rotæ committit.

Plures adhuc sunt Congregationes ad nostrum examen pertinentes, quas brevius non nihil expediemus, Huc pertinet *sacra Congregatio Immunitatis ecclesiasticæ, & controversiarum Jurisdictionalium.* Hæc Congregatio fuit erecta sub initium Pontificatus Urbani VIII., quæ componitur ex pluribus Cardinalibus & Prælatis, quorum quatuor sunt fixi, nempe Secretarius, unus ex Auditoribus Rotæ Romanæ, unus ex Prælatis Clericis Cameræ, & Advocatus Fiscalis: cæteri sunt ad libitum. Hi omnes Prælati de variis Tribunalibus assumpti dicuntur *Ponentes*, seu Relatores causarum. Hæc Congregatio celebrari solet bis in mense, die Martis in palatio apostolico,

Congregatio Immunitatis ecclesiasticæ.

§. VII.

Ad hanc Congregationem pertinent omnes causæ Immunitatem ecclesiasticam, vel etiam Jurisdictionem concernentes e. g. decidit, an in hoc vel illo casu reus gaudeat immunitate ecclesiastica, vel non: & quia ex Bulla Gregorii XIII. sunt excepti sex casus, in quibus reus non gaudet immunitate ecclesiastica, nempe assassinii, homicidii proditorii &c. hæc Congregatio judicat in processibus transmissis a partibus, an sit probatum assassinium vel non, ad hoc, ut reus abstrahatur ab ecclesia, & tradatur curiæ sæculari. Aliquando Principes sæculares petunt ab hac sacra Congregatione licentiam hominem facinorosum abstrahendi ab ecclesia, qui, licet non commiserit crimen exceptum, est tamen reus enormium criminum, propter quæ se privilegio ecclesiæ indignum fecit, dummodo tamen caveatur, ne reus pœna ordinaria afficia-

Huc pertinent causæ Immunitatem vel Jurisdictionem ecclesiasticam concernentes.

alliciatur. Hæc Congregatio defendit etiam Immunitatem realem & personalem: idcirco Officiales Laici & sæculares, si gabellas a personis ecclesiasticis extorserint, vel Jurisdictionem ecclesiasticam quomodocunque turbaverint, aut violaverint, & hoc modo censuram ecclesiasticam incurrerint, ad hanc Congregationem recurrere necessum habent, ut judicet, an censuræ sint justæ, vel non.

In hoc tribunali causæ introducuntur ut plurimum per processus jam factos a locorum Ordinariis, ita ut incumbat reo, prætendenti immunitatem ecclesiasticam, probare contrarium adversus processus ad hanc sacram Congregationem remissos: hoc contingit, quando, disputatur, an aliquis reus gaudeat immunitate, vel non? Interdum causæ introducuntur pariter prævio processu ab iisdem Ordinariis ad hanc Congregationem remisso adversus Magistratum laicalem, seu Gubernatorem, qui immunitatem ecclesiasticam violavit, vel saltem quando quæstio fit, an violaverit: & hoc casu incumbit pariter onus probandi laico adversus probationes in eodem progressu contentas. *Diversus modus introducendi causas in hoc tribunali.*

§. VIII.

Sequitur *sacra Congregatio propagandæ fidei*, quæ componitur ex Cardinalibus, qui non habent numerum certum, & possunt esse usque ad 25. vel 30. Actu frequentantes solent esse 10. vel 12. Ultra prædictos Cardinales adest etiam Secretarius, qui est Prælatus, & Cardinalis Præfectus, tanquam caput totius Congregationis. In hac Congregatione agitur de omnibus illis causis, quæ spectant ad Missionarios, seu missiones, quæ de mandato illius exercentur per universum orbem. In rebus ad Missiones pertinentibus amplissima est hujus Congregationis potestas, de qua Authores passim. *Congregatio propagandæ fidei.*

Alia adhuc superest Congregatio Romæ a Clemente VI. erecta, ad quam pertinet examen illorum, qui ad episcopatus promoventur, & propterea dicitur *Congregatio Examinis Episcoporum.* Huic Congregationi interveniunt quidam Cardinales, aliqui Prælati, & quidam Religiosi: Ex his alii sunt deputati in materia S. Theologiæ scholasticæ; alii in materia Theologiæ moralis; & alii in materia SS. canonum: Est enim in arbitrio examinandi, quam velit seligere materiam pro subeundo examine. Examinatores sunt Decanus, vel Vice-Cancellarius sacræ Rotæ, Magister sacri Palatii, & Vice-Gerens Vicarii Urbis. Celebratur hæc Congregatio coram Pontifice. Examinatores non possunt esse pauciores, quam tres; nec plures, quam quatuor. Tres ex *Congregatio Examinis Episcoporum.*

datis Examinatoribus quemlibet examinant, nempe unus Cardinalis, & duo alii inferiores. Vice-Gerens examinandum introducit, eumque coram Pontifice fiſtit.

Referuntur aliæ Congregationes minus celebres. Plures adhuc ſunt Congregationes e. g. *Congregatio ſacræ Conſultæ, boni Regiminis, Cameræ Apoſtolicæ,* quarum tamen notitia parum ad noſtrum ſcopum facit. Una adhuc ſupereſt, nempe *Congregatio Concilii* ſeu *pro interpretatione Concilii Tridentini,* quam ſingulari Cap. diſcutiendam aſſumimus.

CAPUT VII.

De Congregatione Cardinalium Interpretum S. Concilii Tridentini.

§. I. *De occaſione, ſcopo, & fine hanc Congregationem inſtituendi.* II. *De poteſtate Cardinalium.* III. *De Perſonis illam conſtituentibus.* IV. *De negotiis ad eam ſpectantibus.* V. *De viſitationibus liminum apoſtolicorum.* VI. *De Declarationibus Cardinalium earumque authoritate.*

§. I.

Patres Concil. Trident. Pontifici propoſuerunt remedium pro diſſolvendis dubiis. Cum Patres Concilii Tridentini ſapientiſſime præviderint, ſuo tempore quamplurima dubia ſuper decretis, & canonibus fore enaſcitura, de quodam remedio cogitandum eſſe exiſtimarunt, quo incommodis quibuscunque efficaciter obviari poſſet. Idcirco curam hanc præprimis demandarunt ipſi Pontifici, quatenus ipſe, ſi quæ in decretis recipiendis difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem vel definitionem poſtulant, dignaretur meliorem in modum proſpicere, & vel *evocatis ex illis præſertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, ſi neceſſarium judicaverit, vel commodiore quacunque ratione ei viſum fuerit, provinciarum neceſſitatibus pro gloria DEI & Eccleſiæ tranquillitate conſulatur* (s).

Aliud remedium ſelegit Pontifex Pius IV. in ſua Bulla Aſt nec unum nec alterum placuit Pio IV. Pontifici: neque enim aut illam evocationem fuiſſe factam, aut Synodum celebratam ſcimus. Quapropter de alio remedio opportuno, & ad occurrendum omnibus difficultatibus efficaci cogitavit, & revera excogitavit, illudque in ſua Bulla

(s) Seſſ. 25. in fine.

Bulla Concilii confirmatoria, quæ incipit *Benedictus DEUS*, universæ Ecclesiæ promulgavit, atque interpretationem Concilii sibi soli reservavit, *authoritate Apostolica inhibendo, tam ecclesiasticis personis, cujuscunque sint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis, quocunque honore ac potestate præditis, Prælatis quidem sub Interdicti ingressus Ecclesiæ, aliis vero, quicunque fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine authoritate Pontificis audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumque interpretationis genus super illius Concilii decretis quocunque modo edere, aut quidquam quocunque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæsito colore statuere.* Deinde subjicit, *ut, si cui aliquid obscurius dictum aut statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere visum fuerit, ad Sedem Apostolicam, tanquam omnium fidelium Magistram ascendat*, & ab hac interpretationem, declarationem, & decisionem recipiat &c. *confirmatoria.*

Quoniam vero graviora negotia Pontificem impediebant, quo minus hisce laboribus solus sufficeret, idem Pontifex mensibus aliquot post Concilii confirmationem, & hanc interpretandi Decreta Sedi apostolicæ factam reservationem quamdam erexit Cardinalium Congregationem, illorum præsertim, qui Concilio interfuerant, & hoc ipso de mente Patrum melius erant informati, eum in finem, ut, licet penes ipsos non esset potestas interpretandi & dubia decidendi, super quibus ad se fieri relationes voluit, nihilominus executionem & observantiam illorum decretorum in se susciperent. *Tandem erexit Congregationem Cardinalium.*

§. II.

Ex his manifeste apparet, quod Congregationis hujus potestas fuerit valde restricta & limitata, utpote quæ non interpretandis decretis, sed exequendis duntaxat fuit præposita. Animadvertit tamen Card. de Luca (t), quod Cardinales huic Congregationi præfecti, non obstante, quod Pontifex sibi soli interpretationem reservaverit, nihilominus partes interpretandi assumpserint, & quasdam declarationes fecerint, eo majoris authoritatis reputandas: quod plures ex his Cardinalibus vel tanquam Præsidentes, & Legati; vel tanquam Prælati Synodo Tridentinæ interfuerint, ideoque mentem Synodi melius perspectam habuerint. Paulo ampliorem potestatem postea huic Congregationi concessit Pius V. demum Sixtus V. in sua constitutione, quæ incipit *immensa*, eam potestatis plenitudinem in hanc Congregationem trans- *Illorum potestas primitus fuit valde limitata. Pius V. eam ampliavit, Sixtus V. fecit amplissimam.*

(t) In Annot. ad Concil. Trident.

transfudit, ut super dubiis circa decreta morum, reformationem, disciplinam, & ecclesiastica judicia occurrentibus plenam interpretandi potestatem haberent, hac tamen addita clausula: *ut ejusmodi declaratio fiat consulto Pontifice.* Decretorum tamen, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationem sibi reservavit Pontifex.

§. III.

Constat ex meris Cardinalibus.

Hæc Congregatio componitur ex meris Cardinalibus excepto solo Secretario. Inter ipsos vero Cardinales unus gerit præfecturam pro subscriptione literarum & decretorum, qui simul negotia dirigit, in conventibus præest, & dicitur *Cardinalis Præfectus.* Quapropter omnes declarationes ab hac Congregatione emanantes debent esse munitæ subscriptione *Cardinalis Præfecti*, & Secretarii, nec non sigillo ipsius Congregationis, ita ut secus sint sine effectu, & nullam mereantur fidem, prout declaravit hæc Congregatio sub Urbano VIII. 2. August. anno 1632.

§. IV.

Ad eam pertinent Declarationes Canonum Syn. Trident.

Negotia ad hanc Congregationem spectantia sunt inprimis declarationes, & interpretationes canonum Concilii Tridentini non tam in casibus particularibus, dubiis, & in forma judicii decidendis, hos enim sæpe remittunt ad alias Congregationes; quam in abstracto per viam Oraculi, e. g. si quis Episcopus pro futuris casibus & velut in genere dubium Juris articulum sibi declarari exposcat. Ulterius ad hanc Congregationem pertinet cura Synodorum Provincialium, non tantum ut diligenter celebrentur, verum etiam ut illarum decreta ab hac Congregatione revideantur, ratihabeantur, & approbentur. Ac demum huc pertinent relationes, quas Episcopi de statu suæ Ecclesiæ Romam mittere debent, quando ad præscriptum sui juramenti, quod ante confirmationem suam juxta formulam in Pontificali Romano descriptam emittere debent, singulis quinquenniis vel per se, vel per Procuratorem more consueto limina Apostolorum visitant. Nam relationes istæ ad hanc Congregationem sunt dirigendæ, & ab hac responsa dantur, & cætera materiam hujus visitationis spectantia expediuntur.

Cura Synodorum provincialium.

Relationes Episcoporum, dum limina visitant.

§. V.

Visitationes liminum male vapulant a Sectariis.

Juvat hic de visitationibus liminum Apostolorum quædam superaddere, siquidem Protestantes nescio quid fraudis & doli pontificii in iis latere existimant, haud secus ac in ipso juramento, quod Episcopi

ante

ante suam confirmationem Pontifici præstare debent, utpote quod tanquam *vinculum iniquitatis*, quo Pontifices in præjudicium Imperii Episcopos sibi devincire volunt, turpiter traducere consueverunt, de quo diximus alibi (u), & dicemus in Tom. seq.

Originem harum visitationum Prosper Fagnanus (x) reducit ad primitivam Ecclesiam, easque statim post obitum SS. Apostolorum Petri & Pauli fuisse institutas affirmat. Fundat se Fagnanus in decreto Anacleti Pontificis, qui fuit quintus in ordine Romanus Pontifex. Hoc decretum refertur in cap. juxta dist. 93. & sic habet: *juxta SS. Patrum & Canonum instituta omnes Episcopi, qui hujus Apostolicæ Sedis ordinationi subjacent, qui propinqui sunt, annue circa idus Maii Sanctorum Principum Apostolorum Petri & Pauli liminibus præsententur omni occasione seposita.* Ex his infert Fagnanus, quod, cum Pontifex se referat ad instituta SS. Patrum & canonum, hæc intelligi debeant de tempore anteriori, quo Clemens, Linus, & Cletus tanquam immediati Successores Apostolorum rexerunt Ecclesiam. Verum enim vero, quia decretum istud hodie refertur inter spuria antiquorum Pontificum documenta, eidem tuto fidi non potest. In eo omnes, quantum saltem nobis constat, conveniunt, hanc originem esse derivandam ab antiquissimis visitationibus, vel potius itineribus, quibus Episcopi Italiæ, præcipue Siciliæ singulis annis Romam, ut interessent Synodo provinciali, confluebant, & quidem ante Leonis tempora singulis annis; postea ex decreto Leonis unoquoque triennio; & demum a tempore Gregorii M. non nisi singulis quinquenniis. Undenam vero hæc consuetudo ante tempora Leonis suum ortum habuerit, vel an Episcopi ex lege præcipiente id facere debuerint, non constat: quia lex certa & indubitata hactenus inveniri non potuit. Hanc disciplinam Zacharias Papa anno 743. in Concilio Romano extendit ad omnes Episcopos, qui vel Sedis Apostolicæ erant Suffraganei, vel a Pontifice ordinari debebant, jussitque, ut, si Romæ proximiores essent, singulis annis ad festum SS. Apostolorum Petri & Pauli; si remotiores, eo annorum intervallo venirent, quod, dum ordinabantur, suo chirographo ratum habuere. Cœteros Episcopos extra fines Italiæ simile præceptum habuisse non legimus: quamquam aliquoties Episcopos vel devotionis ergo, ut limina Apostolorum venerarentur, vel consilii causa, ut cum Pontifice de necessitatibus

Origo incerta.

Zacharias Papa Visitationem præcepit fuisse Suffraganeis.

Episcopi plures visitare consue-

(u) Dissert. I. de Jur. Eccles. Particul. Germaniæ cap. 3. §. XI.

(x) Comment. in lib. II. Decret. ad cap. 4. de Jurejur.

verunt limina.

tibus ſuarum Eccleſiarum conſulerent, iter Romam inſtituiſſe legamus (y).

Viſitationes liminum in uſu fuere apud Reges, Epiſcopos, Laicos, Clericos, Abbatiſſas & Moniales.

Reſtrictæ.

Invaluit eo ævo a tempore Clodovæi usque ad Carolum M. mos quaſi univerſalis apud Reges, & Epiſcopos viſitandi limina Apoſtolorum: imo ſub Carolinæ familiæ imperio adeo frequentes erant hæ peregrinationes Nobilium ac ignobilium, Clericorum & Laicorum, Abbatiſſarum etiam & Monialium, ut inhiberi debuerint. In Concilio Verno de anno 755. prohibiti ſunt Regulares, ne Romano ſe darent itineri, niſi ad cauſas Monaſterii perſequendas, & ex mandato ſui Abbatis: In Concilio Cabilonenſi II. an. 813. vetantur Parochi Romam ire, niſi permittente Epiſcopo. In Concilio Foroiulienſi id ipſum interdicitur Monialibus & Abbatiſſis. Epiſcopis Galliæ ſine licentia Regis Romam proficiſci non licuit, ſive dein a Pontifice ad Concilia fuiſſent invitati, ſive voti explendi cauſa id facere voluiſſent.

Sæc. X. invaluere apud ſingulos Epiſcopos, & quare?

Erant arbitrariæ.

Ut autem ad id revertamur, unde digreſſi ſumus, Sæc. X. invaluit conſuetudo apud ſingulos Epiſcopos proficiſcendi Romam: tum ut Pontifici tanquam Vicario Chriſti, Capiti Eccleſiæ, Centro unitatis, Vertici communionis Catholicæ ſua exhiberent pietatis, devotionis & reverentiæ obſequia: tum ut limina Apoſtolorum decentiſſimo cultu proſequerentur. Erant tamen hæ viſitationes adhuc arbitrariæ. Eas quidem urgebat Gregorius VII., præcepto tamen non adigebat (z).

Fuerunt præcepta Metropolitanis.

Itaque origo proximior obligationis proficiſcendi Romam referenda eſt ad tempora Paſchalis II., ex cujus epiſtola ad Archiepiſcopum Poloniæ data, qui, ut juramentum ab Archiepiſcopis præſtandum & ipſe præſtaret, ſeque ad viſitanda limina Apoſtolorum obligaret, adduci non potuit, colligimus, quod eo tempore Metropolitani, dum Pallium a Romano Pontifice recipiebant, in ſuo juramento eidem præſtando ſeſe obligare debuerint ad viſitanda limina Apoſtolorum ſaltem ſingulis trienniis (a). Ita nempe id, quod antea erat conſuetudinis liberæ, in neceſſitatem & legem tranſiit. Utrum vero Paſchalis II. hanc legem primus tulerit, divinare haud licet. Ex verbis epiſtolæ haud obſcure

(y) Ludov. Thomaſ. de vet. & nova Eccleſ. Diſcip. Part. II. lib. 3. cap. 49.

(z) Ita Thomaſſin. loc. cit. cap. 42. ſed de hoc jure dubitatur, an non Gregorius VII. has Viſitationes præceperit: cum formula juramenti legatur in Synod. Romana VI. ſub Gregorio VII. celebrata: niſi dicere velimus, eam ſolum pertinere ad Epiſcopos Papæ Suffraganeos.

(a) Loc. cit. N. 6.

ſcure colligitur, eam jam antea viguiſſe (b). Attamen hæc neceſſitas tunc ſolos ſtringebat Metropolitas; non vero Epiſcopos, & cohærebat ipſi Pallio. Sed res tandem eo devenit, ut & ipſi quoque jurent Epiſcopi, ſe & quidem ſingulis annis vel per ſe vel per alios Romam perrecturos, niſi a Romano Pontifice diſpenſentur. Quomodo autem & quando juramentum iſtud, cum non eſſet olim niſi eorum Epiſcoporum, qui Metropoli Romanæ ſuberant, factum fuerit omnium commune, non adeo liquet. Haud improbabilis eſt conjectura Ludov. Thomaſſini, exiſtimantis, id inde veniſſe: quod, poſtquam formula juramenti olim a vicinioribus Romæ Epiſcopis juxta decretum Zachariæ & Gregorii III. præſtandi Decretalibus Gregorii IX. fuit inſerta (c), Epiſcopi cœteri per Germaniam, aliasque provincias, in quorum Diœceſibus Decretales uſum & authoritatem obtinuerunt, exiſtimaverint, ſe eodem juramento & obligatione viſitandi limina eſſe obſtrictos. Potuit etiam, ait Thomaſſinus, eo aliquid contuliſſe liber Pontificalis Romanus, qui paulatim & ipſe, cum proprius fuiſſet Romanæ Eccleſiæ, aliis omnibus Eccleſiis communicatus fuit: utpote in quo idem juramentum legitur.

Succeſſive etiam Epiſcopis, & quomodo?

Conjectura Thomaſſini.

Tanta apud nos eſt exiſtimatio & authoritas Thomaſſini, ut illius conjecturas ſimpliciter rejicere nefas foret. Licebit nihilominus pace tanti Viri noſtram mentem deſuper edicere. Profecto veroſimile nobis non videtur, quod Epiſcopi errore facti vel juris decepti ſponte ſua ſe ad juramentum poſt receptas Decretales obtulerint, niſi decreto ſpeciali, vel juſſu Pontificis id facere debuerunt. Res nota eſt, quantopere ſe Metropolitæ primitus oppoſuerint juramento occaſione Pallii Archiepiſcopalis exacto. Longe veroſimilius eſt, quod Pontifices ipſi hoc juramentum haud ſecus ab Epiſcopis, quam Metropolitanis Pallium recipientibus exegerint, poſtquam jus confirmandi Epiſcopos etiam extra fines Italiæ e manibus Metropolitarum ad Pontifices pervenit. Idcirco eadem fata hujus juramenti & obligationis viſitandi limina eſſe credimus, quæ ſunt juris confirmandi Epiſcopos: quemadmodum illud pedetentim & ſucceſſive ad Pontifices fuit devolutum, ita etiam ſucceſſive ab omnibus Epiſcopis juramentum fuit exactum, eo potiſſimum

Videtur minus vera.

Veroſimilior affertur.

Ex jure confirmandi Epiſcopos ad Pontifices devoluto fluxiſſe videtur obligatio viſitandi limina.

(b) Nam in illa Epiſtola Pontifex provocat ad morem antea jamjam conſtitutum, ut patet ex verbis epiſtolæ a Thomaſſino relatæ.

(c) Formula hæc juramenti adſcribitur in Decretalibus Gregorio III. Eadem legitur apud Harduinum Tom. 6. P. 1. in Concilio Romano VI. ſub Gregorio VII.

mum ævo, quo plurimi Episcopi in Germania Imperatoribus schisma conflantibus contra Pontificem adhæserunt (d). Hactenus de origine juramenti, & inde resultantis obligationis visitandi limina Apostolorum.

Bulla Sixti V. determinavit visitationes liminum.

Quidquid de his sit, omnes ambages sustulit nova constitutio Sixti V., quæ incipit: *Romanus Pontifex*, & fuit publicata Romæ 14. Kalend. Januarii 1585., in qua Pontifex recensitis gravissimis incommodis, quæ ex intermissa sacrorum liminum visitatione obvenerunt Ecclesiæ, statuit sequentia: Primo jubet, ut Episcopi, & alii majores ecclesiarum Prælati per universum orbem terrarum constituti in manibus primi Cardinalis Diaconi, si præsentes in curia fuerint; si vero absentes, in manibus Antistitis, qui ad impendendum munus consecrationis, aut ad tradendum Pallium a Sede Apostolica delegabitur, jurent juxta formulam in Quinterno Cancellariæ Apostolicæ descriptam, se Beatissimorum Apostolorum limina præscriptis in ea constitutione temporibus personaliter visitaturos, aut si legitime impediti fuerint, per certum nuntium ad id specialiter ablegandum. Secundo definivit stata annorum intervalla regionum distantiæ accommodata ad Romanum iter Episcopis omnibus capessendum. Nimirum Itali tertio quovis anno; Galli, Germani, Hispani quarto; cœteri Europæi & Africani quinto; Asiatici, & si qui remotiores decimo quoque anno Romam pergent suam visitationem decenter peracturi. Tertio præscripsit modum, quo hæc visitatio foret peragenda. Tres autem potissimum actus complectitur hæc visitatio, videlicet materialem sacrorum liminum visitationem; exhibitionem debitæ obedientiæ ac reverentiæ summo Pontifici; & relationem Status Ecclesiæ: Horum enim trium actuum mentionem facit tum Bulla Sixtina, tum Congregatio Concilii in literis patentibus, quas dare solet Episcopis post peractam visitationem hac vel simili formula: *Nos &c. S. R. E. Presbyter Cardinalis fidem facimus, & attestamur, Reverendissimum in Christo Patrem Episcopum &c. constitutioni fel. record. Sixti V. &c. cumulate satisfecisse, nam & sacras Beatorum Petri & Pauli Basilicas humiliter & devote præsens veneratus est, & sanctissimi Domini nostri pedibus provolutus Sanctitati suæ & sacræ Congregationi &c. ore scriptoque retulit de statu Ecclesiæ suæ* (e).

Earumque tempora.

Visitatio consistit in tribus actibus.

Formula rescribendi post Visitationem.

Primus actus consistit in materiali visitatione Basilicarum.

Itaque primus actus perficitur ab Episcopis vel eorum Procuratoribus adeundo Basilicas SS. Apostolorum Petri & Pauli de urbe, ibique

(d) Vid. cit. Dissert. de jure partic. Germaniæ, loc. cit.

(e) Fagnanus loc. cit.

que devote & humiliter venerando ipsorum corpora. Quo peracto satis est, si Episcopi referant Cardinali Præfecto, vel Secretario Congregationis, se personaliter Basilicas visitasse, quin id vel per testes vel per juramentum probare teneantur: est enim fortissima præsumptio, quod, qui e sua Diœcesi ad visitanda limina Romam venit, Basilicas præsens veneratus sit. Quod si tamen hæc visitatio fiat per Procuratorem, hic pro priori per mandatum authenticum speciale se legitimare debet, quod ad visitationem liminum ablegatus fuerit. *Quomodo sit probanda?*

Alter actus consistit in debita exhibitione obedientiæ & reverentiæ summo Pontifici, tanquam supremo orbis christiani capiti & Pastori, dum Episcopus vel Procurator ad audientiam & osculum pedis admissus summo Pontifici de statu Ecclesiæ refert, & vicissim mandata apostolica humiliter recipit. *Secundus in debita exhibitione reverentiæ.*

Tertius actus perficitur, quando Episcopi scripto de universo statu Ecclesiæ tam *materiali*, quam *formali* ad S. Congregationem referunt. *Status materialis* dicitur, qui versatur circa loca urbana, suburbana, circa ecclesias qualescunque & oratoria, circa Monasteria tam Virorum quam Monialium, Hospitalia, montes pietatis, collegia, confraternitates, ecclesiarum fabricam, ornatum, bona, reditus, supellectilem, numerum ministrorum, ac subditorum. Quoad hunc statum, teste Fagnano, praxis est, ut Episcopus in prima sua relatione plenam exhibeat relationem; in sequentibus autem visitationibus simpliciter se referat ad relationem primam, nisi quædam fuerint immutata, diminuta, addita. *Status formalis* versatur circa pastorale officium in tota sua latitudine acceptum, & complectitur ea omnia, quæ ecclesiarum regimen, & animarum salutem spectant: atque de hoc accuratius referendum. Præcipua, eaque quamplurima, super quibus fieri deberet relatio, refert Fagnanus (f), ex quibus non nisi pauca afferre liceat: e. g. referendum, an Episcopi in sua Diœcesi erexerint Seminarium Clericorum, instituerint Præbendam Theologalem, vel Pœnitentiarii, visitaverint Diœcesin, interfuerint Synodo Provinciali, fides orthodoxa servetur illibata, nulla grassetur hæresis. Non nulli Episcopi consueverunt suæ relationi apponere dubia, si quæ habeant in regimine suarum ecclesiarum, & desuper consilium vel sententiam sibi expetere. Sic quidam Episcopi in Belgio, ubi hinc inde Catholici vivunt *Tertius in relatione de statu Ecclesiæ tam materiali quam formali. Status materialis quomodo referendus? Quomodo formalis? Solent aliquoties apponi dubia & peti resolutio.*

(f) Loc. cit. sed merito dubitamus, an Episcopi relationes adeo accuratas facere soleant.

vivunt permixti Protestanticis, haud raro consuluerunt, quid sentiendum de Matrimoniis Catholicorum & Acatholicorum, quæ sine solemnitatibus a Concilio Tridentino requisitis contrahuntur (g). Consuevit enim hæc Congregatio occasione visitationis liminum respondere etiam ad dubia, quæ ad interpretationem Concilii Tridentini non pertinent juxta facultatem sibi a Sixto V. in prima erectione concessam (h). Hæc dein Relatio legitur in plena Congregatione, quæ postea singulis capitibus perpensis desuper in terminis decentissimis rescribit, pastoralem solicitudinem pro suis meritis dilaudat, & saluberrimis adhortationibus excitat, stimulatque, nec non in omnibus providet, prout in Domino salubriter judicat expedire, ac tandem cum literis testimonialibus peractæ visitationis admonitos, instructos & roboratos ad suas ecclesias remittit.

Jus respondendi pertinet ad Congregationem.

Quomodo facta relatione rescribatur?

Hactenus dicta sunt conformia Constitutioni Sixti V. & stylo Curiæ, prout describitur a Fagnano. An hæc hodiedum observentur, vel observari debeant, haud immerito dubitamus. Inprimis enim cautum est in Bulla Sixtina, ne aliunde existentes in curia agant vices Procuratoris, & nomine procuratorio, etiamsi mandato speciali sint instructi, visitent limina, exceptis Episcopis residentibus in partibus infidelium, & Congregationi de propaganda fide subordinatis, qui de hoc speciale habent privilegium ab Urbano VIII. 1626. sibi concessum: & tamen contrarium Romæ aliquoties vel omnino communi usu practicari audivimus. Dein ex sententia S. Congregationis ad hanc visitationem tenentur etiam Episcopi Titulares seu in partibus: siquidem hi quoad nullum ex tribus supra recensitis actibus sunt impediti: quid enim impedit, quo minus limina Apostolorum venerari, seque Pontifici præsentare possint? Esto autem careant plebe Christiana & Clero, pastorale illorum officium exigit, ut in statum suarum ecclesiarum pro viribus inquirant, & super gregem suum, quantum eis datur, invigilent, ac desuper Pontifici, & Congregationi referant, atque suggerant, si quid illarum animarum saluti prodesse judicaverint, & super hoc Sanctitatis suæ opem & auxilium implorare non graventur. An hæc Congregationis Declaratio in praxi vigeat, dubitamus, vel potius nos ignorare libere profitemur. Sed neque modus referendi ad Congregationem

Utrum hæc omnia observentur?

Episcopi Titulares ad hanc Visitationem obligantur.

(g) Hujusmodi Relationes plures referuntur in opusculo quodam Coloniæ anno 1746. edito sub titulo: *S. D. N. Benedicti XIV. Declaratio super Matrimoniis inter Protestantes & Catholicos &c.*

(h) Ita refert Fagnanus loc. cit. N. 80.

nem ſuper ſtatu tam materiali quam formali eccleſiarum, nobis eſt perſpectus: atque id præcipue ignoramus, an Epiſcopi ſuper omnibus punctis, ſuper quibus Fagnanus eſſe referendum aſſerit, referant.

An Bulla Sixtina ſit recepta in Germania, & contra eam valeat conſuetudo.

Alius nobis incidit ſcrupulus & quæſtio, an hæc Bulla Sixtina ſit recepta; & an Epiſcopus, in cujus Diœceſi a tempore immemoriali fortaſſis nunquam fuit obſervata, ſeſe medio præſcriptionis vel contrariæ conſuetudinis tueri poſſit? Quoad primam quæſtionem refert Spondanus Apamienſis Epiſcopus & annalium Baronii continuator ad annum 1685. id juramentum ab omnibus exprimi, a paucis tamen obſervari (i). In Germania a pleriſque Epiſcopis & Archiepiſcopis illud obſervari res eſt prorſus notiſſima: In una tantum aut fortaſſis altera Eccleſia Germanica has viſitationes & relationes non vigere ſcimus. Cœterum neutiquam dubitamus, quod tales Eccleſiæ ſeſe jure conſuetudinis defendere valeant, eo quod plures Bullæ & Conſtitutiones Pontificiæ in Germania vel non ſint receptæ, vel contraria conſuetudine abrogatæ. Hæc de Viſitationibus liminum Apoſtolicorum.

Peregrinationes ad Eccleſias Cathedrales laicorum, & Epiſcoporum ad Metropoliticas olim uſitatæ.

Ut dictis major lux affundatur, juvat agere de aliis Viſitationibus & peregrinationibus olim uſitatis. Moris quondam fuerat, ut & Epiſcopi ſingulis annis ad Eccleſiam Metropoliticam, & Diœceſani ad Eccleſiam Cathedralem peregrinarentur. Gemina Epiſcopis fuit ratio adeundæ Metropolitanæ Eccleſiæ: tum ut unitatis & dignitatis ſuæ vertici aſſurgerent: tum ut cum ſuo Metropolita de negotiis & cauſis gravioribus vel in Synodo, vel privatim conſulerent. Eadem fuit ratio fidelibus inviſendi Eccleſiam Cathedralem, nempe conteſtandi Eccleſiæ Matrici ſuam reverentiam & obedientiam, &, ſicut loquitur Thomaſſinus (k), ut ſe ſuo recolligarent, & conglutinarent Epiſcopo tanquam vertici unitatis ſacræ, & fonti cœleſtium benedictionum.

Viſitationes Metropoliticarum Eccleſiarum ab Epiſcopis factæ probantur.

De Epiſcopis Eccleſiam Metropoliticam inviſentibus extant veſtigia apud Innocentium III. (l), qui Epiſcopo Pictavienſi crimini vertit, quod per plures annos non viſitaverit Metropolitanam Eccleſiam Burdigalenſem: quamquam a Metropolitano in vim juramenti ſibi præſtiti invitatus fuiſſet ſæpius: *Nunquam Metropolitanam Eccleſiam viſitavit, licet pluries vocatus ad eandem in virtute obedientiæ ac ſub debito juramenti, quo Eccleſiæ Burdigalenſi tenetur.* Narrat Rogerius, graviter conqueſtum fuiſſe anno 1191. Goffridum Archiepiſcopum Eboracenſem de Epiſcopo Dunelmenſi, quod Eccleſiam Eboracenſem a biennio integro tum viſi-

(i) Vid. Thomaſ. loc. cit. cap. 43. N. 15.
(k) Loc. cit. pag. 42. N. 3. (l) Regeſt. 13. Epiſt. 92.

tationibus, tum aliis officiis debitis spoliaverit: *Jam per biennium Ecclesiam nostram Eboracensem debitis ei Processionibus ab antiquo, & oblationibus in diebus Pentecostes contra juris ordinem spoliare præsumpsisti.* In Concilio quodam Ravennatensi de anno 1317. expressa fit mentio de frequentioribus visitationibus, quibus Episcopi suffraganei Ecclesiam Metropolitanam venerari jubebantur: *Cum sæpe contingat, Dominos Suffraganeos Ecclesiæ Ravennatis debere Ecclesiam Ravennatem visitare pro festivitatibus Sanctorum Apollinaris, Vitalis, vel aliis ex causis in provincia emergentibus a nobis evocati* (m). Hæc clariora fient ex mox dicendis de abrogatione harum visitationum in Concilio Tridentino facta.

Item Visitationes Ecclesiarum Cathedralium a Diœcesanis fieri solitæ.

De Peregrinationibus Diœcesanorum ad Ecclesias Cathedrales, quibus Ecclesiæ Matrici suam reverentiam exhibere, seque cum suo capite & vertice conjungere volebant, testantur diversæ Synodi, *Parisiensis* de anno 1080., in cujus cap. 51. legitur: *Moneant Presbyteri Parochianos suos in confessionibus & prædicationibus suis, ut saltem semel in anno peregrinando visitent Ecclesiam Parisiensem.* Item *Juliobonensis* anno 1080., in qua jubentur Parochi quot annis processiones ad Cathedralem Ecclesiam deducere: *Presbyteri semel in anno circa Pentecosten cum processionibus suis ad Matrem Ecclesiam veniant.* Has processiones fuisse & antiquissimas, & frequentissimas colligimus ex Concilio Coloniensi de anno 1536., in quo propter varios abusus, qui irrepserant, fuerunt abrogatæ: *Processiones*, ait Synodus, *Ecclesiarum Collegiatarum ad summum templum, quæ in diebus maxime celebrioribus ac festis fiunt, procul dubio institutæ sunt causa veniendi illuc ad missas episcopales, desiderioque recipiendi communionem vel benedictionem episcopalem. Jam cum isti conventus speciem antiquitatis, & nihil præterea repræsentent, imo perniciosæ evagationis materiam præstent &c.* Aliter tamen visum fuerat Patribus Concilii Rotomagensis anno 1581., qui ad excitandam rursus, quæ exoleverat, fidelium pietatem innovarunt indulgentias, quæ quondam devote peregrinantibus concessæ fuerant: *Præcipimus*, inquiunt, *illarum indulgentiarum confirmationem a Sede Apostolica peti. Sunt enim necessariæ ad veterem morem Christianorum conservandum & instaurandum visitandi Cathedralem & Matricem Ecclesiam in Paschate & Pentecoste, & tum confluendi ad suscipiendam benedictionem episcopalem.* In non nullis Diœcesibus adhuc viget mos, vi cujus plerique Parochi etiam non nihil longius distantes quot annis solent processiones instituere solennes ad Matricem Ecclesiam. Ad hanc veterem disciplinam respexisse videntur

Adhuc vigent.

(m) Can. 11.

tur quidam Episcopi, qui in nupero admodum Jubilaeo a Benedicto XIV. concesso voluere, ut singuli Parochi per universam dioecesin diffusi cum suis parochianis visitarent Ecclesiam Cathedralem.

Visitationes Ecclesiarum Metropolitiarum ad instantiam Episcoporum in Concil. Trident. abrogatae.

Mos anterior visitandi Metropolitanum, qui non nullis in provinciis adhuc superstes erat, in Synodo Tridentina fuit abrogatus, aut saltem obligatio visitandi remissa (n). Narrat enim Pallavicinus in sua Historia Concilii Tridentini (o), Episcopos quadraginta graviter conquestos esse de hac necessitate, quam sibi imponerent Metropolitani, exhibendae Visitationis vel per se, vel per procuratores altero Paschae festo die; utque eo se vinculo solvi facilius impetrarent, ultro spopondisse, facile se quoque assensuros, ut illa tolleretur consuetudo, qua Archipresbyteri & Parochi semel Episcopum anno quolibet invisere tenebantur: etenim has consuetudines non invectas, nisi ex conciliis, quae apud Metropolitanum quot annis, & ex Synodis, quae apud Episcopum annuatim quoque habebantur; ac proinde consultissimum esse, ut non aliae visitationes exigerentur, quam quae cum ipsismet Conciliis & Synodis erant conjunctae. Id effecerunt hae querelae, ut primitus Episcopi eatenus fuerint dispensati, quatenus ipsi per se ipsos non amplius, bene vero per Vicarios tenerentur has visitationes obire. Decretum Concilii sic habet: *Nec Episcopi comprovinciales praetextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam accedere inviti compellantur* (p). Sed ab hac etiam sententia teste Fagnano (q) recessum est, & consulto ipso Pontifice utroque visitandi genere Episcopi fuerunt absoluti.

Pontifices juste exigunt ab Episcopis visitationes liminum.

Revertamur non nihil ad visitationes liminum Apostolicorum. Quod si ergo Episcopi suos Clericos & populum Christianum, Metropolitae suos Episcopos suffraganeos ad suas invitarunt ecclesias, & hi vel sua sponte in contestationem suae reverentiae Matrices Ecclesias, earumque Praesules visitarunt, vel ab his eo obligati sunt, quid mirum, si parem reverentiam Matri omnium Ecclesiarum, Pastori Pastorum, Capiti orbis Christiani, Episcopo Episcoporum, centro unitatis exhibuerunt, vel exhibere debuerunt? Reliquiae hae sunt sanctioris disciplinae veteris Ecclesiae Catholicae, utpote quae nihil habuit antiquius, quam ut suam unitatem non in doctrina fidei & morum duntaxat, sed etiam in sua disciplina externa e. g. in Eulogiis mittendis, in dandis literis formatis,

Trahunt suam originem ex antiqua eaque sanctiori Ecclesiae disciplina.

(n) Vid. mox dicenda. (o) Lib. 23. cap. 5.

(p) Sess. 24. cap. 2.

(q) L. 3. Decret. Par. I. pag. 184., prout citatur a Thomassino loc. cit.

matis, in conventibus sacris (r) commonstraret. Profecto a suis primordiis Ecclesia Christi inter notas characteristicas veræ Ecclesiæ habuit unitatem, eaque veluti clypeo fortissimo se contra insultus hæreticorum non tantum defendit, sed etiam illorum tela in ipsos retorsit, & confregit. Intimam illam communionem, contesserationem & concentrationem inter ecclesias, inter fideles & suos Episcopos, inter hos & Metropolitas quis sufficienter enarrabit? Atque ex hac unitate, communione, & unione certo certius diffluxerunt illæ visitationes, peregrinationes, & itinera, de quibus hactenus diximus, & quæ ab initio fortassis fuere arbitrariæ; postea vero in consuetudinem, & necessitatem desierunt. Hæc occasione Congregationis S. Concilii Tridentini Interpretum, ad quam causæ Visitationis liminum pertinent, scribenda duximus.

§. VI.

De Authoritate declarationum.

Duplicis generis declarationes sunt.

Jam ad id devolvitur cardo difficultatis, quam authoritatem habeant declarationes Cardinalium. Communius Interpretes SS. canonum distinquunt inter Declarationes, quæ emanant vel ad casus particulares, vel in abstracto quasi per viam oraculi: priores non esse legales inde apertissime colligitur, quia hoc ipso, quod ad casus particulares emanaverint, vim legis universalis habere nequeunt: cum utique circumstantiæ non in omni casu sint eædem, quibus mutatis jam decisio hujus casus non potest facere regulam pro decidendo simili casu, sed tamen propter circumstantias diverso. Quot non emanarunt Declarationes Cardinalium maxime pro Belgio quoad matrimonium, quod Acatholici contrahunt sine præsentia Parochi in locis, in quibus Concilium Tridentinum olim fuit promulgatum, an valeat? Aliquoties pro valore; aliquoties pro nullitate fuit decisum (s). Posteriores autem in vim legis assumere volunt: cum enim Cardinales plenissimam interpretandi potestatem & quidem nomine Pontificis exercendam acceperint, illorum authoritati haud secus erit assurgendum, quam ipsi interpretationi Pontificiæ: maxime si tales interpretationes a Pontifice fuerint approbatæ, prout fieri debet vigore clausulæ a Sixto V. appositæ: *Nobis tamen consultis*: id quod de approbatione erit intelligendum, quia Principes non pro consilio, sed pro declaratione authentica accedere solemus. Verum, ne huic opinioni accedamus, in causa est, quod non tantum

Cardinales aliquoties a

(r) Vid. dicta Quæst. Præced. cap. 1. §. 3.

(s) Vid. Declaratio Bened. XIV. super Matrim. Colon. 1746. edita.

tum tales Declarationes rarissime promulgentur, sed etiam Cardinales ipsi non nunquam a suis anterioribus declarationibus recesserint, & sic eisdem tuto fidere non possimus: cujus exemplum refert Fagnanus circa intellectum Cap. 2. Sess. 24. de Reform. citatus a Van-Espen (t). *suis declarationibus recedunt.*

Ajunt quidem, ad legum interpretationes non requiri promulgationem, sicut ad ipsas leges: quia declaratio legis non facit novum jus, sed jus antea latum solummodo declarat. Sed quis non videat, hanc rationem disparem inter legem, & legis interpretationem esse prorsus inanem & ridiculam? cum utique idem sit in Jure *non esse*, & *non apparere*. Aut quomodo me obligare potest lex, si illius sensum non intelligam? verum est, latet in verbis sensus a Legislatore intentus, sed utique mihi non est cognitus. Perinde esse videtur, utrum aliquis legem, vel sensum legis, & mentem Legislatoris ignoret. Itaque caute procedendum, quotiescunque casus emergit ex declaratione Cardinalium decidendus: præprimis inquirendum, an non ad casum particularem: aut, licet in abstracto emanaverit, ulterius indagandum, an non circumstantiæ particulares hanc ipsam declarationem in abstracto factam extorserint; an sit promulgata, usu & consuetudine recepta, aut recipienda videatur. *An requirant promulgationem.* *Usus earum in decidendis causis sit cautus.*

CAPUT VIII.

De Rota Romana.

§. I. *Quid sit Rota Romana, undenam dicatur* Rota, *& suam habeat originem?* II. *De auditoribus Rotæ, eorum numero, assumptione & introductione.* III. *Quando & quoties Rota celebretur.* IV. *Auditores in tres dividuntur classes, & quomodo in decisione causarum procedere soleant; & ab iis appellari possit?* V. *De regulis Cancellariæ hujus tribunalis, & decisionibus Rotæ, illarumque authoritate.*

§. I.

Ad supremum Curiæ Romanæ tribunal, quod *Rotam Romanam* vocare solemus, venimus. Tribunal istud accommode describitur, quod sit supremum Pontificis tribunal ad cognoscendas & decidendas in forma judiciali causas contentiosas institutum. Ipsa *Rotæ* appellatio, sicut etiam origo hujus tribunalis anceps, & multis involuta scopulis est. *De Rota Romana.* *Unde dicatur Rota?*

A

(t) Part. I. Tit. 22. cap. 5.

Variæ opiniones. A *loco* eam derivandam esse credit Fresnerus (u) hoc est a Camera *Rotæ* exstructa, cujus pavimentum ex marmore porphyretico Rotæ figuram efformabat, atque Cameram inde nude Rotam fuisse dictam ex testimonio Petri Diaconi probat: forsan eodem modo, quo olim in Monasteriis conclave, in quo horis matutinis conveniebant Monachi, quibus *Capitulum ex Regula* prælegebatur, *Capituli* appellationem accepit (x). Aliam vocis hujus rationem suppeditat Card. de Luca (y) ex eo, quod Auditores in eadem circulari mensa accumbant. Nova derivatio placuit Auctori Gallo (z) opinanti, tribunal hoc nomen inde accepisse, quod in locum antiquarum porticuum publicis ædibus affixarum, quarum forma *rotunda* erat in modum *Circi*, introductum fuerit: præsertim quod in illis res feriæ actæ, senatus habiti, jus dictum, & publica acta fuerint annotata. Aliam rationem affert Pertschius (a) asseritque nomen *Rotæ* inde derivandum, quod Auditores *Rotæ* ad tribunal sedentes partes litigantes audiverint ipsi, eorum dicta in scripturam redegerint, ipsam scripturam in Rotulam compilaverint, & talem scripturam communi & tunc temporis usitato nomine Rotulam; ipsum vero tribunal exinde *Rotam* appellaverint. Sane hujuscemodi Rotulas in usu fuisse inde evidenter ostenditur, quod in hodiernam usque diem monasteria invicem confœderata literas illas mortuales, quibus obitum Religiosorum invicem significare, & pro debitis ex fœdere piis suffragiis supplicare consueverunt, *Rotulas* appellent, quales nos ipsi in quodam antiquario multis abhinc annis vidisse recordamur. Addit cit. Author, *Rotam* hanc vocari *sacram*, & *Romanam*: *Sacra* vocatur, quia est tribunal Pontificis; *Romana*, ut distinquatur ab aliis Tribunalibus, quæ hoc nomine appellantur, qualia sunt Bononiæ, Genuæ, Ferraræ &c. Atque ex hoc ipso capite, quod alibi etiam tribunalia nomine *Rotæ* insigniantur, existimat celeberrimus Boehmerus, hujus nomenclaturæ rationem non particularem ex particularibus circumstantiis

(u) In Glossario voce: Rota Porphirica.

(x) Istud vi Regulæ Benedictinæ primitus apud Benedictinos obtinuit, & postea ad Canonicos Crodogangi fuit translatum, utpote qui multa ex hac Regula deprompsit, suoque Instituto accommodavit: unde in hodiernum usque diem Canonici vocantur Capitulares; & non tantum ipsum conclave in quo conveniunt, sed etiam ipsum corpus Canonicorum nominatur *Capitulum.*

(y) In Theat. Verit. & Just. Tom. 7. in Relat. Curiæ Rom. Discurs. 32.

(z) Pertschius Fünfte Abtheilung von dem neueren Canonischen Recht pag. 333.

(a) Loc. cit. pag. 334.

tiis desumptam, sed generalem esse asserendam, quæ huic designationi causam dedit. Existimat igitur cum Fresnero, & Goldasto, appellationem hanc Germanis deberi, eamque a Longobardis, & Francis Italiæ illatam, & ab Italis fuisse admissam haud secus, quam alia Germanorum vocabula, quibus hi in rebus feudalibus utebantur. Itaque ex mente citati Boehmeri appellatione *Rath* designantur Curiæ Justitiæ, aliaque Collegia publica, in quibus consilia agitantur: inde etiam venire existimat, quod Assessores tribunalium passim vocentur Hof-Canzley- und Regierungs-Räthe, vel in civitatum curiis Raths-Herrn: addit laudatus Boehmerus, quondam diversam hujus vocabuli fuisse dialectum, eamque nec hodie cessasse, dum adhuc nostris temporibus *Rath* in quibusdam locis enuntiatur *Roth*, & curiæ civitatensis Assessores die Roths-Herrn vocantur, ut *Roth* nihil aliud sit, quam *Curia*, *Judicium*, *Tribunal*, atque inde assumpta sit appellatio *Rotæ* (b).

De illius origine non satis constat. Sed nec de origine hujus tribunalis constat: opinantur nonnulli, illud esse coævum ipsis Pontificibus, atque Assessores illius fuisse dictos *Seniores*, postea *Consiliarios* & *Decuriones Reipublicæ*, ac iterum *Cubicularios*, posthac *Capellanos*, & demum Magistros, nunc vero vocari Auditores Rotæ (c). Existimant alii, authorem hujus Curiæ esse Joannem XXII. (d). *Est tribunal antiquissimum quoad rem, quoad formam novum.* Nobis videtur, tribunal istud esse antiquissimum quoad *rem*, cum Pontifices nunquam fuerint sine Consiliariis; quoad *nomen* vero & *formam* accidentalem esse novius: quin tamen tempus, quo nomen suum accepit, aut in hodiernam formam fuit redactum, determinari possit.

§. II.

De Auditoribus Rotæ, eorum nomine. De ipsis Auditoribus Rotæ videamus. Nomen Auditoris procul dubio inde habet suam originem, quod antiquioribus temporibus Judices hujus tribunalis meri fuerint Auditores causarum, causas solummodo audierint, ac postea suum arbitrium ad Pontificem remiserint, qui dein adhibito consilio Cardinalium eas ultimata sententia definivit. Postquam autem Pontifices & Cardinales longe gravioribus causis & negotiis fuerunt occupati, ipsa etiam causarum decisio hisce Auditoribus

(b) Exercit. 17. ad Pand. Lib. 1. Tit. 3. §. 10. & seq.
(c) Dominicus Berninus il tribunale della S. Rota Romana.
(d) Du Fresne in Gloss. V. Rota porphyretica.

Numero. bus commissa fuit. Numerus Auditorum olim erat arbitrarius, & non raro ultra viginti se extendebat, quo tempore duplex constituebant judicium, ita ut a sententia definitiva dimidiæ partis ad alteram partem Auditorum potuerit appellari, donec Sixtus IV. eorum numerum ad duodecim reduxerit. Et quoniam ex omnibus nationibus & partibus orbis Christiani causæ contentiosæ ad hoc tribunal deferuntur, idem Sixtus IV. prudentissime constituit, ut Auditores ex nationibus primariis assumantur, inter quos unus est Germanus ad nominationem Imperatoris; Gallus unus ad nominationem Regis Galliarum; duo Hispani ad nominationem Regis Catholici: reliqui sunt Itali, tres Romani, unus Venetus, Bononiensis unus, Mediolanus unus, Florentinus unus, Ferrariensis unus. Veneti quatuor, Mediolanenses tres nominant Doctores Jurium, ex quibus pro suo libitu seligit Pontifex.

Assumuntur ex primariis Nationibus. Quis habeat jus eos nominandi.

Eorum qualitates, examen prævium, habitus, & introductio.

Ante tempora Sixti IV. Auditores Rotæ sine præmisso examine a Cardinale Camerlengo simpliciter cum porrectione habitus singularis Cappæ, Rocheti, & impositione Byreti fuerunt introducti. A tempore Sixti IV. speciales in ipsis requiruntur qualitates: debent enim esse Doctores Jurium, & ante suam admissionem in Cancellaria apostolica, in præsentia quorumdam Cardinalium, aliorumque Prælatorum ecclesiasticorum, ac Virorum doctorum publice disputare. Sequitur dein examen privatum, quod a Vice-Cancellario peragitur, quo exantlato Cardinalis Camerlengo jubetur a Pontifice eidem Rochetum, Cappam una cum Byreto porrigere. Postea solemniter in ipsum Conclave Rotæ introducitur, ubi Decanus eidem os claudit cum impositione silentii, illudque in proximo conventu iterum aperit his verbis: *esto Auditor.* Tandem præsentatur ipsi Pontifici, a quo apostolicam benedictionem accipit.

§. III.

Rota bis habetur in hebdomade.

Vocantur quadam Rota stabiles.

Habet Rota ferias stabiles.

Rota bis habetur in hebdomade, in *secunda, & sexta feria*, nunc in palatio Cardinalis Vice-Cancellarii, quondam in Vaticano. Habent etiam quasdam *Rotas*, ut vocant, stabiliter & *fixas*, seu Sessiones Rotales. Sessiones stabiles, fixæ, & constantes dicuntur illæ, quæ a tempore vacationum finitarum incipiunt, & durant usque ad aliud tempus vacationum. Habet autem Rota ferias etiam quasdam stabiles & constantes, nempe quatuor temporum a mense Julio usque ad Octobrem, a tempore Nativitatis Christi usque ad Epiphaniam, a tempore Carnisprivii seu Dominica quinquagesimæ usque ad diem Cinerum, a Sabbatho palmarum usque post Octavam Paschæ: unde etiam

etiam invaluit singularis stylus rescribendi, & mos loquendi, ita ut si contingat, causam aliquam ultra ferias æstivales, quæ incipiunt in Mense Julio & finiuntur in Octobri, differri, modus rescribendi sit: *ad Calendas:* si ultra festum Epiphaniæ differatur, tunc rescribitur: *ad Reges;* si ad diem usque Cinerum: *ad pisces;* si ultra octavam Paschæ: *ad agnos.* ***Stylus rescribendi, & mos loquendi singularis.***

§. IV.

Hodie Auditores Rotæ in tres classes dividuntur, & in qualibet classe sunt quatuor, ex quibus unus vocatur *Ponens*, seu *Proponens;* cæteri autem *Correspondentes.* Quotiescunque ergo causa in hoc tribunali discutienda ac decidenda venit, tunc præprimis in elaborando facto, & facti specie proponenda laborant *Procuratores Rotæ;* in ipsis causis decidendis vero Advocati, qui dein paulo ante terminum Auditores, quos ordo dandi suffragium tangit, vel scripto, vel verbotenus super facto & jure informant in ædibus privatis, quatenus se ad suffragia ferenda præparare queant. Hi vero de causa fatis informati vota sua authoritatibus, & rationibus munita domi concipiunt, & in scripturam redacta *Ponenti* tradunt, ut ex iis decisionem formare valeat. Quando ergo Auditores in suis decisionibus conveniunt, tunc *Ponens* ex votis *Correspondalium* efformatis facit sententiam, quæ præter rationes decidendi, seu motiva, quibus Rota ad decidendum inducta fuit, nihil continet: si non conveniant, tunc ait: *non liquet.* Quo casu processus de novo reassumitur, consultatur, deliberatur, & in id intenditur, ut discordantium vota concilientur. Quod si nec secunda vice habeatur unio votorum, tunc ipsi etiam *Auditori Ponenti*, quod alias non est concessum, licet dare suum votum & suffragium, ut lis eo facilius & felicius suum sortiatur exitum. Postquam ergo hic suam opinionem in scripto communicavit, concipitur sententia, & partibus litigantibus communicatur. Illud prorsus singulare est in hoc tribunali, quod partibus litigantibus, & per sententiam gravatis in eodem Judicio quasi ad eundem Judicem appellare liceat: nam dictum fuit, quod Rota Romana in tres dividatur classes, & in qualibet classe quatuor sint Auditores, ac respective Judices. Idcirco si quis litigantium a prima Auditorum classe per sententiam se gravatum esse existimet, potest ab hac ad secundam, a secunda ad tertiam appellare. ***Auditores in tres classes dividuntur. Modus discutiendi & decidendi causas. In hoc tribunali datur duplex appellatio.***

Ad hoc autem, ut aliqua causa possit in hoc tribunali tractari, debet excedere summam 500. aureorum, si sit civilis; si vero beneficialis,

Aa a 2 sum-

ſummam 24. aureorum: vel debet eſſe cauſa habens tractum, aut gravamen ſucceſſivum, uti ſi duo litigent ſuper jure præcedentiæ.

§. V.

Habet ſuas regulas Cancellariæ, a quibus non nunquam licet recedere.

Quid ſit, Rotam quandoque Rotare.

Quid ſint Deciſiones Rotæ, & quæ earum authoritas.

Faciunt ſtylum Curiæ, ſed non extra Rotam.

Caute applicandæ.

Habet tribunal iſtud ſuas regulas Cancellariæ, quemadmodum quæcunque alia Curia, a quibus tamen non nunquam recedere, & ſecundum *leges Prudentiæ*, ſicut vocant, decidere licet. Aliquoties etiam ab opinionibus antea receptis, & ferme ſtylum Curiæ facientibus diſcedunt, id quod Juriſconſulti Romani exprimunt his verbis: *Rotam quandoque Rotare.* Supereſt, ut de ipſis Rotæ deciſionibus agamus, quæ nihil ſunt aliud, quam ſententiæ in hoc ſupremo tribunali in cauſis controverſis latæ, & ſecundum ſtylum Curiæ una cum rationibus decidendi conceptæ. Vim legalem & authoritatem non habent: quia Rota novum jus non conſtituit, neque jus conſtitutum authentice declarat, aut interpretatur, ſed jus jamjam conſtitutum doctrinaliter & judicialiter applicat ad cauſas aliorum tribunalium. Plures hujusmodi ſententiæ conformiter latæ faciunt *ſtylum Curiæ*, uti vocamus (e), ita ut poſthac in tribunalibus ſubordinatis ſecundum hunc ſtylum ſit procedendum. Extra Rotam in aliis tribunalibus non habent majorem authoritatem, quam habent aliorum tribunalium judicata. Imo ſalubriter monent Authores quidam, ut non facile ſequamur ſtylum Curiæ vel Rotæ Romanæ, tunc præcipue, quando res nobis eſt cum Pontifice: quia Romæ communiter fertur ſententia in favorem Pontificis & jurium Pontificiorum. Accedit, quod per receptionem hujusmodi deciſionum, ac ſententiarum plurimum præjudicii allatum fuerit Juribus noſtris patriis, prout haud difficulter oſtendi poſſet.

CAPUT IX.

De libris & collectionibus Juris Eccleſiaſtico-Ritualis.

§. I. *Etiam in Eccleſia datur jus cæremoniale, & quodnam illud ſit?* II. *Eſt ampliſſimum.* III. *De libro Rituali, qui inſcribitur* Ordo Romanus. IV. *De Pontificali Romano.* V. *De Cæremoniali Epiſcoporum.*

(e) Stylus Curiæ eſt modus conformiter agendi in judicio: ſic ſi ſæpius æqualiter in eadem cauſa fuerit pronuntiatum, dicitur eſſe ſtylus Curiæ.

rum. VI. *De Rituali Romano.* VII. *De Breviario Romano.* VIII. *De Cæremoniali Pontificio.* IX. *De aliis Ritualibus & Cæremonialibus remissive.*

§. I.

Agendum breviter de Jure Cæremoniali Pontificio, variisque libris & collectionibus ad illud illustrandum pertinentibus. Jus cæremoniale haud secus, quam Jus quodcunque aliud hodie ingenti studio excolitur, & in Jure publico haud modicam absorbet partem. Et quid mirum? quis enim nescit, quod controversiæ ac lites quotidie ferme oriantur inter Principes, Legatos, Magnates, in comitiis publicis, conventibus privatis unice ex observantia rituum ac ceremoniarum e.g. ratione præcedentiæ, sessionis, tituli? quem latet, quod hodie apud personas principes ferme prima sit cura *Decori publici?* quoniam ergo Romanus Pontifex duplicem sustinet Personam, & quidem valde sublimem, nempe *supremi Episcopi*, & *Principis*, dubium non est, quod etiam in aula Romana Jus quoddam cæremoniale sit introductum, secundum quod Pontifici sive divina operanti, sive extra agenti honores debiti, & suæ dignitatis expressivi sunt exhibendi: Jus enim cæremoniale illud dicitur, quod concernit ritus, ceremonias, verba, actiones, ac horum omnium certam quantitatem, ad exprimendam cujusdam personæ conditionem, dignitatem, officia & functiones.

Jus cæremoniale amplissimum.

Datur jus cæremoniale Pontificium, & quid sit?

§. II.

Hujusmodi Jus ceremoniale dari in Ecclesia nostra Catholica præcipue in Ecclesia Romana valde amplum, imo adeo amplum, ut nulla detur Respublica politica, quæ tot legibus ceremonialibus regatur, ac Respublica christiana, facile perspiciet, quisquis vel obiter attenderit innumeros ritus, quibus in cultu divino, in ecclesiis, in Sacramentorum administratione, in functionibus liturgicis, in electione & coronatione Pontificis, consecratione Episcoporum, collatione Pallii, ordinatione Clericorum, in choro publico &c. utimur. Id quod demonstrant innumeræ Liturgiæ, Pontificalia, Ritualia, Sacramentaria &c. de quibus breviter agere constituimus (f). Non moramur hic Liturgias veteres Romanas tres, Leonianam, Gelasianam, & Gregorianam; Ambrosianam, seu Mediolanensem, Gallicanam, Hispanicam, Africanam, & græcas quamplurimas, de quibus videantur Scriptores, qui ex

Jus ceremoniale ecclesiasticum etiam est amplissimum.

(f) Vid. dicta quæst. præced. de liturg.

ex professo de illis scripserunt (g): unice de libris ceremonialibus quædam dicemus.

§. III.

Ordo Romanus quid sit, quid contineat?

Occurrit hic primo Ordo Romanus, cujus origo a tempore Gregorii Magni derivanda. Continet hic liber in se ceremonias & ritus, qui per integrum anni decursum adhibentur in publicis processionibus, missis, administratione Sacramentorum, pœnitentiis publicis, ordinatione Clericorum, consecratione Ecclesiarum, benedictionibus Abbatum, & Abbatissarum, coronatione Imperatorum & Regum. Præterea continentur preces & orationes ad singulos dies festivos recitandæ; item ritus illi, quos Clerici in obeundis suis muniis & functionibus observare debent &c. Ex hoc Ordine Romano multos canones suo Decreto inseruit Gratianus (h). Plures hujus libri nunc extant editiones, quarum primam adornasse creditur Georgius Cassander: secutæ sunt aliæ, inter quas eminet illa, quam procuravit Georgius Ferrarius, & Gregorio XIV. Romæ inscripsit anno 1581. Novissima editio illa est, quæ operibus Cassandri anno 1616. Lutetiæ Parisiorum editis annexa fuit.

Illius editio.

§. IV.

Pontificale Romanum quid sit?

Alius liber Ritualis est *Pontificiale Romanum*, quod complectitur ritus & ceremonias episcopales, quas Episcopi in suis functionibus episcopalibus, in administrando Sacramento Confirmationis, ordinatione Clericorum, consecratione Episcoporum, Regum & Imperatorum, benedictionibus vexillorum militarium, Cruce-Signatorum adhibere solent. Hujus libri plures prostant editiones, inter quas præcipuæ sunt illæ, quas procurarunt Pontifices Romani Innocentius VIII. Clemens VIII. Urbanus VIII.

Illius editiones.

§. V.

Cæremoniale Episcoporum quid sit?

Ab hoc *Pontificali Romano* distinquendum est *Cæremoniale Episcoporum*, in quo leguntur ea, quæ ab Episcopis aliisque Prælatis ecclesiasticis

(g) Tales sunt Leo Allatius de Lib. Ecclef. Græc. Card. Bona. Mabillonius, Edmundus Martene, Math. Pfaff. Differt. de Liturgiis, Guilielmus Cave Differt. 2. de Lib. & Offic. Ecclef. Liturgia Hispanica Romæ edita 1747. Liturgia Romana vetus Ludov. Muratorii.

(h) Vid. Can. 6. Dist. 75. addantur Correctores Romani in Annot. cap. 3. Dist. 15.

fticis in celebratione miffarum, folemnium vefperarum, aliorumque officiorum funt obfervanda. Liber hic de novo a Clemente VIII. primum anno 1500. editus, poftea anno 1650. ab Innocentio X. fuit revifus, reimpreffus, ac divulgatus.

§. VI.

Huc pertinet *Rituale Romanum*, in quo fcribuntur ritus & ceremoniæ, quas Clerici ad curam animarum deputati in adminiftratione Sacramentorum, & reliquis fuis minifteriis & functionibus obfervare tenentur. Eum in finem fine dubio Pontifex *Rituale* iftud in lucem publicam edi voluit, ut effet uniformitas rituum ac ceremoniarum in Ecclefia univerfa. Synodus Tridentina illud de novo revideri mandavit, illiusque curam commifit tribus Viris doctis Ægydio Tofcano, Leonardo Marino, & Francifco Vererio. Sub Clemente VIII. nova fuit facta illius revifio: noviffima anno 1726. Urbini in Italia prodiit.

Rituale Romanum quid & in quem finem editum?

Illius editio noviffima.

§. VII.

Ad Libros Rituales referri poteft *Breviarium Romanum*, quod in fe continet *horas*, uti vocant, *canonicas*, ad quas recitandas obligantur Clerici, de quarum origine, aliisque huc pertinentibus dicere longum nimis foret. Innumeræ proftant illius editiones. Benedictus XIII. abrogato Breviario communi Officium Gregorii VII. introducere meditabatur, fed ob vehementes contradictiones opus fuum perficere non potuit. Hoc ipfum expertus fuit Benedictus XIV. qui multum laboravit, ut novum ordinem Breviarii in ecclefiam introduceret: verum etiam huic ab opere incepto ceffandum fuit (i).

Breviarium Romanum quid?

Benedictus XIII. & XIV. novum meditabantur.

§. VIII.

Huc etiam pertinet Cæremoniale Pontificium: cum enim Pontifex repræfentet perfonam *fupremi Epifcopi*, ac *Principis Politici* pro fuo ftatu, ad inftar aliorum Principum habet *Magiftrum Ceremoniarum*, & *Ceremoniale* fibi foli proprium. Iftud juffu Innocentii VIII. Auguftinus Patritius Piccolomineus, qui ultra 20. annos munere Magiftri ceremoniarum in aula pontificia functus, & poftmodum ad dignitatem epifcopalem promotus fuerat, adjuvante Joanne Burcardo pariter

Cæremoniale Pontificium.

(i) Vid. dicta Quæft. I. Cap. II. de Liturg.

pariter ceremoniarum Magiſtro in ordinem redegit, ac poſtea præfato Pontifici obtulit. Juſſerat Pontifex, ut opus iſtud in Bibliotheca pontificia aſſervetur, nec in publicum evulgetur: quo non obſtante anno 1516. *Liber quidam Pontificio-Cæremonialis* Venetiis annuente Pontifice, & Senatu Veneto in lucem publicam prodiit, & Clementi X. inſcriptus fuit. Quales, & quantos motus hæc editio Romæ excitaverit, non attinet hic dicere.

§ IX.

Ritualia & Cæremonialia privata. Varia adhuc, & innumera Ritualia, & Cæremonialia a privatis authoribus fuerunt edita in materiis etiam ſpecialibus, e. g. de Jubilæo, de Canonizatione (k), de Electione Pontificis (l), de Conceſſione Pallii (m). De quibus dicere nimis longum foret.

CAPUT X.

De Collectionibus Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici.

§. I. *Datur Jus Eccleſiaſtico-Proteſtanticum Catholicis commune.* II. *Etiam ſolis Proteſtantibus proprium, & quidem aliud publicum ac univerſale*, III. *& aliud particulare & privatum.* IV. *De his alibi actum fuit, & poſthac agetur.*

§. I.

Duplex eſt Jus Eccleſiaſtico-Proteſtanticum. Ad Collectiones Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici dilucidandas progredimur. Etiam apud Proteſtantes Jus Eccleſiaſtico-Catholicum plurimum authoritatis habere ex dicendis Cap. ſequenti patebit. Hic unice de legibus eccleſiaſticis, & earum Collectionibus, quæ ad Jus Eccleſiaſtico-Proteſtanticum pertinent, agere conſtituimus. Habent Proteſtantes *Jus Eccleſiaſticum* nobiscum Catholicis *commune*; & aliud ſibi *proprium.* Quantum ad *Jus commune* inprimis agnoſcunt Proteſtantes ferme

Proteſtantes agnoſcunt

(k) De canonizatione opus præſtantiſſimum ſub titulo: *de Servorum DEI Beatificatione &c.* ſcripſit Cardin. Proſper Lambertinus, poſtea Pontifex ſub nomine Benedicti XIV. conſtat 4. Tomis in Folio.

(l) De hac ſcripſit Petrus Paulus Vergerius ſub titulo: *Ordo eligendi Pontificis.*

(m) Pertſchius de Orig. Pallii.

ferme eosdem *fontes* Juris Ecclesiastici *originarios*, quos reverentur Catholici, si decreta Pontificum excipiamus, nempe Scripturam, Traditiones, consuetudines & observantias ecclesiasticas, nec non canones Conciliorum Generalium saltem primorum. Reverentur non minus Collectiones canonum ferme omnes, quas hactenus recensuimus: ad eas provocant in suis Juribus defendendis, illas explicant in scholis publicis, allegant in suis Judiciis & tribunalibus, & secundum eas causas decidunt, in quantum non obstant principia Religionis, vel leges aliæ particulares. In vim etiam Juris ecclesiastici particularis Germaniæ vel maxime agnoscunt Pacem Religiosam, & Westphalicam, Capitulationes Cæsareas, ac Recessus Imperii, quæ singula nos quoque Catholici suspicimus & instar legum habemus, in quantum principiis nostræ Religionis, vel aliis legibus ecclesiasticis ac juribus nostris non repugnant, & nos ad eas observandas ex pactis & fœderibus obligamur.

fontes originarios Juris Ecclesiastico-Catholici.

Etiam Collectiones Canonum.

Item Jus Ecclef. particulare Germaniæ.

§. II.

Habent præterea Jus ecclesiasticum sibi proprium, tam publicum & universale, quam privatum & particulare: Ad publicum referunt inprimis suos libros Symbolicos, quales sunt Augustana Confessio anno 1530. oblata; Articuli Smalcaldici anno 1538. evulgati; uterque Catechismus major & minor Lutheri anno 1529. editus; formula Concordiæ anno 1578. composita, & anno 1580. impressa, non tamen ab omnibus recepta. Hæc intelligenda sunt de libris Symbolicis Protestanticorum: nam Protestantes Reformati in vim librorum Symbolicorum reverentur confessiones fidei, quæ in Synodo Dordracensi, & Catechismo Palatino continentur: Helveti autem formulam consensus amplectuntur. Deinde huc reducunt præter Pacem Religiosam, Westphalicam, & alias Ordinationes Imperii præcipue Conclusa Corporis Evangelicorum, quæ a Statuum Protestanticorum Legatis in Comitiis Imperii ordine comitiali consueto conficiuntur. Horum Conclusorum, Actorumque jam aliquot volumina in forma majori in Corpore anno 1719. collecta extant: noviora autem reperiuntur in actis publicis ab Antonio Fabro, Mosero, Kœnigio aliisque congesta.

Habent Jus Ecclef. sibi proprium universale & particulare.

Quænam ad Jus publicum & universale pertineant?

§. III.

Ad *Jus particulare Protestantium* pertinent illorum Kirchen-Agenda, & ordinationes ecclesiasticæ, quas in singulis ferme ecclesiis ex ordinatione suorum Principum habent. Præcipuas Protestantium ordina-

Quænam ad particulare.


tiones ſacras collegit Jac. Moſer. Denique ſuis legibus particularibus adnumerant *leges* illas *conventionales*, quas Principes cum Ordinibus Provincialibus faciunt; item *Reverſales*, & *Privilegia* invicem data & conceſſa, quibus exercitium Religionis potiſſimum determinatur. Quampluriмas hujusmodi ordinationes eccleſiaſticas in diverſis provinciis & eccleſiis receptas recenſet Boehmer in ſuo Jure Proteſtantico, ubi etiam fuſe jus condendi ſimiles leges vindicat non modo Principibus, ſed Nobilibus immediatis; imo etiam Civitatibus mediatis, quatenus hæ Civitates ſaltem ex præſcriptione immemorabili illud obtinere poſſunt.

§. IV.

Quoniam vero de his egimus Tom. I. Q. I. Cap. VII. §. V. & infra agemus Q. IV. Cap. VII. ſpecialiter Tom. III. Q. II. eo lectorem remittimus id unicum votis ardentiſſimis optantes, ut labores noſtri cedant in bonum Eccleſiæ, ſalutem animarum, & utilitatem diſcipulorum, ante omnia autem,

ut

In omnibus glorificetur DEUS.



QUÆSTIO

QUÆSTIO IV.

DE AUTHORITATE, USU, ET STUDIO JURIS ECCLESIASTICI.

Reliquum eſt, ut de Authoritate, uſu & ſtudio Juris Eccleſiaſtici agamus. Quoad authoritatem & uſum illius difficillime aliquid ſtatuitur: cum jura particularia, privilegia, conſuetudines & mores pro diverſitate regnorum, Provinciarum & locorum varient. Quid de jure ſit dicendum, & dici poſſit, dicemus; non quid actu fiat. De ſtudio acturi, illud monemus, ne quis exiſtimet, quod a Candidatis Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ nimium exigamus. Petimus nempe, ſi ita dicere fas eſt, iniquum, ut obtineamus juſtum. Ideo hæc ſcribimus, ut ex his diſcant Jurisprudentiæ Cultores æſtimare illius præſtantiam, dimetiri amplitudinem; & quanta animi contentione, applicatione virium ingenii, labore & induſtria huic ſtudio incumbendum, agnoſcant. Sunt enimvero, qui ne quidem ſciunt, quæ ſit vera ac genuina Jurisprudentia, multo minus, qua arte, ratione & methodo eidem ſit inſudandum, eo grandiores ſibi viſi, quo plures ſciunt citare canones & capitula & ſuper his ſubtilius diſputare. Hæc per decurſum hujus Quæſtionis fient clariora. Lectorem valere jubemus, nobis vero faventem optamus.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De Authoritate & uſu Juris Eccleſiaſtici.

§. I. *De authoritate Juris Eccleſiaſtici & Collectionum in genere.* II. *Qualis fuerit, & ſit illius authoritas in Germania tam quoad Decretum Gratiani, quam Decretalium Gregorii IX.?* III. *Specialiter an ſit Jus mere ſubſidiarium.* IV. *An, & qualem habeat authoritatem apud Proteſtantes?* V. *Qualem comparative ad Jus civile?* VI. *De illius uſu.*

§. I.

Dum de authoritate Juris eccleſiaſtici agere conſtituimus, ſermo nobis unice erit de Collectionibus in Corpore Juris contentis. Præprimis in memoriam ſunt revocanda quæ in Quæſt. 2. de authoritate ſingularum Collectionum diximus. Ordiamur a Decreto Gratiani, quod ſucceſſive ad ſummam authoritatem aſcendiſſe ſupra diximus. Quidquid tamen habuit, ac in hodiernam usque diem habet authoritatis, id omne ex uſu, praxi, & receptione obtinuit: hactenus enim Decretum Pontificium confirmatorium afferri non potuit. Approbavit illud Eugenius III. ſed non niſi ad *uſum ſcholaſticum:* approbavit illius editionem noviorem poſt correctionem Romanam Gregorius XIII. Eidem præfixit Bullam confirmatoriam verbis graviſſimis conceptam, ſed nec verbulo ad authoritatem legalem illam elevavit, quidquid in cauſa fuerit, cur expreſſam approbationem ei denegaverint Pontifices, licet cœteroquin illius uſum, & receptionem in ſcholis, & judiciis miris modis promoverint (a). Accidit ergo huic Decreto, quod libris Feudalibus Longobardicis, quibus ſola obſervantia & uſus autho-

Decretum Gratiani habet ſuam authoritatem non ab Eugenio III, neque a Gregorio XIII., ſed ex uſu & praxi.

Ad inſtar librorum feudalium.

(a) Vid. Boehmer ad Tit. de Conſtit. §. 18. ubi clandeſtinis artibus Pontificum pro notiſſimo ſuo in Pontifices odio adſcribit, quod Decretum iſtud ad tantam authoritatem aſcenderit, nec tamen approbationem publicam ab illis tulerit. Longe alia & ſanior hujus rei ratio dari poteſt. hæc nempe: quod Pontifices optime perſpexerint, huic Collectioni Gratiani primas deberi præ aliis, illiusque uſum ſummopere Eccleſiæ profuturum; a publica tamen approbatione abſtinere voluerint, quod illius etiam defectus bene perſpectos habuerint.

authoritatem authenticam conciliavit. Sane ipse Van-Espen, qui huic Decreto omnem vim legalem adimit, mitius non nihil scribit, & aliquid saltem authoritatis ex usu & receptione advenientis tribuit, dum scribit: *Tametsi communi tam Theologorum, quam Canonistarum consensu Decreto Gratiani etiam post emendationem Romanam authoritas negetur, quia tamen a pluribus jam sæculis publice tanquam pars Corporis canonici in scholis prælegitur, commentariis illustratur, atque ad controversiarum decisionem ex illo tanquam canonum Codice canones allegari, & citari a Canonistis consueverunt, non dubium, quin vel ex illa receptione aliquid saltem authoritatis canonibus illis, sive fragmentis a Gratiano relatis accedat, præsertim cum per quatuor ferme sæcula Theologi atque Canonistæ ad hoc Decretum tanquam canonum ecclesiasticorum codicem communiter recurrerint* (b). Itaque existimat Van-Espen, aliquid authoritatis illi ex receptione tributum esse: quod eo sensu accipiendum est, ut vim decisivam habeat, quatenus noviori jure & praxi Ecclesiæ haud ei est derogatum. Manet ergo, quod supra demonstravimus, Decretum adhuc habere authoritatem legalem, in quantum illud esse receptum, & per contrariam praxin vel legem non esse abrogatum ostendi potest.

Collectiones Greg. IX., Bonif. VIII. & Clementinæ eam habent a Pontificum approbatione. Num sola hæc approbatio potuerit dare vim legalem?

Paulo aliter discurrendum de Decretalibus Gregorii IX., Bonifacii VIII., Clementinis Clementis V.: hæc enim suam habent authoritatem ex ipsa sua collectione, publicatione, & approbatione, id quod Bullæ & respective epistolæ Pontificum hisce Collectionibus præfixæ faciunt manifestum. Porro aliud hic nobis occurrit dubium, an sola approbatio, & promulgatio per Pontifices facta hisce Collectionibus vim legalem universalem pro omnibus regnis, provinciis, & ecclesiis dare potuerit, vel illam primum ex receptione, usu & praxi obtinuerint, haud secus, quam leges pontificiæ ex sententia sat probabili omnem vim obligandi ex acceptatione accipiunt. Nobis par videtur ratio & legum, & Collectionum: interim hæc acceptatio non influit spiritum legalem in canones, eorumque collectiones; sed unice facit, ut spiritus ille suos effectus in publicum producat, & omnis obligatio principaliter in Pontifices refundenda sit.

Extravagantes acceperunt ab usu.

Iterum aliter dicendum de Extravagantibus Joannis XXII., & communibus: cum enim compertum non habeatur, quod authoritate publica promulgatæ, Juris ecclesiastici partibus adjectæ, & in Corpus Juris relatæ sint, potius dicendum videtur, quod suam vim legalem

(b) In Tract. Hist. Canon. part. 6. cap. 3. §. 5.

legalem magis ex usu & receptione, quam authoritate Pontificis mutuaverint.

Hanc Juris ecclesiastici authoritatem quondam fuisse summam dubitari nequit, quod §. seq. pluribus monstrabimus, donec successive occasione variorum dissidiorum, litium, & controversiarum inter Pontifices, Imperatores, Episcopos & Principes, quorsum pertinent dissidia inter Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum schismata, illud magnum præcipue, de quo in Concilio Pisano & Constantiensi fuerat actum; nec non secta Protestantium & Reformatorum, plurimum authoritatis perdiderit. Quare paucis dicendum, quod Jus Canonicum summam in terris catholicorum habuerit, & etiamnum habeat authoritatem, in quantum eidem non fuit derogatum per jura specialia, pacta, fœdera, concordata, consuetudines & privilegia, atque adeo suam restrictionem & interpretationem recipiat ex juribus particularibus & consuetudinibus, quas probare oportet. *Authoritas olim fuit summa, sed variis modis diminuta.*

§. II.

Verum alius nobis hic obmovetur scrupulus, utrum Jus Canonicum in Germania habuerit vim Juris principalis, vel non nisi *subsidiarii*, adeoque tunc tantum valuerit, quando aliud jus non extitit. Summam profecto authoritatem legibus etiam Imperii publicis corroboratam tam Decretum Gratiani, quam Decretales Gregorii IX. habuisse in Germania evidentibus argumentis alibi commonstravimus (c), ubi insimul quæstionem propositam simpliciter retulimus, non tamen opinionem nostram desuper explicavimus. Pro faciliori dicendorum intelligentia juvat allata argumenta repetere, & quibusdam novis communire. *Summa authoritas Decreti & Decretalium in Germania.* Et quidem de Decreto Gratiani si loquamur, habuit decretum in nostra Germania ea fata, quæ juri Romano obtigerunt: Hoc nulla publica lege primitus receptum aut approbatum, respectu Germaniæ jus plane extraneum (quid enim Germanis cum legibus Romanis, aut quæ subjectio Germanorum tunc erat ad Imperatores Romanos); imo ita comparatum est, ut in plurimis a moribus Germaniæ abhorreat, & institutis Germanorum antiquis e diametro adversetur: & tamen legistarum usu, applicatione, doctrina, & commendatione adeo receptum est, ut de authentia illius, authoritate, & vi decisiva nemo amplius dubitet. Non ergo mirandum, quod Decretum Gratiani eadem facilitate ipso usu, & praxi per Decretistarum artes, laborem & studia tandem *Decretum ferme ea ratione authoritatem obtinuit, qua Jus Romanum in Germania.*

(c) Vid. Differt. de Jure Part. Germ. cap. 5. §. 2.

tandem authoritatem legalem obtinuerit. Qui authoritatem illius in dubium vocant, unice in eo se fundant, quod privato ausu collectum, & nunquam expresse approbatum sit. Sed an non id ipsum Juris Romani authoritati objici posset? esto enim publica Justiniani authoritate collectum fuerit, quoad fora tamen Germaniæ authoritatem habuit nullam; sed hanc demum solo usu, observantia, & receptione accepit: Quis enim nescit, quod Germani tunc temporis magno in numero ad celeberrimas Academias Bononiensem & Parisiensem confugerint, ibique Juri utrique sedulam operam navaverint? qui e scholis publicis reversi, ad varia munia & officia promoti, & suam Jurisprudentiam in praxin redigere volentes Decretum Gratiani, & illius usum in fora introduxerunt: an nescimus, quod Imperatores Germaniæ jam in Sæc. XII. Decretistas in suo comitatu & aula habuerint, eorumque consilio in decidendis causis usi fuerint? An nescimus, quod etiam Archiepiscopi & Episcopi per Germaniam similes *Decretistas* potius, quam *Legistas* (d) ad decidendas causas in sua episcopali audientia assumpserint? Et quis demum nescit, quod Gratianus suum Decretum potissimum ex Collectione Ivonis Carnotensis, & Burchardi Wormatiensis collegerit; Burchardus vero suam Collectionem præcipue in usus ecclesiarum Germanicarum adornaverit? Cum itaque Decretum Gratiani cum horum Collectionibus omnino conspiraret, quis dubitet, quod Germani illud summo in pretio habuerint, & in suos usus converterint? Praxin hujus Decreti confirmarunt Imperatorum constitutiones consensu Ordinum Imperii latæ, quarum unam sub Friderico II. anno 1236. emanatam exhibet Goldastus (e). Alteram prioris confirmatoriam de anno 1281. sub Rudolpho datam refert Lehmanus (f): Prior sic habet: Wir gebiethen auch vestiglich, das man in allen Römischen Reich an geistlichen Dingen nach Gebot, und nach Rath der Erzbischöfe sich halte, und welcher Bischof, oder Erzpriester nach geistlichen Recht richte. Posterioris hæc sunt verba: Wir gebiethen och vlissilich, das man in allen Römischen Riche an geistlichen Dingen nach Gebote, und nach Rathe der Erzbischove sich habe, und der Bischof, und Erzpriestere nach geistlichen Rechte: Quis autem dubitet, voce geistliche Rechte unice intelligi Decretum Gratiani? quod jam tum Juris publici factum, publice traditum, in aulis Imperatorum,

Germani studuerunt Juri utrique.

Decretistæ & Legistæ in aulis Principum & Episcoporum.

Decretum summo in pretio apud Germanos. Fuit confirmatum Constitutionibus Imperatorum.

(d) Decretistæ vocabantur, qui Decreto Gratiani; Legistæ, qui Juri Civili studuerunt. (e) Part. 2. der Reichs-Satzungen cap. 15.

(f) In Chron. Spir. Lib. 5. cap. 108.

torum, in tribunalibus Epiſcoporum, in dicaſteriis Principum primatum obtinuit. Huc etiam collineavit Author Speculi Suevici, qui probabilius circa hæc tempora ſcripſit, dum Lib. 1. cap. 5. ad utrumque opus tam Decretum, quam Decretales provocat his verbis: **Us den zweyen Büchern nimmet man all die Recht den geiſtlichen und weltlichen Gerichte bedarf.** Accedunt documenta tam publica, quam privata, quæ paſſim ad iſtud Decretum provocant, prout oſtendit Boehmerus (g).

Ad illud provocat author ſpeculi Suevici.

Eadem fata, vel adhuc longe meliora obtigerunt Decretalibus Gregorii IX., de quibus eo minus ſupereſſe dubium poteſt, quanto certius eſt, quod authoritate Pontificum fuerint promulgatæ, approbatæ, & per orbem univerſum diſperſæ, illarumque uſus per Canoniſtas, qui tunc in maximo erant numero, in omnibus ſerme tribunalibus invaluerit. In tantam Decretales aſcenderunt authoritatem, ut obſtetricantibus Epiſcopis ab Imperatoribus Friderico II. & Rudolpho publico Ordinum decreto Sæc. XIII. fuerint confirmatæ, qualis honor Juri civili Romano, etiam ubi fora Germaniæ occupaverat, contigiſſe oſtendi nequit. Inde fortaſſis etiam venit, quod Jus canonicum etiam primatum ſuum præ Jure civili ſemper habuerit, & retinuerit.

Eadem vel major authoritas Decretalium Greg. IX. & quare?

Fuere confirmatæ a Friderico II. & Rudolpho.

§. III.

Ex his ni fallimur, facillimæ deciſionis eſt quæſtio ſupra mota, utrum nempe Decretales per Germaniam unice valuerint in ſubſidium, deficientibus nempe propriis Diœceſium ſtatutis? id quod nemo nobis perſuaſerit. Primo enim nemo ignorat, quod eo tempore, quo Decretales emanarunt, ſumma fuerit Pontificum authoritas, illorumque juſſis & legibus ſe ſe facile ſubjecerint Imperatores, Reges & Principes: quis autem dubitet, quin Pontifices ſuas Decretales in vim legis principalioris promulgare voluerint? Secundo: Quare Germani has Decretales indiſcriminatim ſine diſcrimine & exceptionibus acceptarunt? cur non oppoſuerunt ſua Jura particularia? cur non objecerunt ſua privilegia? excepiſſent ſane, imo excipere debuiſſent contra has Decretales, ſi alio jure principaliori uſi fuiſſent: alias rebus & juribus ſuis peſſime conſuluiſſent. Et quare tertio Epiſcopi etiam Germani Decretum & Decretales acceptarunt, a veteri norma judiciorum receſſerunt, in decidendis cauſis, in documentis publicis & privatis ad Decretales provocarunt?

Utrum valuerint per modum Juris ſubſidiarii?

Germani ſine diſcrimine eas acceptarunt.

In Judiciis ad eas provocaverunt.

(g) Ad Tit. de Conſtit. §. 33.

carunt? sane non legimus, quod ad alias suas leges provocaverint, Pontificibus sua Jura particularia opposuerint, usque ad tempora Ludovici Bavari. Quarto: Qualenam ergo jus aliud principale habuerunt Germani? nunquid anteriores quasdam collectiones fortassis Isidori, aut Burchardi Wormatiensis? sed iterum quærere licebit, an illæ habuerint vim Juris principalis, aut subsidiarii duntaxat? si primum: habemus, quod petimus. Si alterum: redibit antiquior quæstio. Si dicant, quod Germanis suæ leges particulares, & consuetudines instar Juris principalioris fuerint, id nemini persuadebunt: quis enim sibi persuadeat, quod Germani antiquioribus canonibus, vel collectionibus usi non fuerint, incerto veluti Jure vixerint, & pro fundamento sui regiminis ecclesiastici leges quasdam paucas, vel consuetudines habuerint, quibus ancillæ instar servire debuere leges universales, publicæ, authoritate publica communitæ? Quinto: Illa gravamina ex post contra Pontifices a Germanis in Synodo Basileensi oblata, illæ ipsæ altercationes, quas Imperatores, & Episcopi Germaniæ successu temporis cum Pontificibus habuerunt, signo apertissimo sunt, quod primitus se se Pontificibus simpliciter submiserint, illorumque decretis acquieverint. Sexto: Codices illi, quibus Ecclesiæ antiquitus utebantur, e. g. Codex universalis Ecclesiæ, quem adoptavit Ecclesia Gallicana, Codex Dionysii exigui, qui obtinuit in Ecclesia Romana, anne in vim Juris subsidiarii duntaxat fuerunt assumpti? Septimo: videntur Scriptores contrarii falso inniti supposito, aut subvertere statum Quæstionis: id facile damus, quod Decretales eatenus habuerint authoritatem & usum in Germania, quatenus non adversabantur juribus & consuetudinibus particularibus propter com̃unem regulam, quod leges particulares derogent universalibus: sed quis inde inferre auserit: ergo Jus universale habet vim Juris mere subsidiarii? Sane consecutio pessima, ex qua ulterius consequi necessum foret, quod nullum Jus commune & universale sustineat vices Juris principalis, cum nulla detur Respublica, nulla Provincia, quæ non regatur quibusdam juribus, & consuetudinibus particularibus. Quis hæc æquo animo sustineat? Manet ergo Jus ecclesiasticum Decretalium in sua possessione, & illis, qui Jus particulare contrarium prætendunt, incumbet probatio. Quid quod in legibus etiam publicis Imperii ad Jus canonicum tanquam commune provocatum fuerit, id quod apparet ex legibus publicis Sæc. XVI. latis, dum in Recess. Wormatiensi de anno 1521. Assessores Cameræ Imperialis jubentur pronuntiare nach des Reichs gemeinen Rechte cap. 33. Et licet Contin-

Paucas admodum leges & consuetudines habuerunt.

Authores contrarii falso nituntur supposito.

In legibus imperii publicis ad Jus Canonicum fuit provocatum.

Conringius (h) id de Jure Romano intellectum velit, attamen Viri gravissimi ex fundamentis longe validioribus id de Jure etiam canonico intelligunt (i): eo quod tunc temporis eadem Juris civilis, & canonici, imo hujus major longe fuerit authoritas in Imperio. Huc quoque collineat Constitutio Caroli V. contra Anabaptistas de an. 1529. ubi §. 1. Jus commune distinquitur a Jure Cæsareo his verbis: Wiewohl in gemeinen Rechten (Jure Canonico in Tit. de Apost. & reiterando Bapt.) geordnet, und versehen ist, daß keiner, so einmal nach Christlicher Ordnung getauft worden ist, sich wiederum oder zum zweytenmal taufen lassen, noch derselben einen taufen soll, und fürnemlich in Kayserl. Gesätzen solches zu beschehen bey Straf des Todes verbotten ꝛc. ꝛc. Quis hic non videat, appellatione *Juris communis* venire Jus potius canonicum, quam civile Romanorum? Et licet Sæc. XV. de eradicando Jure utroque canonico & civili actum fuerit, prout manifestum fit ex Reform. Friderici III. de anno 1443. apud Goldastum (k), hæc tamen declaratio non tantum suo caruit effectu, verum etiam authoritas Juris utriusque majora semper incrementa accepit, & ad tempora usque Reformationis perduravit, quibus denique eidem plurimum derogatum fuit, ita quidem, ut parum abfuerit, quin omnino ultimam cladem acciperet. ***Sæc. XV. agebatur de utroque jure eliminando.***

§. IV.

Atque ex his jam delabimur ad ulteriorem quæstionem, qua quæritur, qualem authoritatem Jus canonicum habeat apud Protestantes. Lutherum Juris canonici fuisse hostem capitalissimum, illudque Wittenbergæ in magna Doctorum & Studiosorum corona una cum Bulla Leonis anno 1520. Vulcano comburendum injecisse hoc adhibito effato: *Quia tu impie liber conturbasti sanctum Domini, ideo te conturbet ignis æternus: sicut fecerunt mihi, sic feci eis, inquit Samson*, ipsi Protestantes libere fatentur. ***Lutherus fuit hostis capitalissimus Juris Canonici, illudque combussit.*** Verum hisce ausibus impudentissimis se se vehementissime opposuerunt ipsi Doctores Protestantici Henningus Gœdem, & Hieronymus Schurffius frendente licet Luthero, quem hæc res ita commovit, ut Wittenberga abierit, nec unquam posthac, ut eo rediret, persuaderi potuerit. ***Habuit sibi contrarios Doctores multos.*** Varie deinde inter ICtos & Lutherum fuit dimicatum. Ingentes animi sui motus clarissime aperuit in epist. ad Spalatinum anno 1544. scripta, ubi sic scribit: *Ego tibi fateor, in hoc anno sic* ***Desuper graviter conqueritur.***

(h) De Orig. Jur. Germ. cap. 33.

(i) Boehmerus ad Tit. de Constit. §. 56.

(k) Part. 1. der Reichs-Satzung art. 5. & 7.

ſic me eſſe acceptum, ut in vita mea, & in tota cauſa Evangelii nunquam fuerim perturbatior: oritur enim mihi cum Juriſtis negotium acerrimum. Et quos ſperaveram fidos Evangelii amicos, experior hoſtes acerrimos. Et poſt pauca: *intrinſeci hoſtes plus nocent, quam externi, ut Judas inter Apoſtolos, ſed vincit Crucifixus, & perit Crucifixor.* Indignationem ſuam vehementiſſimam ante hoc factum prodidit, dum Spalatino ſcripſit: *damnent, exurantque mea, ego viciſſim, niſi ignem habere nequeam, damnabo, publiceque concremabo jus Pontificium totum, lernam illam hæreſium.* Hujus rei geſtæ hiſtoriam fuſius recenſet Seckendorffius (l) & Kippingius in *Apologetico pro Martino Luthero* (m). Impudens hoc Lutheri factum ne ipſi quidem æquiores Lutheri aſſeclæ approbare audent, imo execrantur, ex quibus unus præ mille aliis ſufficiat Illuſtris de Ludwig (n), qui ita ſcribit: **Es iſt eine Schande, daß wir Lutheraner des Lutheri ſtrafbares Vornehmen mit Verbrennung des *Corporis Juris Canonici* billigen wollen, weil Lutherus vorgeben, daß er in ſolchem Eifer von einer höheren Hand gerührt worden ꝛc. welches dannenhero ſtrafbar geweſen wäre, wenn der Churfürſt von Sachſen Friederich nicht Gnade vor Recht ergehen laſſen.** Apologiam pro Luthero ſcripſit ſupra citatus Kippingius, in qua etiam rationem hujus præclari (melius dixeris impudentiæ) facti ex ipſis ſcriptis & verbis Lutheri fuſius adducit.

Lutherani ipſi factum Lutheri execrantur.

Ab eo tempore jam ingens eſt concertatio inter Doctores Proteſtanticos, quæ & quanta in ſua Eccleſia ſit, & concedenda ſit Juri canonico authoritas? Juvat audire doctiſſimum Boehmerum (o), qui ſic habet: *Eadem* (loquitur de Jure Romano Civili reſpective ad Jus Germanicum), *ſi non infeliciora fata habet Jus Canonicum in terris Proteſtantium, cujus mentem pauciores debita induſtria evolvunt: multi uſum vel negant, vel adeo reſtringunt, ut ſtudium ejus plane intermittendum, vel levi brachio eſſe tractandum cenſeant: alii canones ubique incaute ſequuntur, ſine debito examine cauſis emergentibus applicant, omnemque movent lapidem, ne vel jota ex Jure canonico inter Proteſtantes pereat. Fluxere tot diverſi motus ex principio inter Proteſtantes vulgatiſſimo, Jus Canonicum robur inter nos habere EX RECEPTO, & ipſo uſu, tacitaque adprobatione vim accepiſſe, non tamen in omnibus, verum quibusdam tantum articulis. Sed de his ipſis*

Litigant Proteſtantici inter ſe de authoritate Juris canonici.

Diverſas eorum opiniones recenſet Boehmerus.

(l) In hiſtoria Lutheraniſmi Lib. 3. Sect. 32.

(m) Hæc Apologia annexa eſt *Proluſionibus* Juris eccleſiaſtici, quas cit Author edidit Helmſtadii.

(n) Cit. Apolog. pag. 14.

(o) Exercit. 9. ad Pandect. Lib. 1. Tit. 2.

ipsis adhuc mira concertatio est, dum alii plures; alii pauciores tradunt; adhuc alii regulis quibusdam insistunt, ex quibus judicari debere contendunt, in quantum inter Protestantes obtineat, & Juri Civili vel præferendum, vel postponendum sit? Qui tamen, teste experientia, ipsa praxi sæpius refutantur. Tanta est incertitudo studii hujus, & sententiarum varietas, ut, qui inter hos scopulos sine discrimine navigare, rectumque tenere cursum desiderat, magna cautione opus habeat. Sicut autem hi, qui pericula maris & discrimina tempestatis marinæ evitare cupiunt, nihil non agunt, ut scopulorum occultorum, voraginum, ventorum, & omnium eorum, quæ navigationem ancipitem facere possunt, exactam notitiam consequantur, reputantes, tela prævisa minus nocere, ita quoque, qui per medium profundum hujus studii ire, & inoffenso pede procedere cupit, ante omnia in occultos variorum præjudiciorum scopulos inquirere, & duo extrema illa, quæ vel Jus Canonicum plene destruunt; vel illud cæco amore quidem, sed imprudenti ut plurimum conatu ubique sequendum suadent, evitare debet, ut media via, quæ tutissima est, incedere queat. Postea laudatus Author non modo loc. citato, sed etiam in Jure suo Protestantico (p) diversas diversa opinantium sententias recenset, refellit, & aliquoties satis severe castigat, ac in fine finali suam sat æquam proponit, & demonstrare contendit.

Sunt autem sententiæ Doctorum Protestanticorum celebriores sequentes. Prima eorum, qui cum Luthero Jus canonicum diris omnibus devovent, ac e scholis & foris eliminandum esse censent: eo quod corrupta & perversa Religionis dogmata foveat, nutriat, & complectatur. Altera eorum, qui illud ad certa capita restringunt, & in certis causis illius usum admittunt e. g. in causis matrimonialibus, pactorum, & emphyteuseos, bonorum ecclesiasticorum, testamentorum, præscriptionum, juramentorum, ordinis judiciarii &c. Tertia aliorum, qui certas regulas pro usu illius determinando præscribunt, quales e. g. sunt: *Quoties res est dubia de Jure civili, standum est Juri canonico:* Item: *quoties utrumque inter se pugnat, quodlibet in suo foro observandum est, nisi in materia peccati, & conscientiæ, ubi jus Canonicum observandum est.* Et iterum: *in dubio inter utrumque non est statuenda differentia &c.* De his ergo omnibus opinionibus suum profert judicium laudatus Author, & primam ea ex ratione rejicit, quod illius fundamenta id solum probent, Jus canonicum a Protestantibus nunquam debuisse in sua fora recipi, ac civitate donari. Alteram inde refutat, quod, cum jus canonicum ante reformationem universaliter fuerit receptum, & de restri- *Eas refellit.*

 ctione

(p) Ad Tit. de Constit. §. 70. & seq.

ctione non constet; imo allatis capitibus reclamet praxis, hujusmodi restrictio & determinatio certorum capitum penitus rejicienda videatur. Tertiam pluribus refellit, ea potissimum ex ratione, quod illæ regulæ quam sæpissime fallant, & apertissima praxis ecclesiarum Protestanticarum commonstret, ampliorem sane usum Juris canonici esse in causis ecclesiasticis, quam illa sententia permittere videtur. Postea Boehmerus suam mentem declarat, & præprimis cautum Juris canonici usum commendat: dein prosequitur, & nec unica, nec pluribus regulis illius usum & authoritatem posse definiri ostendit: ac demum media via esse incedendum concludit. Si quid sapio, eo ultimato Authoris sententia collimat, Jus canonicum apud Protestantes in genere & quasi per aversionem valere, & in causis non modo civilibus, sed etiam ecclesiasticis usum habere communem, in quantum vel ipsorum principiis religionis non repugnat, vel ipsi Juri canonico contrariæ leges, consuetudines, praxis & repugnantia non adversatur. Quis non æquam hujus Authoris sententiam dicat?

Sententia Boehmeri.

Esse authenticum per aversionem æstimat.

Jam quæ sit hujus Juris apud Protestantes authoritas, videamus. Ex antea dictis constat, quantopere Doctores Protestantici contra Lutherum, illiusque temerarium ausum zelaverint, & pugnaverint. Ab illo tempore illud docuerunt, & in hodiernam usque diem docent in scholis publicis, ad illud provocant in judiciis, secundum normam illius procedunt in causis ecclesiasticis, controversias decidunt in suis consistoriis. Quid non egerunt Doctores Wittenbergici, ut illius usum & conservarent, & propagarent? Hos æmulati sunt Doctores aliarum Academiarum, qui illud suis auditoribus commendarunt, miris laudibus exornarunt, ac doctissimis Commentariis illustrarunt; imo etiam apologias pro illius conservatione usu & authoritate adornarunt, in Academia Jenensi Mathæus Colerus, Rostochiensi Ernestus Cothmannus, Lipsiensi Joannes Dauth, Giessensi Ulricus Hunnius, Marburgensi Hermannus Vultejus, & plures alii Academici Doctores, quorum verba, libros, & testimonia refert laudatus Boehmerus. Immensus esse deberem, si, quæ celeberrimi JCti Protestantici pro conservando usu, authoritate stabilienda, & propaganda, illustrandoque ipso studio Juris canonici scripserunt, ac in hodiernam usque diem scribunt, in medium adducere vellem.

Usque nunc Jus canonicum habet summam authoritatem apud Protestantes.

Sed mirum videri alicui posset, quod Doctores Protestantici, & illi primi tempore Lutheri, & illorum successores tantopere pro usu & authoritate Juris canonici quasi pro aris & foris dimicaverint? num fortassis propter interesse quoddam privatum, quia de pane lucrando apud non

Cur Protestantes illud tanti æstiment?

paucos

paucos agebatur? sed absit, ut Viros illos tam sordide egisse & sensisse suspicemur: etsi ab omni interesse proprio ipsos omnino alienos fuisse vix aliquis nobis persuaserit. Sane longe prudentiores fuisse illos JCtos, quam Lutherum, nemo sanus negaverit. Agebatur Lutherus caeco impetu, passionum rebellione in transversum rapiebatur, vindictam coquebat in pectore contra Leonem Pontificem, a quo se damnatum sciebat: ut quid ergo mirum, quod tantum nefas perpetrare ausus fuerit? At vero JCti, quorum intellectui sanior illuxit Phaebus, quibus *Ratio Status* ecclesiastici & politici melius perspecta erat, qui optime perspiciebant, pessime etiam Juribus suae Ecclesiae, & suorum Principum consultum iri, si Jus canonicum penitus eliminarent, & proscriberent; ac denique intime penetrabant, quantum chaos in judiciis, quanta rerum confusio in dirigendis finibus Jurisdictionis ecclesiasticae & politicae; quanta difficultas in defendendo *jure in Sacra* suis Principibus vindicato ex proscriptione Juris ecclesiastici sit pertimescenda, utique secundum omnes prudentiores aeconomiae regulas egisse censendi sunt, dum authoritatem Juris ecclesiastici sustentare toto conatu, omnibusque viribus allaborarunt. Quam frequens apud Protestantes sit usus Juris canonici, quanta illius necessitas in dijudicandis causis & suorum asseclarum, & catholicorum, noverint illi, qui Principibus suis a secretioribus sunt consiliis, praesunt Consistoriis Protestanticis, vel Judices in tribunalibus sunt constituti. Quis, & quantus sit nexus inter *Jus Canonico-Catholicum*, & *Protestanticum*, in quibus a se invicem recedant in causis & materiis ecclesiasticis seu ad religionem seu Ecclesiam spectantibus, praeter Boehmerum solicite inquirit, ac dilucidat Ludovicus Martinus Kahle (q).

Lutherus caeco impetu & rabie agebatur.

Gravibus rationibus ducuntur, qui Juris canonici authoritatem defendunt.

§. V.

Innumerae differentiae inter Jus canonicum & civile.

Lippis & tonsoribus, uti ajunt, notum est commune illud ex cap. 1. & 2. de N. O. N. *sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur.* Et sane unum sine altero nec sat utiliter disci, nec doceri res est apertissima. Summa difficultas tum in conciliandis hisce juribus, tum in dirigendis finibus utriusque Jurisprudentiae sita est. Innumeras esse differentias inter Jus canonicum & civile, quis ignorat? immensus esse deberem, si has vel in compendium redigere vellem: Integrum opusculum de differentiis Juris canonici & civilis scripsit Henricus Hahnius JCtus in

(q) Elementa Jur. Canon. &c. Halae 1743. ubi ferme ad singulos titulos exponit Jus Catholicum, & dein Protestanticum.

in Academia Julia, quod dein recognovit & notis illustravit Joan. Schilterus, & Institutionibus Juris canonici a Schiltero conscriptis annexuit Boehmerus, in quo præcipuæ differentiæ ex triplici Juris objecto, maxime in rebus & causis spiritualibus & ecclesiasticis dilucidantur.

Causæ harum differentiarum.

Causæ harum differentiarum dari possunt plures. Nos paucas afferemus, quarum prima sine dubio inde derivanda est, quod Conditores legum civilium fuerint gentiles, Philosophi ut plurimum Stoici, qui lumine supernaturali destituti non modo in veritatibus supernaturalibus cæcutiebant, sed etiam in naturalibus, illis saltem, quæ ex primis Juris naturalis principiis longius deducuntur, hallucinabantur: unde factum est, ut in tot errores impingerent; concubinatum, usuras, præscriptionem cum mala fide, dimissionem uxoris permitterent: quamquam etiam Jurisconsultos Romanos immenso quodam lumine naturali fuisse collustratos, ex innumeris illorum responsis luce meridiana clarius pateat. Dum econtra Legislatores ecclesiastici lumine fidei supernaturali superfusi veritates supernaturales non modo, sed etiam naturales una cum erroribus, quos Romani in condendis legibus commiserunt, clarius agnoscebant, quas in melius emendare, & corrigere sui muneris esse existimabant.

JCti Romani erant Stoici & gentiles, & inde in errores lapsi: & hæc prima causa differentiarum.

Altera petitur ex diverso fine.

Altera causa fuit, quod prima cura Legislatorum ecclesiasticorum fuerit salus animarum, & ex hoc capite nihil antiquius habere debuerint, quam ut peccata avertant, conscientiis hominum consulant, studium virtutum promoveant, & his mediantibus prædictum finem consequantur. At vero licet etiam Romani ex solo lumine naturali quamplurima præcepta naturalia agnoverint, neutiquam tamen, quæ ad salutem æternam consequendam necessaria forent, perspexerunt, quin sæpius nimia erga jus suum religione ducti, aut æquitate quadam cerebrina, vel vana superstitione obcæcati ne quidem pericula peccandi animadverterunt: sic Jus civile admittit rescissionem contra contractus juramento firmatos, non vero SS. canones, ne homines invitentur ad peierandum, nisi bonum publicum aliud exigat: ex qua ratione non valet juramentum, quo Clericus privilegio fori renuntiat, licet leges civiles hujusmodi renuntiationem fori minime reprobent: & econtra valet juramentum, quo filia ulteriori hæreditati paternæ, aut Senatus consulto Vellejano renuntiat, quamvis leges civiles hujusmodi juramento nullam vim tribuant. Sic etiam SS. canones propter periculum incontinentiæ Viduæ facultatem nubendi intra annum luctus concedunt, dum Jus civile ita nubentibus pœnas irrogat.

Tertia ex ratione Sacramentorum.

Ulterior causa fluit ex institutione Sacramentorum maxime matrimonii: licet enim Christus Dominus per annexam qualitatem Sacramenti neutiquam

tiquam rationem contractus destruxerit, id tamen effecit, ut jam contractus matrimonialis sublimioribus quibusdam regulis, & secundum leges divinas dirigi debeat, jamque potestati ecclesiasticæ subjiciatur, atque leges civiles, illæ præcipue, quæ cum lege nova concordari non possunt, attendi non mereantur. Accedit alia causa differentiarum, nempe & religio & cura singularis cultus divini augendi. Etsi enim ipsi etiam Romani gentiles suæ religionis fuerint ad superstitionem usque tenacissimi, & quamplurimas leges ex motivo religionis ad cultum suorum DEorum augendum, promovendumque tulerint, & ipsi Christiani multos ritus ab ipsis in ordine ad colendum suum supremum Numen adoptaverint (r), attamen longe purior & ab omni superstitione aliena fuit religio Christianorum, quibus sua religio nescio quid sacri horroris, amoris, timoris, ac reverentiæ non modo in suum supremum Numen, sed etiam in Personas, quas ab ipso ad suum cultum ordinandum, dirigendumque singulariter esse deputatas non ignorabant, inspiraverat: unde contigit, ut Ecclesia quamplurimas leges conderet in ordine ad cultum divinum promovendum, favores, libertates, & privilegia Personis ecclesiasticis, rebus & bonis hujuscemodi quam liberalissime impertiretur. Demum Ecclesia vel maxime semper solicita fuit, ut mansuetudinem Christi æmularetur, & hinc excessivum rigorem semper abhorruit, atque æquitatem nimio legum rigori præferre consuevit: inde ortum trahunt tot remedia extraordinaria, e. g. recursus ad Judicem ecclesiasticum, appellationes extrajudiciales, querelæ, favores & privilegia personis miserabilibus concessa, quæ ferme omnia & singula in Jure civili ignorantur. Atque hoc ipsum est, quod contra Ecclesiam criminantur Sectarii, dum eidem hanc æquitatem tanquam cerebrinam exprobrant, & similes leges occulta quadam fraude esse confictas afferunt, eum potissimum in finem, ut judicia sæcularia elideret, & quamplurimas causas etiam civiles sub prætextu pietatis aut æquitatis ad suum forum traheret cum gravissimo boni publici præjudicio. Verum somnia hæc sunt & figmenta, quæ invidia, livor, odium religionis suppeditat; & dictat. Sane ipsi Romani excessivum rigorem sui juris agnoverunt, & ideo suos Prætores habuerunt, penes quos erat potestas temperandi rigorem Juris Romani, suppeditandi remedia, quando rigor Juris denegavit, præbendi audientiam, quando tribunal civile nullas aures præbuit. Num ergo Ecclesia nihil immutare, nihil corrigere,

Quarta ex religione & cultu divino.

Quinta ex mansuetudine Christi, quam Ecclesia æmulari volebat.

Falso Sectarii Ecclesiæ exprobrant æquitatem cerebrinam.

(r) Vid. dicta Quæst. 1. cap. 2. ubi de Liturgia diximus.

gere, aut saltem alterare valeat eorum, quæ Romanis persuasit sua superstitio, dictavit ambitio, suggessit prætensa Reipublicæ salus?

De dirigendis finibus utriusque Jurisprudentiæ.

Jam qua arte dirigendi sint fines utriusque Jurisprudentiæ dispiciamus: tota difficultas ad id devolvitur, quodnam Jus, canonicum, vel civile sua authoritate prævaleat, & prævalere debeat. Pro hac difficultate Doctores passim statuunt certas regulas, secundum quas usus & authoritas utriusque est determinanda, statuendumque, quandonam authoritas Juris canonici, vel civilis obtineat, & prævaleat. Etiam nos tales breviter dabimus regulas, prius tamen id memoria recolendum esse monemus, quod supra meminimus, quod in Germania etiam ab eo tempore, quo utrumque Jus in fora Germanica fuit introductum, Jus canonicum primatum habuerit, & suo usu & authoritate Juri civili Romano non in causis duntaxat ecclesiasticis, sed etiam civilibus prævaluerit. Prævaluit Jus canonicum inprimis sua antiquitate, utpote quod ex plurimorum sententia, licet quidam aliter sentiant (s), ante receptionem Juris civilis in foris Germaniæ obtinuit, aut saltem eodem tempore in forum prorupit. Prævaluit etiam authoritate, utpote cui honor obtigit, ut a Friderico II., & Rudolpho Imperatoribus accedente publico Ordinum decreto Sæc. XIII. confirmatum, roboratumque fuerit, qualis confirmatio Juris Romani, etiam ubi fora Germaniæ occupaverat, ostendi nequit. Prævaluit usu: cum in foro etiam civili norma judicii fuerit observata ea, quæ in Jure canonico legitur præscripta, & causæ civiles potius secundum canones, quam leges civiles fuerint decisæ, ita quidem, ut quibusdam visum fuerit, & in hodiernam usque diem videatur, quod Jus Romanum mere aliquod jus subsidiarium fuerit ad supplendum defectum Juris canonici assumptum. Prævaluit dignitate: quia eo tempore hominibus Christianis, Politicis etiam, & Principibus persuasum fuit primas deberi Ecclesiæ & legibus ecclesiasticis, bonum Ecclesiæ esse præferendum bono politico, debitum honorem esse exhibendum Clero, ecclesiarum privilegia, & immunitates esse manutenendas &c. At longe aliter hodie: Ratio Status prævalere debet, securitas procuranda, suprema lex esto salus Reipublicæ. Illa anteriora principia jam jam pertinent ad antiquas nænias, sapiunt simplicitatem, fundantur in superstitiosa religiositate, pietatem spirant exoticam. Ita quidam, qui sibi, si Superis placet, sapientiores esse videntur.

Jus canonicum in Germania antiquitate, usu, & authoritate prævaluit Juri civili etiam in causis civilibus.

Hodie ex principio Pseudo-Politicorum prævalet Ratio Status.

Ita-

(s) Boehmer ad Tit. de Constit. §.35.

Itaque regulas sequentes, easque damus communes: Regula prima: Jura concordanda cum juribus, & correctio, quantum fieri potest, evitanda. Fundatur hæc regula in rationibus gravissimis: primo enim omnis lex habet præsumptionem pro se, quod sit justa, honesta, in bonum communitatis lata: stat ergo favor pro lege & bono publico, & utrique fit injuria, si lex sine gravi causa corrigatur, resigatur: dein stat optima præsumptio pro Principe, quod, priusquam legem tulit, sedulo necessitatem & utilitatem legis examinaverit, nec temere, sed rebus bene & optime expensis sanciverit: quam ergo indecorum, quam turpe, quam Principe indignum esse debet, legem salubriter latam, multo labore ac vigiliis excogitatam unico veluti ictu propter dubium duntaxat subvertere, ac prosternere? Regula secunda: vel lex *Canonica* colliditur cum *Canonica*, vel cum *Civili?* in priori casu videndum, utrum antinomia sit in unius, & ejusdem Pontificis Collectione e. g. utrum in Decretalibus Gregorii IX. duo sint canones contrarii; vel contrarietas in duabus collectionibus, ita ut aliter sit sancitum in Decretalibus Gregorii, & aliter in Collectione Bonifacii: si prius: omni modo studendum est reconciliationi, si tamen salva verborum proprietate fieri queat, aut nisi canon ipse terminos correctorios adhibeat, quemadmodum factum esse legimus in cap. 2. & 3. de cens. in 6. ubi Bonifacius VIII. corrigit legem sui Prædecessoris Gregorii X. vetantis aliquam pecuniam accipere pro visitationibus. Si posterius: tunc standum est juri noviori ex generali Regula, quod posteriora derogent prioribus cap. 29. de Elect. in 6. nam potest Legislator, & præsumitur velle abrogare legem anteriorem, eo quod omnes leges communes censeatur habere *in scrinio cordis sui* cap. 1. de Constit. in 6.

Regulæ pro concordandis Juribus.

Omnis correctio odiosa.

Quid si lex canonica collidatur cum canonica?

Si vero lex *Canonica* collidatur cum lege *Civili*, tunc sequentes sunt observandæ regulæ: Primo, si Jus canonicum sit clarum, & Jus civile dubium, tunc standum est Juri canonico claro, & econtra. Fundatur hæc regula in cap. 1. & 2. de N. O. N. in quo dicitur, quod *sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum canonum statuta Principum constitutionibus juventur.* Exceptio est *in materia spirituali*, utpote quæ est extra sphæram Legislatoris civilis, nisi tamen lex civilis a Jure canonico sit homologata. Exemplum habemus in *Cognatione legali*, quæ etiam de Jure canonico facit impedimentum matrimonii. Secundo, si manifesta sit contrarietas inter legem canonicam & civilem in materia adiaphora & indifferenti conscientiam non attingente e. g. in materia testamentorum & contractuum &c. tunc quodlibet Jus in suo foro est observandum, canonicum in foro canonico & in terris

Quid si canonica cum civili?

 Ponti-

Pontificiis; civile in foro civili. Hinc subditi in terris Pontificiis existentes, item etiam Clerici, ubicunque extra territorium Pontificis existant, non obligantur ad solemnitates a Jure civili præscriptas, si modo observent ea, quæ in cap. 10. de Testam. præscribuntur. Tertio, in materia conscientiæ & peccati prævalere debet Jus canonicum ex naturali dictamine rationis, & Jure divino: cum utique peccata, & peccandi pericula evitare teneamur, & præceptum divinum habeamus, quo Ecclesiam, illiusque Rectores audire jubemur (t). Hinc in materia præscriptionum quoad bonam vel malam fidem, in materia usurarum, simoniæ insistendum erit Juri canonico. Quarto, in materia spirituali, & maxime Sacramentorum Jus canonicum præponderat Juri civili: idcirco quoad matrimonia Filiorumfamilias sine consensu parentum inita præponderat Jus canonicum. Addunt aliqui quinto, quod leges civiles, quæ de personis, rebus, & juribus ecclesiasticis aliqua in favorem disponunt, ex defectu Jurisdictionis non tam vim legis habeant, quam privilegii, si vero sint odiosæ, omni prorsus vi obligandi destituantur, utpote præjudiciosæ libertatibus, juribus, & immunitatibus ecclesiasticis (u). Quoniam vero hæc materia est valde odiosa, & pertinet ad materiam de immunitatibus ecclesiasticis, ulteriori explicatione supersedendum esse existimavimus. Videatur Clarissimus P. Engl. (x).

In materia conscientiæ & peccati prævalet Jus Canonicum.

§. VI.

Usus Jur. eccles. amplissimus. Rectus illius usus.

Usum Juris ecclesiastici esse amplissimum, & quotidianum in omnibus tribunalibus ecclesiasticis, & civilibus, apud catholicos & acatholicos, ex iis patet, quæ supra de authoritate illius diximus. Quare non tam de usu, quam recto illius usu quædam dicere constituimus. Quod enim alias non raro fieri consuevit, ut in rebus optimis abusum faciamus, id ipsum in usu Juris canonici contingere experientia scimus. Abusus autem iste in tribus potissimum consistit, quorum primum est, quod principiis & canonibus Juris communis utamur cum præjudicio jurium particularium, pactorum, privilegiorum; alterum vero, quod antiquorum glossatorum inveteratis opinionibus nimium fidamus, Jurisconsultorum exterorum principia, sententias, & interpretationes, qui studio partium agitati pro suis ferme unice juribus & prærogativis zelare

Abusus in tribus potissimum consistit.

(t) *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. v. 16.
(u) E. g. leges tributorum, vectigalium &c.
(x) In Procemio de Jur. Can. Orig.

lare consueverunt, incaute adoptemus, & mutuemus; tertium denique, quod non nunquam principia Juris nostri inepte applicemus, iisque utamur contra illos, a quibus non admittuntur. Quapropter tria potissimum in applicatione & usu Juris communis attendenda erunt: Primo quidem ante omnia videndum, an non leges aut consuetudines particulares, pacta, foedera aut privilegia juri communi obstent. Hinc inepte facturus foret ille, qui canones in materia beneficiorum disponentes, aut regulas Cancellariae universaliter ad usum Germaniae nostrae applicare vellet. Secundo, omnino ad ipsos authores respiciendum, cujus sint religionis, nationis; cuinam serviant Reipublicae: Nam facile in his deprehendemus quoddam partium studium, atque zelum non raro exorbitantem pro vindicandis, conservandis, ampliandisque juribus suae religionis, & Reipublicae: sic Galli mirum in modum zelant pro suis libertatibus, Romanenses pro authoritate Pontificis, Germani pro suis Concordatis. Idcirco saluberrime monent Doctores, ne nimium fidamus interpretibus canonum Italis, aut Decisionibus Rotae, maxime quando agitur de juribus Episcoporum contra Pontifices, aut de causis beneficiorum, quippe qui canones communius magis in favorem Pontificis, quam Episcoporum interpretari consueverunt. Hinc ulterius, & optime quidem tradit Illustris Barthelius (y), quod iteratae decisiones Rotae in causis beneficiorum, aliisque materiam Concordatorum concernentibus in Germania nullo modo faciant stylum Curiae. Et sane undenam venire existimamus, quod quaedam regulae Cancellariae apud nos invaluerint etiam cum praejudicio jurium antiquorum, nisi quod glossatores, & interpretes illarum usum in tribunalia ecclesiastica invexerint? Tertio animadvertendum est, cum quo vel quibus nobis agendum sit, ne adversarios nostros armis prorsus ineptis impetamus: quilibet ex principiis propriis a se admissis impugnandus est. Quapropter ineptissime prorsus facturus esset ille, qui varia Ecclesiae suae dogmata aut Jura ex Jure ecclesiastico contra Protestantes defendere vellet: etsi enim hi Jus ecclesiasticum plurimi aestiment in materiis adiaphoris, nihilominus illud respuunt in iis, quae suae religionis principiis contrariantur. Atque in hac re plurimos enormiter hallucinari, experientia compertum habemus. Haec neutiquam eum in finem dicta volumus, ut authoritati, & usui Juris communis detrahamus, sed ut abusum restringamus, & usum illius sobrium facere discamus.

Tria potissimum in applicatione & usu Jur. eccles. attendenda: nempe ad jura particularia, & ad authores respiciendum, cujus sint religionis & Nationis.

Item cum quibus agendum, sedulo attendatur.

(y) In Differt. Gener. de Concord. Germ., illorumque interpret.

CAPUT II.

De Studio Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ quoad methodum docendi.

§. I. *Quæ sit genuina Jurisprudentia Ecclesiastica?* II. *De studio Juridico in genere seu methodo recte & utiliter docendi.* III. *De officiis muneri docendi annexis.* IV. *De methodo docendi secundum certum ordinem.* V. *De methodo & ordine tum in materiis seligendis, tum* VI. *pertractandis, tum* VII. *explicandis observando.*

§. I.

Jurisprudentia Eccles. est scientia amplissima.

Antequam de studio Juris ecclesiastici agemus, quid, & quæ sit genuina Jurisprudentia ecclesiastica, videamus. Dum Jurisprudentiam ecclesiasticam nominamus, scientiam prorsus amplissimam nominamus, quæ per omnes cœteras scientias vagatur, plures disciplinas veluti quædam præcognita supponit, plures in suum vocat subsidium, singulas ferme in suum usum cumque prorsus singularem convertit.

Connexa ferme cum omnibus disciplinis, artibus & scientiis.

Etsi enim disciplinæ omnes amicis quibusdam sint colligatæ vinculis, nulla tamen majorem ac intimiorem nexum cum cœteris omnibus habere videtur, ac Jurisprudentia. Hæc enim illa est scientia, quæ supponit principia Philosophiæ & rationalis, & moralis, Jurisprudentiæ naturalis, ac ipsius Theologiæ (z), nec non historiæ potissimum ecclesiasticæ; suppetias mutuat a disciplinis humanioribus, Philosophicis, Theologicis, aliisque ad has quomodolibet pertinentibus, nec non, & quidem principaliter a cæteris Jurisprudentiæ speciebus, quocunque nomine illas appellare libuerit, prout in sequentibus fusius non nihil docebimus.

Sumitur dupliciter, vel systematice, vel habitualiter.

Age, & quænam sit Jurisprudentia ecclesiastica genuina, sincera, ac vera, videamus. Jurisprudentia sumitur dupliciter, vel *systematice*, vel *habitualiter*. *Systematice* sumpta est quoddam systema, quod nobis juxta præcepta artis methodice & scite exhibet leges divinas & ecclesiasticas ex scripturis, traditionibus, doctrinis Patrum, canonibus Conciliorum, decretis Pontificum, ut inde acquiramus veram Juris notitiam in ordine ad regendam Ecclesiam, informandos mores, & salutem animarum procurandam: *Habitualiter* considerata est scientia

(z) Vid. dicta Tom. I. Quæst. I. cap. I. de Jur. Can. in genere.

tia ac prudentia leges divinas & ecclesiasticas recte interpretandi, eas scite applicandi, & juxta eas actiones fidelium dirigendi, de causis judicandi, ut inde salus Reipublicæ ecclesiasticæ ac salus animarum eveniat. Paucis multa complexi sumus, ex quibus sequitur hallucinari illos, qui se veram Jurisprudentiam docere existimant, si operam suam locent unice in exponendis decretis Pontificum in jure Pontificio contentis. Altius eluctandum est: ad ipsos fontes recurrendum, canones ex Script. & Traditione sunt enucleandi, in auxilium necessarium Historia ecclesiastica est vocanda, & ex hac demonstrandum, qua occasione, ex qua causa hic vel ille canon constitutus fuerit: aliæ disciplinæ in subsidium assumendæ, maxime Philosophicæ, quæ nos docent artem recte cogitandi, judicandi, concludendi, quatenus his mediantibus de intentione Legislatoris, de spiritu legis rectum ferre judicium, ipsas leges scite & juxta regulas prudentiæ applicare, atque in salutem Reipublicæ catholicæ interpretari doceamur. Atque ut de genuino Jurisprudentiæ ecclesiasticæ conceptu clarius & evidentius constet, duplicem distinguere oportet Prudentiam, nempe *Juridicam*, ac *Politicam*, quarum prima respicit *Justitiam*, altera *Utilitatem*: illa docet, qua arte actiones nostræ secundum leges justa interpretatione ad facta emergentia sint applicandæ; hæc, quomodo actiones justæ salvis legibus Justitiæ in utilitatem Reipublicæ sint dirigendæ. *Prudentia Juris* prior esse debet: *Politica* priorem supponit, quia in omnibus actionibus instituendis primum respiciendum est, an illa actio sit *justa*; & postea demum, an sit *utilis* (a). Utramque conjungere oportet, & una sine altera neutiquam Jurisconsultum facit: Alterutra si desit, *Prudentia Juris* erit inutilis: *Politica* vero degenerabit in Pseudopoliticam (b). Hæc ex sequentibus fient clariora.

Qua arte sit docenda genuina Jurisprudentia ecclesiastica?

Duplex Prudentia, una Juridica, altera Politica, & utraque necessaria.

§. II.

Nomine studii Juridici intelligimus ipsam *Methodum recte & utiliter docendi & discendi Jurisprudentiam.* Ex hoc colligitur, hanc Methodum

Quid nomine studii Juridici veniat?

(a) Prudentiam tam *Politicam*, quam *Juris* dividunt Authores in duo membra: sic aliam dicunt Politicam *Architectonicam*, quæ versatur circa Rempublicam reformandam, & legibus utiliter instruendam; & *consultativam*, quæ docet Rempublicam jam formatam, & legibus instructam *utiliter* administrare.

(b) Ita quoque Prudentia Juris alia est *legislatoria*, quæ occupata est circa leges secundum *Justitiam* ferendas, vel etiam circa leges jam latas vel receptas secun-

Methodus duplex, vel ex parte docentium, vel discentium. dum se tenere vel ex parte *docentium*, vel *discentium*. Hic unice quærimus de studio Juridico seu Methodo studendi ex parte *docentium*, infra Cap. VIII. acturi de Methodo ex parte *discentium*. Est autem docere in genere ex mente Perillustr. de Ickstat (c), *rerum alteri incognitarum notiones distinctas verbis viva voce prolatis ejus animo ingenerare*. Et quia Juris scientia est *habitus leges & jura ex immotis principiis demonstrandi* (d), consequitur, docere Jurisprudentiam esse *legum & jurium notiones distinctas discentium animis verbis viva voce prolatis communicare, earumque legitimum usum demonstrare*. Discere vero Jurisprudentiam ex mente citati Authoris est *legum in vita olim applicandarum, atque Jurium cuique competentium notiones distinctas in animo suo efformare*.

§. III.

Ex parte docentium considerandæ qualitates, officia, & methodus. Quoniam vero hic unice *de Methodo docendi* dicere constituimus, tria ex parte docentium veniunt consideranda, nempe *qualitates*, quibus Magistrum instructum esse oportet; *Officia* muneri docendi annexa; & ipsa *docendi methodus*. De *qualitatibus* non est, quod dicamus: Officia vero docentium ex mente Perillustr. de Senckenberg (e) in eo *Quæ ad munus docendi pertineant secundum Methodum Wolfianam?* consistunt, ut doceat *subtiliter*, *perspicue*, & *utiliter*. Hæc officia fusius secundum methodum Wolfianam prosequitur citatus Illustris de Ickstat, atque sequentia potissimum ad munus docentis pertinere ostendit: Primo ut afferat legum & terminorum easdem ingredientium notiones distinctas. Secundo ut in numerum principiorum demonstrandi non assumat nisi *definitiones exasciatas*, experientias indubitatas. Tertio ut adhibeat etiam postulata ac lemmata, ex quibus dein sic connexis putat citatus Author sequi demonstrationem legis, atque veritatem unius legis per alias erui. Atque hic complexus legum inter se, & cum principiis suis connexarum juxta citatum Authorem *Systema* Juris audit.

Quoniam vero hæc sapiunt methodum Wolfianam, quam plures gravissimi Doctores in materiis Theologicis ac Juridicis parum utilem, nimis subtilem, ac confusam esse existimant, nos aliam Methodi do- *Quid sit Methodus?* cendi notionem dabimus: Nomine ergo Methodi nos intelligimus illam normam, & ordinem, quem sibi docentes in scribendo, docendo, traden-

secundum æquitatem emendandas; alia *Judiciaria*, quæ docet leges latas justa interpretatione ad facta obvenientia applicare.

(c) Opusc. 1. de Stud. Jur. cap. 4. §. 1.

(d) Loc. cit. §. 2.

(e) In Meth. doc. Jurisp. §. 46.

tradendoque Jure canonico præscribunt: & hoc in duplici sensu, quatenus vel certum ordinem in materiis tractandis; vel certas materias tractandas discutiendasque secundum certum ordinem assumunt.

§. IV.

Quantum ad Methodum docendi Jurisprudentiam secundum certum ordinem, illa varia est: alii enim ordine Decretalium; alii ordine Institutionum; alii methodo arbitraria Jus ecclesiasticum tractarunt. Hactenus plerique ordine Decretalium tum in conscribendis suis commentariis, tum in scholis processerunt. Sed nec desunt, qui ordinem Institutionum ad normam Lancelloti observarunt, uti Joannes Corvinus, Caspar Ziegler &c. Non pauci ex hodiernis sibi ipsis pro suo arbitrio ordinem & methodum tractandi materias, quæ sibi optima videbatur, selegerunt, quos inter ex nostris sunt Magnif. P. Schmier, Van-Espen, Claudius Fleury; ex Acatholicis Carpzovius, Gilbertus Voetius, Schilterus &c. Atque hanc methodum arbitrariam plures existimant esse optimam, dummodo sit facilis, & bene cohærens cum Jure ecclesiastico. Utrum id a parte rei sit verum, dicere non ausim. Id nobis certum est, & omnibus certum esse debet, quod in libris Decretalium non adeo accuratus sit ordo, nulla materiarum cohærentia, sed potius hinc inde mira rerum confusio, ac ipsa materiarum multitudo discipulis studium Jurisprudentiæ ecclesiasticæ assumentibus horrori ac terrori esse debeat. Sane optandum esset, ut Juris ecclesiastici studiosi per viam breviorem & faciliorem quibusdam veluti Institutionibus ad instar Institutionum Juris civilis compositis ad vastissimam Jurisprudentiam ecclesiasticam in Decretalibus contentam manuducerentur. Quapropter semper hactenus maximi habuimus tum ipsas Lancelloti Institutiones, tum Scriptores, qui in illas sua fecerunt commentaria, aut saltem illarum ordinem sunt secuti. Quoad illos, qui arbitrarium ordinem sibi fabricant, illud animadvertimus, quod tales fortassis sibi optime consulant: utrum vero etiam aliis optime sit prospectum, postquam jam certa methodus procedendi civitate donata est, nempe secundum ordinem Decretalium, haud facile definiveris: quantam enim non sentient difficultatem alii, qui methodo ordinariæ sunt assueti, si tales libros consulant, & in certas materias investigent? Præterea si Jurisprudentiam systematice sumamus, alii *Compendia;* alii *Systemata* Jurisprudentiæ ecclesiasticæ scripserunt, quorum integrum catalogum sistit Joan. Ernest. Floerckius (f).

Methodus est varia secundum beneplacitum docentium.

In Decretalibus non est ordo accuratus.

Utrum ordo arbitrarie assumptus sit optimus, jure dubitatur.

(f) Prænot. Jurisp. Eccles. §. 31.

§. V.

Ordo & methodus in feligendis materiis.

Longe majoris difficultatis res eft feligere certum ordinem, normam, & methodum in ipfis materiis tum feligendis, tum explicandis. Methodus hæc confiftit tum in materiarum magis utilium, ac nobiliorum felectione; tum in ordine illas tractandi. Quantum ad felectionem materiarum, oportet feligere materias Juri ecclefiaftico *proprias*, *magis utiles*, ac *nobiliores*. Dixi *proprias :* Quapropter eliminandæ funt inprimis materiæ alienæ. quæ per fe & primario ad Jurisprudentiam canonicam non pertinent. Unde in regulas bonæ artis delinquere mihi videntur illi Doctores, qui Jus civile cum Jure canonico ita commifcent, ut dubium relinquant, magisne exornandæ Jurisprudentiæ civili, an canonicæ infudaverint. Equidem ipfe Compilator Decretalium complures hinc inde immifcuit materias civiles: has tamen fobrie excutere oportet, in quantum id rei neceffitas exigit, ne utilioribus via præfcindatur. Dein habenda omnino eft ratio Jurium particularium, quæ cuivis Regno funt propria. Idcirco perperam facturus foret Magifter Jurisprudentiæ ecclefiafticæ in Germania, fi vel nullam, vel exiguam prorfus haberet rationem Jurium particularium Germaniæ e. g. Concordatorum, Pacis Religiofæ, & Weftphalicæ. Et quia Germania noftra in duas abit partes, nempe in Corpus Catholicorum, & Proteftantium, utriusque jura feparata, utut communia, cum Jure communi explicanda erunt.

Materiæ Juri ecclefiaftico propriæ funt feligendæ.

Magis utiles.

Dixi *magis utiles.* Quænam autem fint tales, a prudenti Doctoris arbitrio dependet. Ante omnia habenda eft ratio ipforum *difcentium*, atque ab horum conditione, ftatu, qualitatibus major vel minor utilitas materiarum menfuranda. Quis ergo non jufte indignaretur Jurium Magiftro, qui, dum Auditores habet tantum fæculares, neglectis aliis utilioribus ad conditionem Status pertinentibus materiis fe mirum in modum vellet diffundere in explicatione earum rerum, quarum notitia ad folos Clericos feu regulares, feu fæculares pertinet (g), quin hæc fcire vel neceffarium, vel utile fit laico; aut econtra Clericis regularibus ad vitam contemplativam, vel fæcularibus ad curam animarum deputatis quamplurima ex Jure ecclefiaftico publico ad Imperantes & ftatum ecclefiarum publicum fpectantia explicare contenderet (h)?

Inter

(g) E. g. de vita & honeftate Clericorum, de Ordinibus, de votis fubftantialibus Religioforum, aliisque eorum obligationibus.

(h) E. g. de electione Epifcoporum, de juribus Capitulorum &c.

Inter *materias magis utiles* omnino recensemus prima, eaque genuina & solida principia Juris canonici, quæ communius a Doctoribus in Prolegomenis Juris explicari solent: ab his enim veluti a fundamento dependet tota Jurisprudentiæ ecclesiasticæ structura, quod nisi fuerit solidum, facile totum ædificium eritruinosum, & suæ ruinæ proximum. Res sane indigna, quod hæc Prolegomena a plerisque Doctoribus neglectim habeantur, & jejune nimis tractentur, dum plerique contenti sunt, si in suis Prolegomenis pauca quædam de definitione, divisione, objecto & fine Jurisprudentiæ tradant, & collectiones in Corpore Juris clausas simpliciter recenseant; interea autem fontes originarios, historiam Juris, collectiones antiquiores, subsidia necessaria vel saltem utilia negligunt, prætereunt, & ne quidem attingunt, multo minus viam ad sublimiorem Jurisprudentiam ostendunt, aut methodum studendi tradunt. Sane operæ pretium foret, ut pertractandis Prolegomenis notabilissima anni pars, aut integer omnino annus consecraretur. *Quæ magis utiles?* *Prolegomena præprimis explicanda.*

Inde venit, quod non pauci nostrorum Doctorum a Doctoribus Protestantibus contemptui habeantur: eo quod ex solidis principiis sua jura non explicent. Aliud profecto est *Jus Pontificium*, & aliud *canonicum* seu vere *ecclesiasticum*: Jus mere *pontificium* a plerisque explicatur: Jus *canonicum* passim negligitur. Quænam autem sint hæc fundamenta, mox, ubi de ordine pertractandarum materiarum acturi sumus, exponemus. *Aliud jus Pontificium, & aliud ecclesiasticum.*

Inter materias summe utiles & necessarias primum locum meretur *Systema religionis & ecclesiæ*: cum enim longe alia principia religionis, & diversum prorsus Ecclesiæ systema habeant Catholici, & Protestantes, hæc sane præprimis dilucidanda erunt: secus per integrum decursum Jurisprudentiæ hallucinabimur, Jurisprudentiam nostram, ecclesiam, & religionem irrisionibus, & contemptui acatholicorum exponemus, & sæpe sæpius in hostem non visum, aut omnino in rerum natura non existentem Andabatarum more irruemus. Utinam hæc non quotidiana nos experientia doceret! Quapropter Magistrum Juris omnino oportet esse peritum etiam in lege divina, & principiis religionis & theologicis: sedulum esse oportet in legendis libris Sectariorum, eorum principiis perscrutandis, ruminandisque, ne falsa pro veris, aut vera pro falsis adoptet, aut venditet, quæ data occasione sine ullo conscientiæ scrupulo caute tamen, & circumspecte proponere licebit: sed ita licebit, ut simul falsitatem eorum demonstret, & argumentis for- *Systema religionis, & ecclesiæ præprimis explicandum.* *In quibus Magistrum Juris oporteat esse peritum.*

 tioribus

tioribus convellat. De hoc fyftemate nos plura alibi fcripfimus (i).

Quæ fint materiæ nobiliores?

Nobilitas defumitur etiam ab eruditione.

Dixi *Nobiliores:* defumitur autem *nobilitas materiæ* non ab utilitate duntaxat, fed etiam ab ipfa *eruditione*, ut adeo illæ nobis videantur materiæ nobiliores, quæ ad comparandam eruditionem fingulariter facere videntur: ea enim nunc vivimus tempora, quibus plerique fublimiora cogitantes, illi præcipue, quibus ftimulus honoris & gloriæ ineft, neutiquam funt contenti, fi ea tantum fciant, quæ fui funt muneris, & officii, & ad ipfos fingulariter pertinere dignofcuntur, verum etiam vere *eruditi* effe, aut faltem videri, & inter eruditos locum non ultimum poffidere contendunt. Quapropter in omni arte ac fcientia effe volunt Magiftri: quamquam cæteroquin negari nequeat, multum fæpe numero levitatis & vanitatis ineffe hujusmodi eruditis, aut videri volentibus, quippe qui de fingulis artibus, & fcientiis egregie, fi Superis placet, aliqua faltem difcurrere noverunt; in fundamento autem vel parum, vel nihil fciunt: & dum fe in plures difciplinas addifcendas diffundunt, nullam in ftatu perfecto poffident, eo grandiores fibi vifi, quo plura fine ordine, fine folido fundamento effundere, & de rebus omnibus, ac *quibusdam aliis* difcurrere poffunt. Huic rei confulemus, fi hiftoriam non modo ecclefiafticam, fed etiam profanam, ac literariam cum Jurisprudentia felici connubio conjungamus, & præcipue origines Jurium ecclefiafticorum folicite indagemus: hanc enim effe animam omnis eruditionis nemo fanus negaverit. Quoniam vero de Hiftoria ecclefiaftica infra acturi fumus, plura hic addere non vacat.

Datur eruditio vana & inanis.

Hiftoria cum ftudio Jurisprudentiæ conjungenda.

§. VI.

Jus ecclefiafticum vere tale explicandum.

Quantum ad *Ordinem* materiarum tum pertractandarum, tum explicandarum, in id præcipue attendendum erit, ut *Jus ecclefiafticum genuinum, fincerum, verum, & proprie tale* & quidem tam *publicum*, quam *privatum univerfale*, & *particulare* explicemus (k). Jam fupra monuimus, quod Scriptores & Doctores Juris ecclefiaftici vel fecundum *methodum & ordinem Decretalium*, vel *methodo naturali & arbitraria* procedere foleant. Varii Scriptores varia excogitarunt *fyftemata*, fecundum quæ explicandum foret Jus ecclefiafticum (l). Quidquid fit de opinio-

(i) In Differt. de Statu Ecclefiæ.

(k) Vid. Quæft. de Jure Canon. in genere.

(l) Inter Catholicos funt Doiuat, Perilluft. D. de Ickftat, Mabillonius; inter

opinione talium Virorum, secundum nostram opinionem *Ordo pertractandarum materiarum* hic sit: Incipiendum a Prolegomenis Juris ecclesiastici, atque in his præprimis natura, definitio, divisio, objectum, ac finis Juris ecclesiastici explanari debet. Postea explicandum est *Systema Ecclesiæ Catholicæ* prout distinctæ a Systemate noviter a prætensis Reformatoribus procuso. Tunc procedendum ad prima fundamenta, seu fontes originarios Juris. Ab his deflectendum ad historiam Juris ecclesiastici, & collectiones illius antiquas, novas, & novissimas tam universales, quam etiam particulares nostræ Germaniæ. His explanatis authoritas & usus Juris ecclesiastici exponi debet, ac demum methodus tradenda, secundum quam Juri ecclesiastico est studendum, ubi vel maxime se offert occasio agendi de illius præcognitis, & subsidiis, ac variis disciplinis, quarum notitia vel singulariter utilis, aut omnino ad comparandam sibi veram Jurisprudentiam necessaria esse videtur. *Qualis debeat esse ordo materiarum pertractandarum?*

His ita peractis interest, an quis *ordinem Decretalium* sequi, an *methodum naturalem & arbitrariam* seligere velit: si primum: filum porriget ipsum *Corpus Juris canonici.* Si alterum: tunc Magistro attendendum erit, ut materias invicem nexum mutuum habentes conjungat, e.g. si agat de *Personis ecclesiasticis*, tunc per omnes gradus *Hierarchiæ ecclesiasticæ* percurrendum erit, & agendum de Pontifice, Conciliis, Episcopis &c. de modis acquirendi Prælaturas, de Juribus, prærogativis illorum &c. si de *Rebus:* ad hanc classem reducendum erit, quidquid nomine *Rei* etiam in sensu latissimo venit e.g. decimæ, census & exactiones, Sacramenta, ritus & ceremoniæ, Ecclesiæ, Monasteria, Capellæ, Sepulturæ, peculium Clericorum &c. itaque quæcunque ex his utilior cuivis visa fuerit methodus docendi, illam seligat, & amplectatur, & nos non habebit sibi contrarios. *Ad quid Magistro in hoc ordine attendendum?*

§. VII.

Quantum *ad Methodum materiarum explicandarum*, iterum dico, explicandum esse *Jus ecclesiasticum* genuinum, non mere Pontificium, sed Canonicum: si ergo quæras, quodnam ergo sit *Jus ecclesiasticum genuinum?* in promptu responsio est: & dico esse illud, quod est conflatum ex Jure naturali, Divino, Pontificio, Historico, & Germanico. In id igitur incumbendum est Magistro Jurisprudentiæ, ut primitus, quotiescunque sese offert occasio, præcipue in Jus naturæ inquirat; & quid *Methodus materiarum explicandarum. Jus ecclesiasticum est conflatum ex jure naturali, divino, Pontificio,*

Protestantes Perill. de Senkenberg, Heumannus, Joan. Ernestus Floerckius &c.

Historico, & Germanico. quid ex Jure naturali in hac vel illa quæstione obtineat, circumspecte doceat: postea in Jus divinum facienda Inquisitio. Tunc origo hujus vel illius Juris, illius mutatio, alteratio, vicissitudo ex Historiis erit illustranda. His excussis inquirendum, quid Jure pontificio communi; ac demum quid Jure speciali Germanico, vel consuetudine & praxi obtineat. Profecto primarium Juris ecclesiastici fundamentum, ac præcognitum fundamentale illius esse Jus naturale mox infra dicemus. Historiam vero præcipue ecclesiasticam esse animam Juris ecclesiastici quis sanus dubitaverit? Et quare nos Germani jura nostra particularia vilipendamus, negligamus, & contemptim habeamus cum gravissimo nostro præjudicio ac dispendio privilegiorum, prærogativarum sane præstantissimarum; & talium quidem, quibus nullæ aliæ Nationes quibuscunque prærogativis insignes gaudere noscuntur (m)? cum sciamus, quod nationes aliæ pro suis Juribus quasi pro aris & focis dimicare consueverint (n). Aut qua arte obviabimus Protestantibus per Germaniam vi Pacis Westphalicæ toleratis, quibuscum non raro nobis agendum in puncto Religionis, Ecclesiæ, ac Jurium ecclesiasticorum, nisi sciamus, quid ex Jure nostro particulari obtineat? Rem itaque pretio inæstimabilem ille facturus foret, qui Jus aliquod ecclesiasticum, nempe Historicum, Pontificium & Germanicum compilaret.

Jus Ecclesiastico-Germanicum summopere commendatur.

Authores pro Jure ecclesiastico explicando. Pro *Historia* deservire posset Ludov. Thomassinus, Petrus de Marca, Fleuryus, Van-Espen, Binghamus; pro *Jure Pontificio* adornando Fagnanus, Gonzalez &c. *pro Germanico* Boehmerus, Kahle, Barthelius &c. Atque hæc nostra usque nunc docendi fuit methodus, ex qua haud parum utilitatis in nostros Auditores redundasse existimamus.

Alia adminicula. Et quoniam omne Jus redigendum in praxin, plurimum tum pro theoria, tum pro praxi conferent conferentiæ Eruditorum, & collegia exercitatoria, de quibus videantur Authores, qui ex professo de hac re scribunt. Hæc salvo aliorum judicio scripta sunto.

(m) Jus liberum eligendi Episcopos &c.

(n) Quid non agunt Galli pro suis libertatibus Gallicanis?

CAPUT

CAPUT III.

De Præcognitis & Subsidiis Jurisprudentiæ ecclesiasticæ specialiter de literis seu scientiis humanioribus.

§. I. *De Præcognitis.* II. *De Subsidiis Jurisprudentiæ ecclesiasticæ.* III. *De literis humanioribus, earumque necessitate in genere.* IV. *De Grammatica, & prima illius parte, ad quam pertinet tum studium linguarum.* V. *Tum ars emendate loquendi & scribendi.* VI. *De secunda illius parte, ad quam spectat tum ars ornate congruenterque dicendi, quam Rhetoricam appellamus, tum* VII. *Poetica.*

§. I.

Jam ad ipsam rem. Itaque ad Jurisprudentiam addiscendam varia requiruntur, quorum aliqua nobis dicuntur *Præcognita;* & alia *Subsidia:* Nomine *Præcognitorum* intelligimus prima Jurisprudentiæ fundamenta, easque omnes artes, & scientias, quæ ad Jurisprudentiam sive remote sive proxime sunt necessariæ. Sunt autem potissimum sequentia, quæ hic & nunc in compendio referemus. Nempe ad præcognita pertinent *Literæ*, ut vocantur *humaniores*, *Philosophia* secundum totum suum ambitum considerata (o), *Jurisprudentia publica universalis*, saltem in quantum continet *principia prima Juris naturalis & civilis* in eodem sensu. His ita suppositis transeundum est ad ipsam Jurisprudentiam ecclesiasticam, & quidem inchoandum illius studium *a proximioribus Præcognitis*, ad quæ pertinent ea ferme omnia, de quibus agitur in prolegomenis, præcipue vero notitia Scripturæ, Traditionum, Conciliorum, Collectionum; & historia tum literaria ipsius Jurisprudentiæ, tum ecclesiastica saltem aliqua, licet non perfecta, quam successu temporis expolire necessum erit. Sine his certe nemo unquam in Virum perfectum evadet, aut ad culmen Jurisprudentiæ consummatæ pertinget. *Quænam sint Præcognita Jurisprud. Ecclesiasticæ?*

§. II.

(o) Triplicem Erudit. Senckenberg Philosophiam statuit, nempe *Instrumentalem*, quæ est *Logica* & *Metaphysica; Theoreticam*, quæ est *Physica* cum *Mathesi; Practicam*, quæ est *Ethica;* imo etiam *politicam privatam*, seu *Oeconomicam*.

§. II.

Aliud sunt Præcognita, & aliud Subsidia.

Etsi Doctores quamplurimi inter *Præcognita*, & *Subsidia* Jurisprudentiæ distinquere non soleant, placuit tamen accuratioris methodi causa ambo ab invicem in eo distinquere: quod *Præcognita* ad Jurisprudentiam addiscendam ad instar regularum primarum, ac legum fundamentalium; *Subsidia* vero ad eam facilius sibi comparandam, excolendam, consummandamque pertinere videantur. Quapropter nomine *Subsidiorum* veniunt omnes illæ disciplinæ, artes, ac scientiæ, quæ, sicut mox dictum, Jurisprudentiæ comparandæ, expoliendæ, magis magisque excolendæ deserviunt. Hujuscemodi *Subsidia* sunt prorsus innumera. Huc inprimis pertinent Juris *Præcognita*, dummodo *necessaria* ab *utilibus*, & *utilia* a *necessariis* distinquamus. Quis enim negare auserit, *humaniorum literarum* notitiam aliquam saltem ad comparandam Jurisprudentiam esse necessariam? quis in dubium vocare auserit, neminem unquam in Jurisconsultum evasurum, nisi prima saltem principia *Philosophiæ* tam *rationalis*, quam *moralis* antea hauserit? At vero si has disciplinas secundum omnem suum ambitum ac latitudinem spectemus, neminem ego futurum existimo, qui affirmare contenderit, eas inter *Præcognita* Juris esse reponendas, atque ad comparandam Jurisprudentiam absolute necessarias. Quotusquisque enim est, qui hunc artium & scientiarum apparatum secum ad Jurisprudentiam addiscendam affert, aut illo se esse perfecte instructum dicere ausit, postquam cursum Jurisprudentiæ consummavit, jamque honorificum inter Jurisconsultos locum possidere existimat? Jam quæ hæc sint *Subsidia*, videamus.

Omnes disciplinæ artes & scientiæ Jurisprudentiæ suppetias ferunt.

Longiori disquisitione supersedere possumus, si paucis dicamus, omnes prorsus disciplinas, artes & scientias Jurisprudentiæ comparandæ, expoliendæque suppetias ferre, ac mutua auxilia. Appellamus ad Virum celeberrimum Joannem Heumannum Professorem Juris in Academia Altorfina, qui in suo apparatu Jurisprudentiæ ferme omnes artes & scientias inter *Subsidia* Juris recenset (p) literas humaniores, Grammaticam, Poeticam, Rhetoricam, linguarum Germanicæ, Latinæ, Græcæ, Occidentalium & Orientalium peritiam, Philosophiam triplicem, Historiam secundum suam totam latitudinem sumptam, nempe Ecclesiasticam, Literariam, Profanam, Romanam, Germanicam, ac aliarum Gentium, Chronologicam, Genealogicam, Heraldicam, Geographicam, Diplomaticam, Sphragisticam, Criticam & Hermeneu-

(p) Apparat. Jurisprud. Anno 1752. editus

Hermeneuticam, Politicam, Statisticam, Oeconomicam, Theologicam, ac Decorum etiam, ac denique Jus omne Naturale, Gentium, Romanum, Germanicum, Criminale, Publicum Imperii R. G. Feudale &c. Hæc qui legerit, quis non de Jurisprudentia perfecta unquam consequenda desperaverit? Quotusquisque enim est, qui hisce omnibus disciplinis sibi comparandis par est, aut esse potest? majora hæc sunt, quam ut a mortalium quocunque obtineri possint. Verum licebit transigere: non eo hæc dicta velim, quasi sine his omnibus nemo ad Jurisprudentiam in suo sensu perfectam eluctari valeat: nam inter *perfectam*, ac *perfectissimam* Jurisprudentiam distinquendum est: illam priorem quamplurimi assecuti sunt, quin ingenti illo disciplinarum apparatu fuerint instructi: hanc posteriorem nemo unquam mortalium, etsi omnes ingenii sui vires ac nervos ad comparandam eruditionem intenderit, consequi poterit. Itaque eo hæc dicta volo, ut hujuscemodi pulcherrimis disciplinis, artibus, ac scientiis comparandis sedulam impendamus operam, earumque notitiam talem nobis comparemus, qualem ingenii nostri viribus ac labore improbo assequi possumus. Id autem facile assequemur, si jam in primis juventæ annis non modo in literis humanioribus, sed variis aliis disciplinis, quarum capacissimi sunt Juvenes, præcipue in variis linguis, Historia, Geographia, Genealogia, Heraldica &c. instruantur. Liceat jam ex his quædam ad scopum nostrum applicare: nam fusiori disquisitione in has omnes disciplinas excurrere temporum angustiæ, quibus undique circumscripti sumus, prohibent.

Id intelligendum, si de Jurisprudentia ex omni parte perfecta sit sermo.

In prima juventute variis disciplinis incumbendum.

§. III.

Ordiamur a *literis humanioribus*, quas hodie etiam passim elegantiores vocant (q): eoquod disciplinis primariis lucem, decus, & gratiam concilient singularem. Quænam autem artes ad literas humaniores pertineant, nondum inter DD. convenit: alii angustiorem; alii latiorem humanitatis ideam formant. Multis sane literæ humaniores *Linguæ Latinæ*, *Græcæ*, *Eloquentiæ*, *Criticæ*, *Antiquitatum* & *Historiarum* notitia contineri videntur: Alii addunt *Philosophiam*; quidam artes *Mathematicas*. Præprimis huc referunt *Heraldicam*, *artem Theatricam*, & *Pictoriam*. Nobis unice hic agendum erit de *Grammatica*, in quantum hæc includit *studium linguarum*, *Rhetoricam* & *Oratoriam*, *Poeticam*,

Quænam artes ad literas humaniores pertineant, nondum inter DD. convenit.

(q) Galante Studien, belles lettres passim vocari consueverunt.

Literæ humaniores ad disciplinas severiores omnino sunt necessariæ. *Poeticam*, & *Criticam* (r). Siquæ sunt necessaria ad severiores disciplinas omnes addiscendas, illa certe sunt literæ humaniores, sine quibus nemo unquam ad veram eruditionis laudem pervenire potest. Res hæc adeo apud omnes certa est, ut illam in dubium vocare non liceat. Profecto si ullius rei, certe bonarum artium despicientia sui vindex est severissima: castigat enim suos contemptores per omnes cæteras artes, ac scientias (s). Dum exoptatissima ridet occasio, multi, nescio, quibus intemperiis abrepti in alia omnia ruunt; admoniti deinde: hic Rhodus, hic salta, erubescunt, temporisque jacturam lamentantur. Hæc, quæ in genere dicta sunt de necessitate humaniorum literarum ad severiores disciplinas, peculiari titulo ad omnem prorsus Jurisprudentiam etiam Canonicam pertinere videntur: cujus rei tot sunt testes, quot scriptores, qui integris dissertationibus hoc argumenti genus illustrarunt (t). Jam quæ & quanta sit conjunctio inter Jurisprudentiam etiam ecclesiasticam & literas humaniores videamus.

§. IV.

De prima parte Grammatices. Initium ducamus a *Grammatica*, & quidem prima illius parte, ad quam pertinet studium linguarum, ars emendate loquendi, & scribendi. *Studium linguarum utile & necessarium.* Quantum ad *studium linguarum*, nemo est, qui negare ausit, variarum linguarum scientiam hodiernis temporibus esse summe utilem, ac ferme necessariam: cum enim omnes Nationes expoliendis linguis suis summopere studeant, illarumque usum exteris etiam facere necessarium totis viribus contendant, & ex hoc ipso capite libros a se conscriptos in sua propria lingua conscribere soleant, nemo sane negaverit, illarum notitiam saltem ad librorum pretiosissimorum intelligentiam esse summopere necessariam. *Linguæ sunt diversæ.* Sunt autem linguæ diversissimæ, *publica*, quæ in legibus

(r) Perilluft. Senckenberg in methodo Jurisprud.

(s) Vid. Math. Pfaffius in Orat. quam de necessitate Grammaticæ ad Jurisprud. habuit, ubi inter alia sic habet: Es ist fürwahr um die Grammatic ein recht hoffärtiges Thier, welches seine Verachter auch in den höheren Schulen züchtiget.

(t) Huberus de Studiis Jur. cum elegantioribus studiis conjungendis. Jac. Frid. Æscard. Orat. de Artium in Jurisprud. necess. Gerhardus de necessaria Jurisprud. cum Philos. & humaniori literatura conjunct. Isingk. Orat. de vinculo in literas humanior. & Jurisprud. Cladenius Orat. de ambitu elegantioris Jurisprud. Georg Pertsch. de scientiis a Jure Cons. inprimis Germano addiscendis &c.

legibus ferendis, in judiciis & facris adhibetur (u); *Aulica*, quæ in aulis Principum dominatur (x); *vulgaris*, quæ omnibus terræ cujusdam vel civitatis incolis nota effe cenfetur; *vernacula*, quæ alicui genti, vel civitati eft propria, prout opponitur linguæ peregrinæ, & adfcititiæ; *Authentica*, quæ tanquam vera, ac primaria in certis negotiis confideratur (y); *Docta*, qua eruditi inter fe utuntur (z); *Occulta*, quæ fingitur, & non nifi a quibusdam intelligitur(a). Jam non mihi eft fermo de linguis exteris *Italica*, *Gallica*, *Anglicana*. Neceffitatem *linguæ Italicæ* propter arctiffimum nexum Regni Germanici, & Italici agnovit Carolus IV. in Aur. Bulla C. 30. in qua filios Electorum linguæ Italicæ peritos effe voluit. *Linguam Gallicam* quam latiffime dominari, illiusque ufum nobis neceffarium feciffe Gallos, nemo eft, qui ignoret. In Germania certe dominatum quemdam obtinuit, ita ut parum abfit, quin a quovis pediffequo, vel pediffequa Gallica lingua requiratur, & a quam plurimis illius loquela poffideatur. *Anglicanam* paffim addifcere folent doctiores in ordine ad intelligendos libros, quos Angli in magno numero & pretio orbi literario communicant. Itaque folummodo de linguis, quæ in fcholis noftris docentur, pauca dicemus: & funt tres, *Græca*, *Germanica*, & *Latina*. De *linguæ Græcæ* notitia in ordine ad intelligendum Jus Romanorum quid dicamus? veteres certe Romanos a Græcis fuas leges mutuaffe nemo eft, qui ignoret. Novellas græce fuiffe fcriptas, aliasque conftitutiones Imperatorum Orientis in lingua Græca emanaffe quis nefcit? & nunquid *lingua Græca* Mater *latinæ* audit? aut quomodo mores Romanorum fine Græcis intelliguntur? Deinde utique nemo adeo temerarius erit, ut negare auferit, linguam Germanicam Jurisconfulto Germano effe apprime neceffariam? nunc maxime, poft-

Neceffitas linguæ Italicæ.

Gallicæ.

Anglicanæ.

Tres funt linguæ, quæ in fcholis docentur.

De lingua Græca.

De lingua Germanica, quæ eft triplex, vetus,

(u) In Imperio noftro linguæ publicæ funt *Teutonica* & *latina*, quamquam iisdem non liceat uti promifcue. Nos Catholici in facris obeundis lingua utimur latina.

(x) Sic olim lingua Aulica in aula Cæfaris erat *Italica*; & hodie in multis palatiis *Gallica*.

(y) Sic facræ Scripturæ lingua authentica eft *Hebraica*, *Chaldaica*, *Hebraica*, & juxta plures *latina*.

(z) Talis femper fuit *latina*, quæ fuo fenfu eruditorum eft vernacula.

(a) Hujusmodi linguis utuntur fummi Principes, eorum Legati, Belliduces, ne fi literæ intercipiantur, myfteria occulta manifeftentur, & confiftunt in certis fignis, Cifris &c. ad hæc intelligenda pertinet Crytographia, five Stenographia &c.

nova, noviſſima. poſtquam Sæc. XIII. in negotiis publicis & tribunalibus adhiberi cœpit, & jam in Imperio noſtro publica evaſit (b). Eſt autem *lingua Germanica* duplex, una *vetus*, & altera *nova*: quidni dicere liceat, triplex, nempe *noviſſima*? *vetus* illa, qua antiquiores Germani utebantur, & hæc neceſſaria eſt pro intelligendis antiquis legibus, ſtatutis, diplomatibus & pro majore hodiernæ cultu; *nova*, quæ a pluribus jam ſæculis obtinuit & fuit uſualis in omnibus tribunalibus & negotiis publicis; *noviſſima*, quam adinvenerunt hodierni Scriptores, qui excolendæ linguæ Germanicæ ex profeſſo ſuam operam navarunt. Sane huic noviſſimæ linguæ ingentem ineſſe vanitatem neminem latere poteſt: & cur unus alterve Magiſter linguarum integræ Nationi regulas loquendi, ac ſcribendi præſcribere, & obtrudere ac munere Dictatoris fungi valeat? Et quem latent diſſidia, lites, & jurgia inter hos ipſos Dictatores, dum quivis altero doctior, & ſapientior eſſe, ſuasque regulas præ aliis valere, ac meliores eſſe contendit. Interim haud diffitemur, linguam noſtram Germanicam jam longe puriorem, ac a ſua barbarie eſſe purgatam: Et quis nobis Germanis indignetur, ſi excolendæ, perpoliendæque linguæ noſtræ operam demus? quid non faciunt Itali, & maxime Galli, ut linguam ſuam reddant puriorem, elegantiorem, illiusque uſum per omnes mundi plagas faciant neceſſarium? Ad linguam latinam veniamus, cujus gratia ferme omnia hucusque dicta diximus. Hanc noſtris ſaltem temporibus & per plagas Occidentis cæterarum linguarum facile eſſe *Principem*, & *publicam*, & eruditorum *vernaculam* quis ignorat? hæc apud Germanos ad Sæc. usque XIII. & ferme apud omnes politiores Gentes, Hiſpanos, Gallos, Britannos, Danos, Hungaros, Bohemos, & Polonos lingua fuit, & adhucdum in Imperio noſtro eſt publica. In hac lingua ferme plerique olim fuere ſcripti, & hodie ſcribuntur libri. In hac lingua jus tam civile, quam eccleſiaſticum fuiſſe conſcriptum res eſt manifeſta, quin verſio quædam Germanica exſtet: vel ſi exſtaret, publicam approbationem non haberet. Ad hanc igitur addiſcendam vel hoc argumento Jurisconſulti impelluntur, imo neceſſitantur.

De illius cultura hodierna.

De lingua Latina, quæ eſt Princeps, & eruditorum vernacula.

Ampliſſima & neceſſaria.

§. V.

Latina emendata & pura docetur in Grammatica.

Verum enim vero non de quacunque notitia linguæ latinæ, ſed de latinitate emendata, puriori, elegantiori, & notitia illius rectum verborum ſenſum, ac vim penetrante ad rectam interpretationem legum omnino

(b) Nam primam Conſtitutionem Imperii in lingua Germanica edidiſſe Fridericum II. Anno 1235. aſſerunt Scriptores.

omnino necessaria nobis potissimum est sermo, quæ per leges Grammaticæ addiscitur. Prudenter admodum admonuit Celsus: *scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem* (c): quibus verbis innuit in interpretandis legibus & verba legum, eorumque significatum esse rimandum, & simul ac principalius mentem esse eruendam. Et quis nescit duplicem esse interpretationem legum, nempe *Grammaticam* & *Logicam?* illa occupatur circa verba legum, eorumque genuinum intellectum, & significatum investigat: hæc mentem legislatoris explorat, verborum ambiguorum nodos dissecat, & legibus per verba ambigua corruptis medicinam criticam affert. Et quoniam per verba & varium illorum nexum mentis nostræ conceptus veluti per signa communicamus, opus est arte quadam, quæ nobis præcepta tradat, secundum quæ tum verba maxime scripta, tum nexus eorum recte intelligi possint, id quod proprium esse *Grammaticæ* omnes norunt. Elegantissimam sane *Exercitationem de Interpretationis Grammaticæ factis & usu* apud Romanos conscripsit celeberrimus Boehmerus (d), in qua ostendit interpretatione *Grammatica* haud secus, quam *logica* usos fuisse & Imperatores, & Juris-Consultos Romanos; interpretationem *Grammaticam* prævaluisse in *legibus duodecim Tabularum;* inde enatas fuisse *actiones legis*, & *formulas solemnes;* ac propterea Jurisconsultos Romanos Grammaticæ studium vel maxime excoluisse; atque ex hoc ipso provenisse, ut compilatores colligerent titulum de verborum significatione *interpretationi Grammaticæ* quidem inservientem, neutiquam tamen profundissimam hanc materiam exhaurientem: quod Jurisconsultis ansam præbuit, ut ex fragmentis antiquorum Jurisconsultorum ordine alphabetico uberiorem verborum copiam colligerent. Docet ulterius Boehmerus eo tempore, quo sedes Imperatoria Roma Constantinopolim fuit translata, linguam latinam mirum in modum fuisse corruptam: maxime quod Imperatores in ferendis suis legibus relicto nitore verborum novum scribendi genus adoptarint, ac in iis (loquimur verbis citati Authoris) *ampullas atque sesquipedalia verba* projecerint, quo non potuit non sæpissime sensus verborum ambiguus, & obscurus nasci, & grammaticæ interpretationi ingens poni obstaculum (e).

Est necessaria ad interpretationem legum, quæ est duplex Grammaticalis & Logicalis.

Grammaticalem adhibuerunt Imperatores, & Jurisconsulti.

Studium Grammaticæ apud Romanos.

Lingua latina quando nam & quomodo fuerit corrupta?

 Hæc

(c) L. 17. ff. de leg. (d) Exercit. 3. ad Pandect. lib. 1. Tit. 1.

(e) Nempe conjunxerunt *Grammaticam* cum *Dialectica*, & hæc Grammatica non consistebat in protelaria quadam recte loquendi, & scribendi arte, sed in profundiori scientia recte interpretandi Poetas, Historicos, aliosque Scriptores. cit. Author.

Suo flori restituta Sæc. XVI. Hæc latinitatis barbaries, & grammaticæ neglectus ex mente citati Authoris perduravit usque ad Sæc. XVI., quo tempore literæ humaniores reviviſcere, & ad vitam ex ſepulchris reduci ac interpretatio tum *Grammatica*, tum *Logica* poſtliminio reſtitui cæpit. Et quoniam omnis Grammatica interpretatio in duobus potiſſimum conſiſtit, nempe ut ope illius verborum obſcuritati lux clarior affundatur; & verborum corruptorum integritas reſtituatur, exiſtimat citatus Author, ad *Grammaticam* vel maxime pertinere *Artem Criticam*, id quod etiam putat Erud. Senckenberg (f), Verum de Critica infra dicemus.

Ex his, ni vehementer fallamur, ſatis demonſtratum manet, quanta *Grammatices* ſit neceſſitas ad omnes cœteras diſciplinas, Jurisprudentiam præcipue, quam ſane omnes ævi Scriptores agnoverunt. *In Grammatico deſideratur Ortographia, & ſtylus.* Verum enim vero, ut quis Grammaticus audiat, ſatis non eſt, ut verborum ſignificatum intelligat, ſed requiritur, ut ſecundum regulas Ortographiæ accurate; ſecundum regulas Grammaticæ ornate, & eleganter ſcribere addiſcat; ſicque ſtylum ſcribendi accuratum, legibus conformem, gravem, non inconcinne exornatum, aut phaleratum acquirat: etſi enim ſtylus ex lectione authorum claſſicorum obtineatur, ex regulis Poeticæ, & Rhetoricæ expoliatur, nihilominus experientia compertum habemus, nunquam ſtylum bonum acquiſiturum, qui regulas Grammaticæ neglexerit, & emendatam conſtructionem addiſcere contempſerit. *Idem dicendum de Jureconſulto.* Quapropter vel maxime danda eſt opera Ortographiæ, ac ſtylo: quam enim turpe eſt in Jureconſulto, ſi ſcripturæ illius innumeris erroribus ortographicis ſcateant? ſed quid hæc ad nos?

§. VI.

Altera ſpecies Grammatices eſt Rhetorica. Potius ad alteram ſpeciem *Grammatices* progrediamur, quam conſtituit *Rhetorica*: & eſt ars ornate congruenterque dicendi: hæc, quemadmodum ad ſapientis cujusque, ſic ad Juris ſtudioſi commendationem maxime pertinet. In ampliſſimas ſcientiæ hujus laudes excurrere, aut illius addiſcendæ regulas tradere, aut ejus partes, quales ſunt inventio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronuntiatio, optimi Magiſtri natura & imitatio, explicare ad nos non pertinet. Nobis ſufficit illius ſtudium, utilitatem & in certo ſenſu neceſſitatem commendare.

Uſus artis oratoriæ in Uſum artis Oratoriæ in omni Jurisprudentia eſſe ſummum, eſſe utiliſſimum, eſſe quodammodo neceſſarium, quis negare auſus fuerit? aut

(f) Hujus rei Boehmerus reum agit Juſtinianum, qui ex ſtylo Triboniani maxime in ſuis præfationibus verbis ſeſquipedalibus fuiſſe uſus videtur.

aut enim causæ oretenus sunt deferendæ, defendendæ, ac ventilandæ in Judiciis, prout olim fuit in usu apud Germanos, & adhuc hodiedum est in multis tribunalibus: & quam jejune perorabit Causidicus, Advocatus, & Patronus causæ, nisi aliquam eloquentiæ artem sibi perspectam habeat? aut Jurisprudentia docenda in scholis publicis: & quam ingratus accidet Magister suis Auditoribus, si nulla dicendi vi polleat? aut quis personam Judicis in quodam dicasterio sustinet, cui ex munere incumbit proponenda proponere, informare cœteros, ultimato decidere causam: Nunquid etiam huic necessaria est quædam eloquentiæ vis, ut & proponenda energice proponat, & pro decisione causæ potenter peroret? aut quis Legati, vel Ministri munere fungitur: atque his sine dubio sæpe dicendum erit de rebus gestis, vel gerendis, vel disceptandis, vel referre ad Principem, quibus proin bene dicendi studium valde est commendandum. Aut quis omnino Principis personam sustinet: & hic ipse, si singulari eloquentiæ dono fuerit præditus, majestati suæ singularem splendorem conciliabit. Aut quis eruditionem suam orbi literario scriptis & libris communicat: nisi in his qualiscunque eluceat vis eloquentiæ, parum laudis ab eruditioribus reportabit. Absit, ut his omnibus suadeamus eloquentiam phaleratam, comptam nimis, splendidam, & inconcinne exornatam, maxime Principibus, quibus perspicue & graviter, eloquentia Principe digna est loquendum. Judices sine fuco pronuntient. Causidicos olim disertos esse oportebat: *nec in foris nostris sine emolumento eloquentiam adhibebunt, quamquam judex non verborum pigmenta, sed argumentorum pondera debeat respicere* (g). A Professoribus in terminis terminantibus vim eloquentiæ requirunt Imperatores Theodos. & Valentin. in L. unica Cod. de Profess. qui in urbe Constantinop. &c. Ut nihil dicamus, quod gravissimi Doctores scribere non dubitent, totam processus Romani rationem ex Oratoribus, & Rhetoribus esse addiscendam. Quis in defendendis causis unquam potentior extitit Cicerone Oratorum Principe? & undenam hanc vim ac robur potentissimum provenisse existimamus, quam ex vi eloquentiæ, qua pollebat maxima?

omni jurisprudentia est summus, utilissimus, necessarius. *Magistris, & Judicibus.* *Legatis & Ministris.* *Principibus.* *Librorum Scriptoribus.* *Causidicis.*

Hæc neutiquam eo dicta volumus, ut alicui persuadeamus, *Rhetoricam Juridicam* esse præferendam *Jurisprudentiæ*: nam libenter fatemur, & fateri necessum habemus, plus inesse ponderis argumentis ex legibus Juris & Jurisprudentiæ, quam ex verborum ac sententiarum periodis, ac a Judice primas esse deferendas potius legibus, & modis

(g) Heumannus in Appar. cap. 10. §. 86.

Testimonium Grotii super his.

modis probandi Juridicis, quam excultis oratiunculis. Super his audire libeat Hugonem Grotium, qui in disertissima ad Gallos epistola ita scribit: *Jureconsulti munus Virum magnum non faciet, nisi accedat eloquentia. Magnum equidem est, ac difficile, mentem Philosophicis, atque Mathematicis disciplinis cultam exornatamque habere, majus atque difficilius in historicis, diversarumque linguarum peritia Coryphæis annumerari: at eloquentia pollere, omnesque ejus vires, robur, atque veneres in sua tenere potestate, hoc omnium duco maximum difficillimumque. Nam sit etiam, ut quis omnibus hisce pereximiis elegantioris eruditionis gaudeat facultatibus, attamen personæ tragicæ non videtur absimilis, quæ, nisi eloquentia tanquam Roscius accedat, atque ingenioso gestu vivam spectantibus repræsentet, parum a statua aut umbra recedere videtur. Etenim, si causa aliqua litigantium controversa ad judicem deferenda est, nemo non videt, maxime necessariam esse homini forensi eloquentiam &c.* Ita refert Grotium Fridericus Augustus Junius (h): & inde concludit his verbis: *Tantum vero abest, ut Philosophia, Mathesis, Historia, linguarum cognitio sufficiat ad omni ex parte, omnibusque numeris absolutum Jurisperitum, ut potius ultimum Magistri requisitum, eloquentia scilicet, orisque facundia omnem vim ac veluti spiritum illi tribuat.*

§. VII.

Tertia pars Grammaticæ est Poetica.

Tertia Pars *Grammaticæ* est *Poetica*, haud secus commendanda ad instar subsidii Jurium studiosis, ubi sensa nostra ligato sermone exponimus. De Poeseos præstantia sententia discors: aliis carmine nihil levius; aliis nihil divinius, nihil antiquius. Nobis unice de utilitate Studii Poetices agendum, de quo sic scribit Heumannus (i): *Qui solidiorem Juris præsertim Romani notitiam appetunt, ii multa cum utilitate veteres Poetas legent.* Perillustr. Senckenberg hujus utilitatem in duobus collocat, dum dicit: *Poetas legendo cum judicium acuimus, tum ad jus facientia seligimus* (k), ubi insuper ex probatissimis Scriptoribus probat, Jurisconsultos medii ævi fuisse Poetas, atque Poetas Romanos multa Juridica, Germanos Juridica cum Historicis præbere. Quanti hodie æstimetur Poesis Germanica, neminem latere existimo. Cætera *ad studia humaniora* pertinentia ob temporum angustias præterimus.

Utilissima Jurisconsultis.

(h) Differt. de Requif. Magistri Jureconsulto maxime necessariis.

(i) Vid. Heumannus loc. cit. cap. 11. §. 91. (k) Meth. Jurisp. §. 33.

CAPUT

CAPUT IV.

De Disciplinis Philosophicis velut altero Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ subsidio.

§. I. *De Philosophia, illiusque divisionibus variis.* II. De Philosophia instrumentali, illiusque prima specie, quæ est Logica. III. *De altera illius specie, quæ est Metaphysica.* IV. *De Philosophia Theoretica, ad quam inprimis pertinet* Physica, *dein &* V. *Anatomia ac Medicina, postea* VI. *Disciplinæ Mathematicæ.* VII. *De Philosophia practica seu morali, ad quam primitus pertinet Ethica, dein* VIII. *Jus naturæ, postea* IX. *Politica, ac demum* X. *Decorum.*

§. I.

A disciplinis humanioribus ad *disciplinas Philosophicas* transitum faciamus, & quid subsidii hæ præbeant Jurisprudentiæ videamus. Non moramur hic ipsum nomen, originem, definitionem, ac varias *Philosophiæ* divisiones: nobis unice cordi est illius seu necessitatem seu utilitatem in ordine ad Jurisprudentiam addiscendam inquirere. Itaque relictis variis divisionibus ac subdivisionibus Philosophiæ, quibus dividitur in *Hebraicam, Ethnicam* & *Christianam;* & hæ iterum subdividuntur in varias classes e. g. *Hebraica* in *Judaicam*, *Sadducæorum*, & *Essæorum* (l); *Ethnica* in *Barbaricam*, *Græcam* & *Romanam*; *Barbarica* ulterius in *Asiaticam*, *Africanam*, & *Europæam*; *Græca* in Mythicam & realem, *Empiricam*, & *Theoreticam* (m); *Romana* secundum varias Philosophorum sectas in *Epicuream*, *Platonicam*, *Stoicam*, *Aristotelicam*, quod idem dicendum de *Philosophia Christianorum*, quorum plerique secuti sunt Platonicam, & Stoicam (n), ac postea *Aristotelicam*, ex qua dein prodiit *Philosophia Scholastica* (o). Nos triplicem statuimus *Variæ divisiones Philosophiæ.*

(l) Nempe juxta triplicem sectam vid. Heumann loc. cit. cap. 26. §. 194.

(m) *Theoretica* tres gignebat sectas *Jonicam*, *Eleaticam*, & *Italicam*.

(n) Patres antiquos plura adoptasse principia ex Philosophia Platonica ad explicanda quædam fidei dogmata, plures etiam ex Catholicis fatentur. Vid. Dallæus de usu Pat. Mosheim. de turbata per Platonicos Religione Christiana.

(o) Nomen traxit a Theologia Scholastica, quæ Philosophiam Aristotelicam in suos convertit usus.

Huc pertinet Instrumentalis, Theoretica, & Practica cum suis speciebus.

mus Philosophiam, nempe *Instrumentalem*, quæ complectitur *Logicam*, & *Metaphysicam*; *Theoreticam*, ad quam pertinet *Physica*, *Mathesis*, & *Medica*; ac denique *Practicam*, quæ comprehendit *Ethicam*, *Politicam* privatam, seu *Oeconomiam*, ac *Publicam*, id est *Architectonicam* & *Rectoriam* cum Juris Naturæ & Gentium placitis.

§. II.

De Logica, ejusque necessitate ad Jurisprudentiam.

Incipiamus a *Philosophia Instrumentali* seu *Logica*. Profecto nexum individuum *Philosophiæ* cum *Jurisprudentia* jam dudum monstrarunt Viri literatissimi Daniel Guiliel. Mollerus (p). Joan. Henr. Mylerus (q). Christian. Wolff (r), Gottsched (s), aliique. Et nunquid ferme omnes Jurisconsulti Romani fuere Philosophi, maxime Stoici, quorum principia in quamplurimis legibus luce meridiana clarius elucescunt (t)?

Quid sit Logica?

Logices vero si non necessitatem, saltem utilitatem agnovit ipse Cicero, dum sic dicit: *Sic enim existimo Juris civilis magnum usum & apud Scævolam, & apud multos fuisse; artem in hoc uno, quod nunquam effecisset ipsius Juris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ docet rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explicare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa judicarentur, & quæ quibus positis essent, quæque non essent consequentia* (u).

Omnibus jurium peritis est necessaria.

Ecquid enim est *Logica*, nisi ars recte cogitandi, directrix rationis in apprehendendis, & demonstrandis veritatibus, doctrix definitionum, divisionum, demonstrationum, methodi &c.? Sane si quæ alia, certe Jurisprudentia hac magistra, directrice, manuductrice, & arte indiget, quippe quæ nihil est aliud quam *habitus interpretandi, demonstrandi, & denique veritates demonstratas non sine rationibus ad obvenientes hominum actiones applicandi*. Fluit inde maxima, quæ inter Jureconsultum, Leguleium, & Rabulam, par nobile fratrum, intercedit differentia. Fluit inde, Jureconsultum regulis demonstrandi, verum a falso discernendi, interpretandi, atque applicandi, quas Logica pertractat, destitutum neque muneri

(p) Differt. de Conjunctione Jurisprudentiæ cum Philosophia.

(q) De Studio Philosphiæ conjungendo cum studio Juris.

(r) De habitu Philosophiæ &c.

(s) Rede, daß ein Jurist ein Philosoph seyn müsse.

(t) De Stoica Jureconsultorum Philosophia doctissimam exercitationem scripsit Boehmerus ad Pandect. Exercit. 1. Lib. 1. Tit. 1. & 2.

(u) Cicero in Bruto cap. 41.

neri Advocati, multo minus Judicis ſuſtinendo eſſe ſufficientem; & periculum ſubeſſe, ne ambo hallucinentur, in regulas Juſtitiæ impingant, & fas ac nefas miſceant. Demus caſum, quem ponit ſupra laudatus Godofredus Junius (x), demus inquam, Viros duos in lege peritiſſimos, in toga duumviros agere in judicio, & ambos cauſam ſuam diſerte, facunde, dexterrime, aut etiam millenis aſtutiis, verborumque lenociniis ita defendere, ut cujus ſententiæ ſubſcribat, teſſeramque adjiciat Judex, anceps diu dubiusque hæreat. In hoc ſane caſu non ſufficit intellectus, ſed limato, terſoque opus eſt judicio apparentes veri affectiones ab ipſa veritate dijudicandi, atque diſcernendi. Sed quis Judici inter ſacrum & ſaxum hærenti, in labyrintho inextricabili conſtituto in ordine ad decidendam cauſam filum præbebit Ariadnes præter Logicam? Jam ſupra monuimus, interpretationem aliam eſſe *Grammaticalem*, & aliam *Logicam*, & hanc eſſe magis principalem, imo animam interpretationis: ſine Logica Jureconſultus nec titulum de V. S. nec titulum de R. J. apte explicabit, quin in errores labatur graviſſimos. Sed quid rem aliunde probatiſſimam multis probationibus fruſtra probare contendimus? Quænam autem Logica ſit optima, & ad uſum Juriſprudentiæ accommodatiſſima, indeciſum relinquimus. Huc pertinent ea, quæ ſcripſit Perilluſtr. de Ickſtat ſupra citatus (y).

Interpretatio logicalis eſt præcipua.

§. III.

Ad Philoſophiam *Inſtrumentalem* pertinet etiam *Metaphyſica*. Etſi non deſint, qui hanc ſcientiam explodunt veluti inanem, ridiculam ac phanaticam, utpote quæ viam ſternit planiſſimam ad fanatismum: cum experientia compertum habeatur, quod ferme omnes Metaphyſici in fanatismum proruperint, abſurdorum ſyſtematum authores evaſerint, aut in atheos vel deiſtas degeneraverint, attamen Viri ſaniora ac ſublimiora ſapientes eam tanquam ſcientiam univerſalem miris laudum encomiis, atque elegantiſſimis commentariis exornarunt, quo in genere Anglos excelluiſſe aſſerunt. Idcirco mirum non eſt, quod hodiedum in ſcholis publicis magno cum applauſu doceatur. Eſt autem Metaphyſica ex mente Philoſophorum Sapientia quaſi univerſalis & univerſalium; & quia tria ſunt ſuprema rerum genera, nempe *res æternæ, factæ*, & *poſſibiles*, ideo Metaphyſica dicitur diſciplina, quæ tradit cauſas & rationes maxime generales rerum æternarum, factarum, & poſſibilium

Metaphyſica a non paucis turpiter traducitur.

Ab aliis ſumme laudatur.

Quid ſit?

(x) Diſſert. de requiſitis Magiſtri.

(y) Diſſert. de Stud. Jur. util. Inſtit.

In tres vel quatuor partes dividitur. ſibilium ſecundum ordinem inferiorem & intelligibilem (z). Eam Auctores communiter dividunt in tres, vel omnino quatuor partes, in *Ontoſophiam* vel *Ontologiam*, quæ eſt ſcientia maxime univerſalis, & occupatur circa ens, & illius proprietates generatim; in *Coſmoſophiam*, ſeu *Coſmologiam*, quæ agit de mundo univerſim, & tradit principia, originem, & ordinem hujus rerum Univerſitatis; in *Pſychoſophiam*, in qua agitur de natura, & mente humana, & ſpirituum natura inveſtigatur; & demum in *Theoſophiam* ſeu ſcientiam DEI, & rerum humanarum, quæ eſt ipſa *Theologia naturalis*. Ampliſſimam ac nobiliſſimam hanc eſſe ſcientiam, quoad eas præcipue partes, quæ vocantur *Pſychoſophia ac Theoſophia*, nemo ibit inficias, utpote in quibus agitur de anima, illius origine, proprietatibus, ſpiritualitate, immortalitate, ac commercio inter corpus, & animam (a). Item de DEO contra Atheos, Deiſtas, Materialiſtas, Pantheiſtas, Naturaliſtas, & hujusmodi hominum monſtra. Quoniam vero hæc ſunt altioris indaginis, & neutiquam ad nos pertinent, id unum dilucidandum eſt, quid ergo ſubſidii Metaphyſica præbeat Jurisprudentiæ, aut quem uſum habeat? paucis, quæ noſtra ſit mens, dicemus: inprimis enim juvat vel maxime, ut Jurisconſultus intelligat conceptus Theologorum, ac Philoſophorum, ac in Scholaſticorum modo & ratione loquendi non ſit imperitus: ſecus ne quidem libros, & modos loquendi Jureconſultorum intelliget, quibus ſæpe neceſſum eſt philoſophari, & modos loquendi ex Metaphyſica mutuare. Quantum non utilitatis ex *Pſychoſophia* haurient judices, in qua agitur de *Spiritibus?* cum enim haud infrequenter in judiciis occurrant cauſæ criminis magiæ ſagarum &c. profecto judici deciſionem ſimilium cauſarum faciliorem longe reddent principia, quæ ex hac ſcientia mutuaverit. Sed hæc miſſa faciamus.

De Theologia naturali.

Metaphyſicæ neceſſitas & utilitas ad Jurisprudentiam.

§. IV.

Phyſica agit de rebus naturalibus. Ad Philoſophiam *Theoreticam*, ſeu *Phyſicam* properandum eſt, illiusque uſus & utilitas in Jurisprudentia expendenda. Phyſica eſt ſcientia *Corporis naturalis*. Eſt ſcientia prorſus ampliſſima, nobiliſſima, quæ

(z) Et per hoc diſtinquitur a Phyſica, quippe quæ tradit cauſas proximas rerum, easque ſecundum ſuum ordinem exteriorem examinat.

(a) Quæſtio de commercio inter corpus & animam eſt una ex præcipuis, circa quam notiſſima ſunt varia Syſtemata, nempe Occaſionaliſticum, Ariſtotelicum per influxum Phyſicum, ac Harmonia præſtabilita Leibnitii.

quæ hodie longe majori studio, quam olim, excolitur, præcipue experientiarum principiis suffulcitur, ac per omnem naturam atque res naturales pervagatur. Sed quis nescit res naturales, non in quantum considerantur secundum suam essentiam & proprietates, sed in quantum ad vitam civilem sunt necessariæ, in patrimonio nos beant, ad meum, & tuum referuntur, ad Jurisprudentiam spectare? nonne in legibus agitur de aqua (b) aere, mineralibus (c) metallis eorumdemque confusione, atque specificatione (d) de vegetabilibus, de brutis animantibus, & quæ sunt reliqua (e). Et quamvis Jurisprudentia non agat de rebus, de glebis, de elementis, in quantum sunt res, sed potius de Jure earum e.g. de Jure territorii, hauriendi aquam, multifariam tamen ipsa res in quæstionem venire potest, haud secus quam in *Politica privata* seu œconomica quæritur e. g. an & quomodo hæc terra in culturam redigi possit. Documento sunt tot Jurisconsultorum commentationes, in quibus quælibet corpora in jus vocantur: sic Carpz. disseruit de Jure circa aërem; Stryckius de Jure Principis aëreo; Link. de Jure ventorum: quantum clima ad leges ferendas valeat, ostendit author de l'Esprit de Loix: agit Boehmer de Juribus diversis ex diversitate climatum natis: utique in servitutibus consideratur lumen, ventus &c. quam sæpe aqua fluminum materiam disceptandi præbet tam in Jure publico quam privato (f)? Hæc an utiliter discuti valeant sine ope Physices, judicet æquus rerum arbiter.

Quomodo res naturales ad Jurisprudentiam spectent?

Quomodo Jureconsultis necessaria & utilis?

§. V.

Et quia Anatomia ac Medicina notabilis Physices pars esse creditur, etiam de hac quædam dicere fors non erit ingratum ac inutile. Ea est hujus artis præstantia ac utilitas, ut hodiernis temporibus nemo eorum, qui inter eruditos nomen profitentur, illud sicco pede prætereat, imo negligere nefas ducat. Absit, ut de commodis hujus artis remotioribus vel proximis etiam in genus humanum dimanantibus agamus. Sola commoda in Jurisprudentiam redundantia obiter ante oculos ponamus. Quæso quot non causarum & quæstionum figuræ quotidie ferme Judici, ac Jureconsulto offeruntur, quæ sine scientia medica vix dirimi possunt? quid si de lethalitate vulnerum, de impotentia conjugum,

Quomodo Anatomia, ac Medicina ad Jus spectet?

(b) §. 1. J. de R. d. (c) §. 18. eod.
(d) §. 25 & 27. J. eod.
(e) §. 12. & seq. eod §. 1. ad Leg. Aquil. Tit. si quadrup. pauper &c.
(f) Cit. Heuman. loc. cit.

jugum, de partu ſeptimeſtri legitimo, & præſumptione, quot liberos fœmina uno partu edere poſſit, de homine, an torturæ ſubjici poſſit, oriatur quæſtio? equidem in promptu ſunt Medici, Chirurgi: Sed nunquid ad *decorum* ſaltem Judicis pertinet, ut ipſe etiam ſuam ferre ſententiam ſciat? Et quid ſi eam ſuper reſponſis & conſiliis Medicorum dare debeat?

§. VI.

Matheſis eſt ſcientia ſumme neceſſaria & utilis, & hodie mirum in modum excolitur.

Progredimur ad diſciplinas mathematicas. Si quæ ſane eſt ars, ac ſcientia, quæ ferme in omni ſocietate humana eſt neceſſaria & uſum habet quotidianum, frequentiſſimum, veluti perpetuum, ea eſt Matheſis, ut adeo mirum non ſit, hanc præcipue ſcientiam nunc temporis addiſci ab omnibus, qui ſaniora ſapiunt, aut ſuo tempore ad munera publica promoveri, aut eruditis annumerari cupiunt. Et quis neſcit eam hodie ſingulari ſtudio excoli in ſcholis publicis, eam promoveri a ſummis Principibus? Sciunt nempe quam optime optimi Principes, quanti interſit boni Reipublicæ, ut habeantur Viri in hac arte periti.

Habet dogmata certa.

Profecto *ars* hæc *oſorem hodie vix habet, niſi ignorantem* (g), & id habet ſpeciale, quod tradat dogmata certa, ut nusquam terrarum in dubium vocari valeant: quæ gloria ſoli Matheſi eſt propria, & cæteris diſciplinis denegatur. Non præſtat in ulteriores illius laudes fuſius excurrere.

Quid ſit?

Eſt autem Matheſis ſcientia, qua quantitatum inter ſe conjunctiones demonſtrantur, vel quæ rerum pondera, numerum, menſuram, durationem definit. Ferme innumeræ illius ſunt ſpecies, quas recenſere ſupervacaneum ducimus.

Ejus utilitas in Jurisprudentia practica eſt ſumma.

Quanta vero ſit utilitas hujus ſcientiæ in Jurisprudentia potiſſimum practica, quis dicere ſatis valeat? Nonne Jurisconſultis, Judicibus, Cauſidicis quotidiani obveniunt caſus, in quibus indigent auxilio Matheſeos? e. g. dividenda hæreditas, æſtimandum damnum, annotandi reditus annui: nonne in his opus eſt

Ferme in omnibus cauſis & negotiis.

Arithmetica? quam turpe & probroſum eſt, hujusmodi rebus celerrimæ expeditionis ac momentaneis tres quatuorve dies deliberando inſumere? longe majori profecto cedet honori, longeque majori emolumento, ſi ipſe Judex diſtantias locorum, turrium altitudines, foſſarum profunditates, aquarum alluviones, proprio calculo emetiri didicerit, quam ſi, quæ ſibi ad componendum demandatæ fuerint finium regundorum lites, Geometræ cujusdam menſuræ relinquere debeat. Id vero præſtare Geometriam, Trigonometriam quis dubitet? in emptionibus

(g) Verba ſunt Heumanni in Appar. cap. 31.

ptionibus venditionibus, locationibus conductionibus, societatibus, tutelæ administratione, in detractione quartæ falcidiæ, trebellianicæ, in rerum communione, divisione nonne quotidianus usus Arithmeticæ, & Algebræ? in actione finium regundorum, servitute tigni immittendi, altius tollendi, urbibus muniendis quis Geometria, Trigonometria, Mechanica, Architectura tam civili quam militari opus esse non videat? hæc, nisi vehementer fallamur, studium Mathematicum illis, qui ad Jurisprudentiam addiscendam sese accingunt, omnino vehementissime commendare deberent. Quibus hæc non sufficiunt, legant innumeras, quæ prostant, Dissertationes, quibus Jureconsultis Matheseos studium mirum in modum commendatur.

§. VII.

Denique ad Philosophiam *practicam*, seu *Moralem*, gressum promoveamus, quam hodie in diversas disciplinas dispescunt, nempe in *Ethicam*, in *Jus naturæ*, in *Politicam*, & *Decorum*, juxta diversitatem officiorum ac obligationum nostrarum: sunt enim alia officia *necessitatis & stricti Juris*, & de his agit *Jurisprudentia naturalis*, ac sub diversa ratione etiam *Ethica*; alia *honestatis*, & hæc examinantur in *Ethica*; alia *utilitatis*, quæ examinantur in *Politica*; alia demum *Decori*, quæ in ipsa Ethica examinari a morum Magistris solent. *Ethicam* una cum *disciplina Juris naturæ* esse basin & fundamentum totius Jurisprudentiæ, in confesso est apud omnes, sine quibus si quis Jurisprudentiæ seu ecclesiasticæ seu civili addiscendæ se consecret, ne is unquam se in Jurisconsultum evasurum sibi persuadeat: quin imo se quam sæpissime hallucinaturum, atque in omnes leges *naturales*, *divinas*, ac *humanas* commissurum pro certo habeat. Profecto apud antiquos nulla pars Philosophiæ tanto studio fuit exculta, ac Philosophia moralis, ita ut illi proprie fuerint vocati Philosophi, qui se studio Ethices consecrarunt. Excelluerunt in hoc genere Philosophiæ, & inter morum Doctores *Græcos* Stoici præcipue, nec non Socrates, & Aristoteles; inter Romanos Seneca & Cicero. Sed ne in vanum agamus, nolumus hoc Ethices studium aliunde commendatissimum Jurium Candidatis amplius commendare.

Philosophia practica seu Moralis.

Dividitur in Ethicam, Jus naturæ, Politicam, & Decorum.

Ethica & Jus naturæ est fundamentum Jurisprudentiæ.

§. VIII.

De *Jure naturæ* quid dicamus? Etsi hæc disciplina olim separatim non fuerit exculta, ac veluti pars Ethicæ habita, prout ostendunt Scriptores, qui historiam Juris naturæ scripserunt, hodiernis tamen moribus

Jus naturæ olim pars Ethicæ fuit habita, hodie vere se-

paratim summo studio excolitur. bus separatim exponitur, & ita excolitur, ut dubitare liceat, num sit aliqua disciplina, pro qua excolenda plus laboratur, ac sudatur a Viris primæ eruditionis, quam pro Jurisprudentia naturali, quemadmodum alibi ostendimus (h). *Illius instauratores Grotius, Pufendorffius, aliique.* Instaurator hujus disciplinæ perhibetur Hugo Grotius, cujus liber *de jure belli & pacis* Epocham quasi constituit. Grotii exemplo excitati duo Angli Joan. Seldenus, & Thomas Hobbesius Jus naturæ nova ratione exposuerunt. Secutus est Samuel Pufendorffius, magnum illud Numen Protestantium, qui novum fabricavit Juris naturæ Systema sæculis cunctis, si fides sit habenda Heumanno (i), profuturum. Et quis jam in numerum cogat sequaces omnes, qui Juri naturæ illustrando suas locarunt operas, omnesque ingenii sui nervos impenderunt? *Ex eclectica philosophandi ratione depravatur.* Id unum dolendum, quod ferme omnes de jure naturæ eclectice philosophari cœperint, suum quisque genium sequatur, quivis sibi proprium Systema cudat: unde factum est, ut tot monstrosa systemata, & monstra doctrinarum (k) cum gravissimo dispendio Religionis, Reipublicæ tam ecclesiasticæ, quam politicæ in lucem prodierint: ut jure dubitari valeat, plusne detrimenti, an utilitatis ex studio & cultura hujus disciplinæ in publicum redundaverit (l). Sed hæc missa faciamus.

§. IX.

Politica quid sit? Ad Politicam progrediamur, quæ docet salvis legibus procurare utilitatem tam publicam, quam privatam. Notanter diximus *salvis legibus*, ut differat a *Pseudo-Politica*, quæ spretis legibus solam utilitatem veluti cynosuram respicit. *Est diversissima.* Ex quo consequitur, quod alia sit *Politica publica*, & *alia privata:* illa utilitatem publicam respicit: & est vel *legislatoria*, vel *Judiciaria*, vel *consultatoria* (m): *legislatoria* propria est legislatoribus, quibus in ferendis legibus, & constituendis aliis ordinationibus vel maxime ad utilitatem publicam est attendendum: *Judiciaria* pertinet ad Judices & Jureconsultos, & locum habet in interpretatione, & applicatione legum: *Consultatoria* spectat ad Ministros & Consiliarios Principum, quibus incumbit obligatio saniora suggerendi consilia, ut inde resultet utilitas publica. *Politica privata dicitur Oeconomia.* Hæc, id est *Politica privata*

(h) Vid. Differt. de Statu Ecclesiæ, cap. 1.

(i) In Appar. cap. 33. §. 257.

(k) Huc pertinet Systema Hobbesianum.

(l) Cit. Differt. de Stat. Eccles. cap. 1.

(m) Vocatur etiam *Architectonica*, & *Electoria.*

vata communius vocatur *Oeconomia*, quæ docet modum vitæ hujus subsidia prudenter acquirendi, tuendi, ac dispensandi. Et quia alia *Oeconomia Principum*, alia *nobilium*, & alia *pauperum*, alia *divitum*, recte dividitur in publicam, & privatam; in universalem, & particularem. Studium œconomicum esse antiquissimum, usu tamen magis, quam literis propagatum, omnes scimus. Attamen regulas quasdam *Oeconomiæ* rite instituendæ ab antiquis Scriptoribus fuisse traditas legimus (n). Artis hujus necessitatem procul dubio Germani prope perspexerunt: quapropter eam tanta contentione expolire cœperunt, ut illam & scriptis illustrarent, & in academiis Professores œconomices constituerent. Hujus quoque studium ad Jurisprudentiam pertinere, quis sanæ mentis homo dubitet (o)? Idcirco factum esse novimus, quod Jureconsulti etiam huic *Politicæ privatæ* excolendæ insudaverint (p) *Est multiplex.* *Illius studium.*

§ X.

Ad *decorum* veniamus, cujus discussio procul dubio ad Philosophiam practicam pertinet: ejus vero notitia summopere necessaria est illis, qui se studio Juris publici privati consecrant, cujus notabilissimam sane partem constituit *Jus ceremoniale*, quod ut plurimum in *Decoro* fundatur. Quid sit proprie *Decorum*, nondum inter authores convenit, dum quidam decorum aliud dicunt *naturale*, & aliud *politicum* (q): alii naturam *Decori* collocant *in studio aliis placendi*, in arte alios sibi conciliandi amicos, fautores, patronos, Mæcenates; alii in pulchritudine morum &c. Nobis placet definitio Ciceronis, qui illud describit, quod sit *illud, quod est consentaneum hominis excellentiæ:* e. g. si flexo poplite reverentiam exhibeamus summo Principi, si in legato Principis suspi- *Notitia Decori summopere necessaria in Jure.* *Quid sit, nondum inter AA. convenit.*

(n) Sic Hesiodus reliquit Xenophon œconomicum, Aristoteles librum œconomicorum, Cassianus Bassus collegit Geoponicos, sive 20. libros de re Rustica, apud Romanos de re œconomica soliciti fuerunt Cato, Varro, Palladius, Virgilius &c.

(o) Illis præcipue, qui se ad Cameras Principum destinandos sciunt.

(p) Scripsit Leyserus ICtus celeberrimus *Jus Georgicum*. Vid. etiam Lipenii Bibliotheca Jurid. verbo *Agricultura*.

(q) Sic alios non offendere, suum cuique tribuere sunt prima naturæ præcepta, quæ licet servaveris, tamen displicere poteris aliis, nisi decenti modo id, quod debes, præstiteris.

ſuſpiciamus certo modo ipſum Principem, illumque debitis honoribus excipiamus &c. id ad rationem *decori* pertinet.

Jam aliud *decorum publicum*, & aliud *privatum*; item *decorum gentium*, & *hominum particularium*. Hæc, ſi tempus vacaret, innumeris exemplis poſſent explicari. Ex quo colligimus *Decorum* pervadere totum *Jus ceremoniale*, & ad ea omnia pertinere, quæ in eo de titulis, de reverentiis, ceremoniis, ritibus e.g. in ſolenni introductione alicujus Legati traduntur, & controvertuntur. Tanti autem roboris eſt ratio *Decori*, ut non nunquam ipſa ratio Juris cedere debeat. Imo aliquoties urbanitatem neglectam, aut irreverentiam e. g. Legato illatam grandes excitaſſe turbas, aut omnino fomitem belli ſuppeditaſſe, exemplis facile demonſtrari poſſet. Et quis neſcit, quod non raro graviſſimi momenti negotia in plures annos protrahantur: eo quod ſuper ceremoniis, præcedentia &c. conveniri nequeat? Hac ſuper re meretur omnino legi Moſerus in **kleinen Schriften** part. 1. **von der Staats-Galanterie**; item **von dem Canzley**-Decoro, ubi hanc materiam variis exemplis etiam ridiculis illuſtrat. Inde autem quid aliud ſequitur, niſi notitiam *Decori* Jurisprudentiæ magnam ſane partem conſtituere?

Decorum pervadit totum jus ceremoniale.

Est summi momenti.

Profecto in Eccleſia etiam magnam haberi rationem *Decori* aliunde in comperto eſt. Unicum hujus rei exemplum ex antiquiſſimis hiſtoricis afferre liceat: ſic ſcimus, quod Eccleſiæ Antiochena, & Alexandrina in Eccleſias Patriarchales fuerint erectæ: ſi jam quæram, undenam hic honor obvenerit hiſce Eccleſiis? plures Scriptores id ea ex ratione factum eſſe contendunt, quod ipſe Princeps Apoſtolorum has eccleſias erexerit, & illam priorem ſua præſentia honoraverit: atque hæc ratio nonne aperte fundatur in ratione *Decori*?

Etiam in Ecclesia.

CAPUT V.

De Hiſtoria, præcipue Eccleſiaſtica ac literaria ad Jurisprudentiam eccleſiaſticam neceſſaria.

§. I. *De Hiſtoria in genere, illius neceſſitate, utilitate & præſtantia.* II. *De Studio hiſtorico, & regulis in eo obſervandis.* III. *Specialiter de Critica, regulis, & neceſſitate illius maxime ad Jurisprudentiam eccleſiaſticam.* IV. *De Hiſtoria eccleſiaſtica, illius diviſione, ſtudio,* &

& Scriptoribus. V. *De Historia literaria, illius necessitate, utilitate & præstantia, divisione, origine & studio.*

§. I.

Historia est præcipuum subsidium in omni Jurisprudentia.

Ad præcipuum Jurisprudentiæ, ecclesiasticæ præprimis, *Præsidium, Subsidium*, ac *Præcognitum*, ad *Historiam* nempe, gradum promoveamus. Hanc ipse Romanæ eloquentiæ Princeps Tullius (r) *testem temporum, animam memoriæ, lucem veritatis, nuntiam vetustatis, vitæque Magistram jam dudum* appellavit. Quidni illam etiam appellemus *animam Jurisprudentiæ?* edic, qua arte quis Jurisprudentiam Romanam addiscere, leges Romanas interpretari valeat, si historiam Romanam, diversos Reipublicæ status, diversa Jurium fata ignoraverit? Jurisprudentia ecclesiastica nonne ferme tota quanta discenda est ex Historia ecclesiastica? Jurisprudentiam publicam Germaniæ vix aliud dixeris, quam Historiam rerum gestarum, factorum, & inde resultantium jurium. Et undenam venire existimamus tot defectus; errores, ac hallucinationes maxime in Jure ecclesiastico? nisi, quod antiqui Glossatores, Commentatores studium Historiæ ecclesiasticæ neglectim habuerint: utinam rem hanc exemplis illustrare liceret! Quantum historiarum cognitio præstet utilitatis Jurisprudentiæ, jam Viri doctissimi abunde monstrarunt, ut adeo laborem supervacaneum in se suscepturus, aut lucem in meridie per lucernam quæsiturus foret ille, qui illud amplius demonstrare contenderet (s).

Historia quid?

Multipliciter dividitur.

Est autem Historia commemoratio rerum in orbe gestarum, mutationum, regnorum, atque imperiorum, conditionumque Principum &c. Divisiones Historiæ sunt innumeræ, quarum præcipuas simpliciter referemus: nempe dividitur in Historiam *ecclesiasticam* & *civilem seu profanam;* & utraque in *antiquam*, *medii ævi*, & *novam;* universalem & particularem; naturalem, & literariam: & si in ordine ad Jurisprudentiam civilem loqui velimus, in Græcam, Romanam, Germanici Imperii &c. (t). Quantum ad ipsum Historiæ studium, plurimi inter-

Hhh 2

(r) Lib. 2. de Orat.

(s) Vid. Francisc. Balduin de Historiæ cum Jure conjunctione. Hahn de usu Hist. in Jure. Boehmerus in Præf. ad Petrum de Marca de Concord. Sacerd. cum Imper. aliique innumeri.

(t) Harum enim præcipue notitia necessaria est pro Jurisprudentia civili tam publica, quam privata.

Authores, qui methodum studendi Historiæ tradunt. interest, ut rectam studendi methodum teneamus. Inter plures Scriptores, qui talem methodum, ac regulas in studio Historico observandas tradiderunt, eminet Eruditissimus Mabillonius (u), & famosissimus Abbas Lenglet du Fresnoy (x), quibus addatur Carolus Rollius (y). Ex quibus quasdam regulas depromere liceat.

§. II.

Quomodo illius studium sit auspicandum? Itaque existimant Doctores, studium historicum auspicandum esse a primis adolescentiæ annis, quo tempore Historiæ tenacius inhærent memoriæ, atque hoc modo præparantur ingenia adolescentum ad majora suo tempore audenda. Secundo: incipiendum ab Historia antiquæ legis. Tertio: Primitus Historiam esse addiscendam ex compendiis, & successu temporis vastiores libros esse evolvendos. Quarto: inter ipsos libros esse faciendum selectum, & melioris notæ esse legendos, hoc maxime tempore, quo ingentem scribendi libidinem per orbem literarium dominari, grassarique non ignoramus. *Quis debeat esse finis studentium?* Quinto: accedendum esse ad studium Historicum cum intentione recta, pura, & sancta; neque id solum esse quærendum historiarum studioso, ut *sciat*, & dicatur; *hic est;* sed ut *sciat utiliter*, & *pro se*, & *pro bono Reipublicæ*: *pro se* quidem, ut quæ sibi sint agenda, quæ vitanda sciat, & quæ legerit, in suam utilitatem convertere non ignoret: pro *bono Reipublicæ*, *Eidem non ideo tantum studendum, ut sciamus.* ut ex rebus gestis, factis historicis, fatis, & revolutionibus addiscat, quæ Reipublicæ bono conservando, ac promovendo sint utilia, & quæ in illius destructionem, ac ruinam vergant. Est enim Historia veluti vivum speculum, in quo videre licet varias affectiones hominum, virtutes, & vitia; est directrix prudentiæ, & Magistra imperantium, a qua traduntur regulæ gubernandi utiliter Rempublicam. Est profecto nihil levius, nihil vanius, quam studere Historiæ, ut simpliciter sciamus: quid enim juvat epocharum seriem, innumera pene nomina Cæsarum, Regum, Conciliorum, Hæresum, tragicos eventus, vel heroica gesta memoriæ mandare? modus iste prædicta memoriter tantum discendi ne quidem ipsum Historicæ scientiæ nomen meretur. *Testimonium Mabillonii.* Desuper audire libeat celeberrimum Mabillonium (z). *Quandoquidem*, ait ille, *scire est per proprias causas, & principia cognoscere: sic igitur*

(u) De Stud. Monast. cap. 8.
(x) Methode pour etudier l'Histoire.
(y) Anweisung, wie man die freyen Künste lehren, und lernen soll.
(z) Loc. cit. pag. mihi 151.

igitur Historiam scire est, homines materiam ipsi suppeditantes dignoscere, ac de ipsorum qualitatibus prudenter judicare. Historiæ studere est, causas, opiniones, pathemata, hoc est varios animi affectus in hominibus accurate perpendere, adeo, ut inde comperiamus omnem rationem ac modum, quo mens hallucinatur, & humanum cor allicitur. Verbo: demum est semetipsum ex aliorum cognitione metiri: est in Sanctis, virtuteque præditis Viris propriam sui ædificationem nancisci, & in flagitiosis, ac impiis quidquid vitandum est, sedulo cavere: tandem est intelligere, quomodo sive in prosperis, sive in adversis nosmet gerere debeamus. His autem deficientibus dispositionibus, jam non amplius ex Historia verus emerget fructus, videlicet exacta morum regula per prudentes reflexiones, ac ponderationes habenda, sed vana duntaxat, futilisve scientia, per quam plura scire hallucinabimur, revera prorsus indocti: unde ex causa alioquin utili, ac honesta noxius, ac pravus prodibit effectus. Hucusque Mabillonius, cujus verba auro & cedro digna sunt. Sexto: Illum, qui jam ad sublimiorem eruditionem aspirat, debere esse instructum optimis Logicæ, ac Critices regulis, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum, verum discernere a falso. Septimo: Hisce Logices & Critices regulis (a) vel maxime opus esse in legendis libris, atque in his præprimis ad ipsum Authorem, illiusque dotes, & qualitates esse attendendum, & videndum, num Author sit idoneus, an sincerus; quo fine, & ratione ad scribendum ductus fuerit; an aliquorum factioni, aut sectæ adhæreat, quemadmodum Eusebius Arianis, Socrates ac Sozomenus Novatianis, Theodoretus Theodoro Mopsuesteno; num sit Synchronus, num Autographus, an Amanuensis (b)? num prudens in suis assertis, an conjecturis utatur, an

Historicus debet esse instructus regulis Logicæ, & Criticæ.

Ad authores, dotes & qualitates eorum attendendum.

(a) De Regulis criticis mox infra.

(b) Enimvero si cætera sint paria, pluris facienda est coævi Authoris opinio, quam alterius Recentioris. Dixi: si cætera sint paria, quoniam fieri potest, imo quandoque contingit, Authorem haud Synchronon Historiam exarasse seriis monumentis, rationibusque innixum; secus vero contemporaneum, utpote negligentem, rerumque inscium, vel etiam assentatione aliqua, aut proprii commodi fœnore illectum. Hinc est non nimis fidendum esse iis, quæ Scriptores vel absolute, vel ferme contemporanei silentio prætereunt: contingere siquidem potest, ut Author vel tempore remotior selecta quædam monumenta relegerit, in secretis, cum res evenerit, habita, seu etiam Scriptores Synchronos, vel ferme Synchronos inviserit, quorum opera mox evanuerint. At vero, si nec ejusmodi Scriptores, nec qui unius alteriusve sæculi

Notitia argumenti negativi est necessaria. an rei gestæ præsens fuerit, vel potius relata referat (c). Octavo: Opus esse, ut quis vim argumenti negativi bene calleat, ne quis vel per excessum eidem nimium fidendo, vel per defectum nullam efficaciam eidem tribuendo peccet (d). Nono: Summopere cavendum esse, ne a nonnullis suppositititiis authoribus decipiamur, quales antiquitus fuere plures, qui suis libris falsa nomina apposuerunt, ut eisdem majorem authoritatem conciliarent, quorsum pertinent falsa Evangelia, constitutiones Apostolicæ, libri Dionysiani &c. Decimo: non semper uberiori Authorum copiæ assurgendum; sed potius ab ipsorum meritis & gravitate veritatem esse æstimandam, & propterea non multum insistendum esse innumeris propemodum narratiunculis, quas multi tam antiqui, quam recentiores in descriptione vitæ quorumdam Sanctorum congerunt. *Non tam ad multitudinem, quam gravitatem & merita Authorum respiciendum.* Undecimo: quemdam esse ordinem servandum in studio Historico, & hinc a primordiis & antiquioribus incipiendum. Duodecimo: cum inter historias sit nexus individuus, nec una sine altera perfecte addisci valeat, e. g. Ecclesiastica sine Profana, & econtra, omni Historiæ esse studendum. Decimo tertio: ante omnia procurandam esse notitiam ipsorum librorum, & Authorum, ut, quos legere oporteat, sciamus, de quo nos in §. seq. in ordine ad Historiam ecclesiasticam addiscendam agemus. *Notitia librorum necessaria.* Decimo quarto: cæteras disciplinas ad perfectam Historiæ notitiam acquirendam non esse negligendas, præsertim *Criticam*, *Chronologicam*, *Genealogicam*, *Heraldicam*, *Geographicam*, *Diplomaticam*, *Sphragisticam*, *Numismaticam*, *& studium Antiquitatum.* *Et multæ aliæ disciplinæ.*

§. III.

Critica apud multos male audit. Cæterum his disciplinis, artibus & scientiis ad eruditionem historicam summopere facientibus prætermissis de sola *Critica* pauca dicere consti-

sæculi intervallo successere, gestum aliquod innuant, & nihilominus historiographus recentior nullo monumento subnixus id temere asserere audeat, vilipendendus erit. Secus ampla ad errandum, aliosque fallendum via sterneretur. Ita Mabill. loc. cit.

(c) Nisi enim ille, qui retulit, sit omni exceptione major, non facile credendum. Ex hac ratione non facile adhibenda fides illis Authoribus, qui nescio quæ miracula, & mira ex relatis referunt.

(d) De hoc argumento vid. Launoius, Mabillonius, & Reverendiss. Bertholdus Abbas Cremisan. Universitatis hujatis antea Rector longe meritissimus in suis Proleg. Sect. 5. cap. 2. §. 2.

constituimus, de cætero parum soliciti, an quis Criticam artibus Philosophicis, aut Philologicis accensere velit. Apud non paucos pessime vapulat *Critica*, apud illos nempe, qui vel sunt simplices, vel superstitiose pii, vel ignorant, quid *Critica*, & inter sobriam *Criticam*, & *Pseudo-Criticam* non sciunt distinquere. Est quidem Critica *flagellum*, sed *flagellum necessarium* & hodiernis temporibus ita *necessarium*, ut sine eo Religio salva consistere non posset. Neque verum est, quod multi falso sibi imaginantur, Criticam esse artem noviter inventam: id enim tam falsum est, quam falsum est, duo esse imparia, falsum esse verum &c. Jam antiquior & antiquissima Ecclesia crisin adhibuit in rejiciendis libris evangelicis per hæreticos confictis, in secernendis actibus SS. MM. falsis & genuinis.

Est necessaria.

Est antiquissima.

Jam quid sit Critica, & quæ in ea regulæ sint observandæ, paucis dispiciamus. *Critica* in genere est *ars judicii ferendi.* Ejus nomen a Græcis mutuatum latine judicium significat, atque ideo in Critico id præsertim desideratur, quod nos rectam *intelligentiam* nuncupamus (e). Prout vero ad historiam pertinet, est *ars judicii ferendi de factis historiam constituentibus, de operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus obviis, de sensu, stylo, & auctoribus.* Ut ergo quis hanc artem assequatur, multo inprimis opus est ingenio, mentis acumine, animi maturitate, prudentia, excellenti memoria, lectione plurima & multifaria: sed inprimis necesse est, ut sagaciter discernat, solide judicet, exquisite sapiat, ejusque judicium recta & sana ratio remoto quocunque corporis & animi affectu moderetur.

Quid sit, & unde dicatur?

Qualitates Critici.

Ut autem Critica aliqua sit legitima, ac recta, ferme eædem in ipsa præcautiones sunt adhibendæ, ac in ferendo judicio: Nempe Criticus primo debet esse judex competens; Secundo rem, de qua fert judicium, ad amussim intelligere; Tertio ferre sententiam ex rationibus convincentibus; Quarto esse indifferens, & non acceptor personarum. Ex quo consectarium est, quod Criticus debeat optime callere materiam, super qua crisin parare intendit. Quapropter flocci pendendus foret Grammaticus, si puncta quædam Theologica, vel Juridica decidere tentaret. Hujus farinæ sunt nonnulli scioli vel semidocti, qui falsa eruditionis opinione intumescentes Censoris munus sibi arbitrario vendicant, virgam censoriam in omnes libros, authores, & sententias extendunt, quin veram aliquam rei notitiam, aut certe non nisi superficia-

Critica debet esse legitima, & quid requiratur?

Criticus debet callere materiam super qua Crisin parat.

(e) Honoratus a S. Maria in Animadvers. in reg. & us. Crit. Tom. 1. Dissert. 1. art. 1.

Criticus debet esse cautus potissimum in rebus fidei. Diversæ sunt regulæ Critices pro diversitate materiæ.

ficiariam possideant : non enim qualiscunque, & generalis sufficit notitia, sed peculiaris & prorsus accurata requiritur. Neque mox in crisin prorumpendum est, sed rationes ad trutinam redigendæ erunt : & tunc judicium rationibus accuratissime expensis vel ferendum, vel suspendendum. Præprimis vero summa moderatione opus est in rebus fidei : meminisse enim oportet, Catholicam religionem non artem aliquam, aut naturalem esse scientiam, in qua singulis liceat arbitrario investigare, fingere, mutilare, adjicere. Peculiares autem regulæ sunt observandæ in dijudicandis peculiaribus materiis ; aliæ in dijudicandis SS. Patribus ; aliæ in historicis, in factis historicis, libris &c. de quibus Mabillonius loc. cit. & Honorat, a S. Maria (f). Ex definitione supra data patet, ad quænam se Critica potissimum extendat, si loquamur de Critica, prout ad historiam potissimum pertinet ; nempe ad libros quoscunque, sacros etiam, ad lectiones variantes, ad authores, ad sensum, stylum, & facta historica.

Critica sanior omnino necessaria, & quare ?

De necessitate *Critices sanioris* nemo sanus dubitaverit, qui secum expenderit, quomodo antiquioribus temporibus ipsi sacri Codices corrupti, acta SS. Martyrum adulterata, Patrum opera depravata, aut ipsis falso inscripta, & obtrusa, innumeræ historiolæ fictæ, miracula conficta, visiones & revelationes non satis fundatæ in vulgus sparsæ, scientiæ sublimiores, & artes liberales, ac humaniores mirum in modum corruptæ, innumeræ fabulæ historiis veris intrusæ, historiæ veræ e sua possessione dejectæ fuerint. Interest sane Religionis Catholicæ vel maxime, ut ancillante Critica vera a falsis, dubia a certis, supposititia a genuinis secernantur, ne si de falsitate convincamur, aut structuram nostræ religionis dubiis documentis superstruamus, totum ædificium corruat. Profecto timent scrupulosiores Christiani, ubi nihil est timendum : nihil sane pertimescendum Religioni, etiamsi quamplurima documenta dubia eliminentur, nihil Christianæ virtuti, etiamsi quædam piæ credulitates amandentur : stabit immota religio, & christiana virtus, suis suffulta fulcris fundamentalibus : fulcra religionis, virtutis christianæ & morum sunt *Scriptura* & *traditio* Dei, Apostolorum, & Ecclesiæ, & ex his enata *fidei*, *morum* & *disciplinæ* dogmata:

Inanis multorum est timor.

remedia

(f) Quatuor signa adducit Mabillonius, ex quibus dignosci potest, an opus aliquod sit hujus vel alterius Authoris, nimirum ex Manuscriptis ; ex uniformitate, aut diversitate styli, præsertim vero doctrinæ, ac opinionum ; ex cæterorum Authorum testimonio, a quibus istud opus continuo laudatur ; & tandem ex gestis, quæ in ipso narrantur.

remedia vero salutis sunt fuga peccati, exercitium virtutum, frequens, & pius Sacramentorum ecclesiæ usus. Metuendum potius, ne nimius in defendendis documentis dubiis, ac traditionibus piis fervor, & zelus nocumento sit & saluti fidelium, & religioni; illis quidem, si fideles simpliciores hisce nimium fidant, in iis anchoram quasi salutis collocent, & interea salubriora, magisque necessaria salutis remedia negligant; religioni vero, si doctiores hujusmodi documentis dubiis veluti fundamentis structuram Ecclesiæ superædificent: quoniam hoc modo ecclesiam irrisioni, & contemptui Sectariorum, & aliquoties periculo, ne latens falsitas detegatur, exponent (g).

Critica singulariter est necessaria in jure Ecclesiastico.

De *Critica* in Jurisprudentia ecclesiastica singulariter necessaria quid dicamus? Decretum Gratiani innumeris scatere mendis, canonibus spuriis & suppositititiis in anterioribus dictum fuit: In Decretales quoque similes irrepsisse errores quis nescit? non raro Pontifices a Glossatoribus in opiniones non sat fundatas fuisse inductos, aliunde res est certissima: canones non paucos truncatos fuisse insertos collectionibus, diu demonstratum fuit: canones plures esse obscuros, a quotidiana docemur experientia: & qua arte hisce omnibus opitulabimur, nisi opitulante saniori *Critica?* ut quid ergo mirum, quod tot Scriptores de insigni usu Critices in Jurisprudentia integras Dissertationes conscripserint? fatemur, & libenter fatemur, quamplurima superesse dicenda de insigni usu sanioris Criticæ. Sed manum de tabula. Consulat, qui voluerit Mabillonium (h) & Honoratum a S. Maria (i).

§. IV.

Studium Historiæ Ecclesiasticæ similiter, & eo magis necessarium.

Ad Historiam ecclesiasticam Juri ecclesiastico potissimum propriam, illiusque fortissimum præsidium, ac potentissimum subsidium delabimur. Absit, ut illius præstantiam, utilitatem, ac necessitatem pro comparanda perfecta Jurisprudentia ecclesiastica Jurium Candidatis amplius commendemus: cum, quidquid in Jure ecclesiastico sive quoad objectum, sive finem, sive fundamentum, ac rationes fundamentales reperire est, id ferme omne esse sacrum, & ex Historiis ecclesiasticis depromendum dignoscatur. Et quam non jucundum, amœnum & gratum accidere debet Jurisprudentiæ studioso, primas Juris ecclesiastici origi-

Est studium amœnissimum.

(g) Vid. Tom. 1. Quæst. 2. C. 3. §. X.

(h) De stud. Monast. Tom. 2. cap. 13.

(i) Animadvers in Regul. cap. 1. & seq.

origines rimari, varias rerum ac Jurium vicissitudines, diversa Imperantium fata, mutationes ecclesiarum, hæresum & schismatum ortum & progressum, Conciliorum historias, & alia sexcenta plenius scire & agnoscere?

Historia Ecclesiastica varie dividitur.

Ante omnia divisio Historiæ ecclesiasticæ danda, cujus alia dicitur *vetus*, & alia *nova*: prior repetitur ab orbe condito usque ad Christum natum: & iterum est vel *Hebraica*, vel *Gentilis*; vel *ante-Diluviana*, vel *post-Diluviana*. Posterior deducitur a Christo nato usque ad nostra tempora: & est *Evangelica*, *Apostolica*, & *Ecclesiastica*; item *vetus*, *media*, & *nova*, quarum prima a Christo nato; altera a tempore Caroli M.; tertia ab Ecclesiæ reformatione, vel etiam a tempore magni illius schismatis decurrit.

Historia Ecclesiastica quomodo studendum?

Jam qua ratione Historiæ ecclesiasticæ sit studendum, videamus. Aliter sane studendum illis, qui ad sublimiorem eruditionem, ac historiarum scientiam aspirant, atque in arte historica magistri esse, & audire volunt; aliter iis, qui equidem historiarum notitiam perfectam haurire, atque in hac etiam arte excellere volunt, in quantum historia iis subsidio esse potest in ordine ad alias artes, & scientias, quibus comparandis & in se excolendis se tota contentione consecrant. His posterioribus sufficiet, dummodo melioris notæ Scriptores juniores, quorum catalogum infra dabimus, legerint, & in eorum studio diligentiores fuerint. Prioribus omnino necessum est, ut ad antiquitates recurrant, Scriptores antiquos, synchronos, coævos per omnem sæculorum seriem decurrant, ac ipsam historiam profanam cum ecclesiastica conjungant: cum unam sine altera perfecte assequi sit impossibile.

Methodus & ordo studendi ex Mabillonio traditur.

Itaque methodum & ordinem studendi potissimum juxta præscriptum Mabillonii dabimus. Ante omnia pro addiscenda historia sacra antiquæ legis evolvendi sunt sacri codices, & Scriptores illi, qui expresse historiam veteris legis scripserunt, quibus omnino adjungendi sunt Scriptores de antiquitate Judaica Josephus, ac Philo. In nova lege incipiendum est ab ipsa lectione sacræ Scripturæ & historia Christi, & Apostolorum. Scriptores vero sunt duplicis generis, quorum alii diversi argumenti res gestas; alii ex professo rerum gestarum historias scripserunt. Si jam de historia veteri novæ legis loquamur, dubium non est, quin hi omnes sedulo lustrandi sint: quapropter illis, qui ad sublimiorem eruditionem eluctari contendunt, præprimis consulendi sunt Patres & Scriptores primorum trium sæculorum, quibus adhuc nemo erat, qui historiam ecclesiasticam ex professo conscriberet, & in ordinem redigeret. Tunc legendi etiam ipsi Scriptores ecclesiastici antiquio-

tiquiores, quales fuere Eusebius Parens historiæ ecclesiasticæ, Socrates, Sozomenus, Theodorus Lector, Philostorgius, Evagrius, Theophanes, quibus addit Mabillonius Bibliothecam Byzantinam Photii, & Zonaram. Atque hac ratione progrediendum per omnes sæculorum decursus, quatenus Authores & Scriptores coævi præprimis ante oculos sunt habendi. Quinam autem sint hi Scriptores Historiarum, id ex quovis historico nostræ ætatis desumi poterit, quorum plures sunt, qui ex professo in suis libris historicis secundum seriem sæculorum Scriptores ecclesiasticos in unum numerum & catalogum collegerunt. Plures hujusmodi Scriptores ecclesiasticos medii ævi recenset cit. Mabillonius (k), potissimum sequentes, Gregorium Turonensem, venerabilem Bedam, Annales S. Bertini, Diaconum Papiensem, Eulogium Cordubensem, Flodoardum, Luitprandum, Dithmarum, Lambertum Schafnaburgensem, Hugonem Abbatem Flavinacensem, Sigebertum Gemblacensem, Ordericum Vitalem, Wilhelmum Malmesburiensem, Mathæum Parisiensem.

Post evolutos Authores Autographos progrediendum ad Scriptores ecclesiasticos, qui ex professo historias antiquas & novas scripserunt, inter quos eminet Baronius Annalium Parens facundissimus, illiusque Continuatores Bzovius, Raynaldus, aliique innumeri. Præprimis etiam lustrandæ sunt Collectiones Conciliorum, quales nunc plures prostant, Coletana, Binii, Labbeana, Harduina &c. & nova, quam meditatur Vir eruditus Joannes Dominicus Mansi, Lucensis, Congregationis Matris Dei, cujus jam aliquot Tomi lucem aspexerunt publicam. Consulenda insuper sunt varia Critica in Historiam ecclesiasticam, quorsum refert cit. Author Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis, Criticam Antonii Pagi in Annales Baronii, Monimenta Tillemontii, Opera Henrici Norisii &c. Hisce omnino addendi sunt plures Scriptores etiam Protestantici, qui sane suis laboribus rempublicam literariam haud modice illustrarunt, & historiæ ecclesiasticæ vel maxime lucem affuderunt plurimam (nam virtus etiam in hoste est laudanda) quamquam cæteroquin circumspecte sint legendi, utpote qui res gestas, & rerum gestarum documenta, ac historias haud parum adulterarunt. Sed quid frustra nos fatigamus? utique celeberrimus Mabillonius, sæpius a nobis citatus, exactissimam methodum studendi historiæ ecclesiasticæ tradidit, & Scriptores ecclesiasticos Autographos pro omnibus Ecclesiæ sæculis accuratissime indigitavit, cujus

(k) De Stud. Monast. cap. 8.

jus lectionem omnibus & singulis altiora sapientibus vehementissime commendamus (l).

Ut autem Candidati Jurisprudentiæ ecclesiasticæ aliqualem librorum historicorum notitiam habeant, visum est nobis aliquem hic subjungere catalogum Scriptorum tam Catholicorum, quam Protestanticorum celebriorum, ac noviorum, qui rem historico-literariam suis libris illustrarunt.

Catalogus præcipuorum librorum & Authorum Historicorum tam Catholicorum quam Protestanticorum.

Itaque non est nobis animus omnes prorsus Scriptores ecclesiasticos per sæculorum ordinem recensere: hoc enim labore egregie defuncti sunt, qui de Scriptoribus ecclesiasticis ex professo scripserunt, uti Elias Du Pin, Caveus, Ittigius, aliique; neque omnes historiæ tam universalis, quam particularis noviores libros in unum quasi cumulum congerere: istud enim immensi laboris opus foret, quo eo lubentius abstinemus, quo plures nostris etiam temporibus extitere Authores, qui id laboris in se susceperunt, quos inter numerandi veniunt Fabricius in sua Bibliotheca, Mathæus Pfaffius, qui in sua *Introductione in Historiam Theologiæ literariam* Scriptores Historiæ universalis, & particularis e. g. hæresum, Conciliorum, Pontificum, Patriarcharum, Liturgiarum &c. quam fusissime recenset, notisque illustrat (m), cui adjungere liceat Th. Ittigium in Præf. ad selecta capita Historiæ ecclesiasticæ (n). Usui vel maxime in hac materia esse potest Bibliotheca Mabillonica Tractatui de Studiis monasticis subjuncta. Id solum ergo agemus, ut celebriores Historiarum Scriptores pro aliquali notitia in ordinem redigamus.

Duæ classes Scriptorum: alii Compendia, alii Systemata scripserunt. Scriptores Compendiorum recensentur.

In duas classes Scriptores Historiæ dividi possunt, scilicet eorum, qui *Compendia*; & qui *Systemata* scripserunt. Ordiamur a *Compendiis*. Ex Scriptoribus Catholicis hujusmodi compendia, nobis saltem nota, scripserunt Spondanus Compendiator Baronii, Elias Du Pin Compend. Hist. Eccles., quod ex Gallica in Germanicam linguam versum & editum Ratisb. an. 1713. Desingius Compend. Erud. Ex Doctoribus Protestanticis eminent. Math. Pfaffius Instit. Hist. Eccles. Laurentius Mosheim Instit. Hist. Eccles., Historia Ecclesiastico-Gothana, Joach. Langius Hist. Eccles. a mundo condito &c. Sigism. Baumgarten Breviarium Hist. Christianæ. Godof. Arnold Kurzgefaßte Kirchen-Historie. Ex Reformatis huc pertinet Joan. Clericus Hist. Eccles., Alphonsus Turretinus Compend. Hist. Eccles. Henricus Staehlius Kirchen-Historie.

Systema-

(l) Idem Mabill. cap. 20.

(m) Tom. 3. per totum.

(n) Prodiit Lipsiæ 1711.

Scriptores Syſtematum Catholici. *Syſtemata* Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ex Catholicis ſcripſerunt ſequentes iique celebriores, & notiores Hiſtorici, Card. Baronius Annal. Eccleſ., illiusque continuatores Antonius Pagi Critica Hiſtorico-Chronol. in Baronii Annal. Antonius Godavius Hiſt. Eccleſ. Natal. Alexander Hiſt. Eccleſ., Lenain. de Tillemont memoires pour ſervir à l'hiſtoire Eccleſiaſtique, Claud. Fleury hiſtoire Eccleſiaſtique, Hyacinthus Graveſon Hiſt. Eccleſ.

Proteſtantici. Inter Syſtematum Scriptores Proteſtanticos eminent Centuriatores Magdeburgenſes, Hübnerus, Godof. Arnold. **Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie**, Conrad. Homeius, Joan. Micraelius, Joan. Conrad. Danhauerus, Chriſtoph. Kortholdus **unpartheyiſche Kirchen-Hiſtorie altes und neuen Teſtaments von Erſchaffung der Welt** &c. conſtat hoc opus X. tomis & IV. continuationibus, Joannes Georg. Walchius Hiſt. Eccleſ. Mosheim Inſtit. Hiſt. Eccleſ. Baumgarten **Auszug der Kirchen-Geſchicht**, Pertſchius **Verſuch einer Kirchen-Hiſtorie**, Joan. Paul Reinhardus **Kirchen-Geſchichte des neuen Teſtaments** &c. quamquam hi ultimi potius compendia, quam Syſtemata ſcripſiſſe videantur. *Reformati.* Ex Reformatis Syſtema ſcripſerunt Joan. Henricus Hottinger Hiſtor. Eccleſ., Timannus Geſſelius Hiſt. Sac. & Eccleſ., Georgius Hornius Hiſt. Eccleſ. usque ad Sæc. X., Fridericus Spanhemius Synopſis Hiſt. Eccleſ. Jac. Basnage hiſtoire de l'Egliſe, Samuel Basnage Annal. Polit. Eccleſ. Atque hi ſunt celebriores, &, nobis ſaltem notiores Hiſtorici, quos eum in finem in compendium redigere placuit, ut Jurisprudentiæ Candidati aliqualem ſaltem eorum habeant notitiam.

Scriptores hiſtoriarum particularium. Agendum etiam foret de Scriptoribus hiſtoriarum particularium: verum temporum anguſtiæ breves nos eſſe jubent. Videatur citatus Pfaffius, & libellus parvus Joa. Erneſt. Floerckii, qui inſcribitur: Prænotiones Jurisp. Eccleſ. §. XXVI.

Controverſiæ hiſtoricæ innumeræ ſunt. Si qua alia in ſcientia, certe in Hiſtoria eccleſiaſtica innumeræ occurrunt difficultates & controverſiæ ingenti animorum contentione inter Viros eruditiſſimos agitatæ, quas omnino ſcire juvat. Quapropter conſulimus, ut qui illarum notitiam habere deſiderat, adeat Mabillonium, utpote, qui omnes has difficultates, quæſtiones, & controverſias ſecundum ſeriem ſæculorum quam accuratiſſime recenſet, unaque Authores, qui deſuper ſcripſerunt, & legi debent, indigitat (o). Hæc unice pro diſcipulis ſcripta volumus.

Iii 3 §. V.

(o) Vid. in Opuſ. de Stud. Monaſt. Elenchus potiorum difficultatum pag. m. 270.

§. V.

Historia literaria ad eruditionem obtinendam necessaria.

Ad Historiam literarum non nihil dilucidandam, illustrandamque progredimur, quæ singulis ad eruditionem aspirantibus tanto magis est necessaria, quanto est turpius, si quis ortum, progressum, incrementa, fata, conditores, & authores suæ artis, ac scientiæ ignoret. Si quæ alia, hæc certe historiæ pars mirum in modum nostro ævo excolitur, cujus argumento ineluctabili sunt innumeri libri, qui in dies in hac materia prodeunt in lucem publicam. Jam quid, & quotuplex sit hæc historia literaria, quænam ad illam pertineant, & quæ illius ad Jurisprudentiam ecclesiasticam sit necessitas, videamus.

Quid sit?

Est ergo historia literaria ea *scientia, quæ nobis artium scientiarum & linguarum fata, origines, progressum, editiones, virtutes & defectus, ac denique Authorum per omnia sæcula, per omnes sectas, & nationes eruditionem, temperamentum, merita & demerita, atque præjudicia ostendit, pandit & sistit.* Paucis multa complexi sumus: ex quo colligitur, hanc scientiam esse & amplissimam, & præstantissimam, & utilissimam, ac ita necessariam, ut eruditio, ac historia literaria æquis passibus ambulare videantur. Nullius certe scientiæ sacra quis rite imbiberit, nisi origines, progressum, fata, defectus, modumque, quo augeri & ornari possit, nisi & scopulos hic prænavigandos, nisi genuinam ad portum veritatis perveniendi viam, verosque indices nisi librorum, nisi Virorum, qui rebus his expoliendis insudarunt, virtutes & vitia, eruditionem nempe eorum, & scriptionem quæ spectant, noverit. De hac scientia magnifice prorsus loquitur Pfaffius (p), cujus verba quam libentissime admetiremur, nisi prolixa nimis forent: paucis dicemus, quod ille fusius prosequitur: Id nempe intendit, quod Historia literaria detegat Pedantismum (q) tyrannidem literariam (r): confundat thraso-

Est amplissima, utilissima, necessaria.

Sine hac nulla scientia perfecte obtinetur.

Illius utilitas & præstantia ex Pfaffio.

(p) Introd. in Histor. Theol. Tom. 1. in Proleg.

(q) Hujus se reos faciunt, qui ambitione erudita elati magno fastu tument, & gloriam & laudes aucupantur nimias, & res exigui momenti magni habent, in parvis & minimis hærent, & utiliora negligunt.

(r) Hujus criminis se condemnant hæretifices, qui excessive & cum excessu rigoris agunt contra hæreticos.

thrasones literarios (s) impostores (t) plagiarios (u) vanos promissores (x) satyricos homines (y) obscænos (z) impios (a), seditiosos scriptores (b): & econtra pandat Codices manuscriptos, Diplomata, antiquitatum & numismatum scrinia, atque ante oculos sistat Viros in omni scientiarum ac artium genere doctos & eruditos, literatos Principes, doctos rusticos, doctrina claras mulieres, musarum Mæcenates, ac denique omnis generis libros, eorumque editiones exhibeat. Sed nec his contenta est scientia literaria: inquirit in ortum, progressum, & incrementa artium, scientiarum: refert originem Academiarum, illarum fata, celebriores Bibliothecas; initium artis scribendi, Typographiæ (c): paucis, quidquid ad comparandam eruditionem aut utile, aut necessarium esse videtur, aut ad delectandum animum Virorum literatorum facere potest, quam largissime & superabundantissime subministrat. En, qui sint fines & limites, scopus, utilitas, & præstantia Historiæ literariæ! Sane non video, quid ad illius commendationem efficacius aut potentius dici posset.

Historia literaria multiplex. Quotuplex jam sit *Historia Literaria* videamus: potissimum duplex est, nempe *Universalis*, & *Particularis*: & utraque *Chronologica, Geographica*, *Technologica*, *Biographica*, & *Bibliographica*. Universalem hactenus nemo perfecit, nec perficiet quisquam, etsi non pauci huic operi consummando manus apposuerint.

Quod

(s) Tales dicuntur, qui elato supercilio omnes despiciunt, & super cœteros omnes sapere volunt.

(t) Impostores vocantur, qui vel Libros supponunt, vel interpolant, castrant, corrumpunt &c.

(u) Plagiarii sunt, qui aliorum libros describunt, suosque faciunt.

(x) Quinam sint tales, ex ipso nomine patet: hodie dantur innumeri, de quibus vid. Struvius in Hist. Liter.

(y) Quinam tales dici mereantur, scient omnes, qui unquam de Satyris poetarum audierunt, vel legerunt.

(z) Etiam hi ex ipso nomine se produnt.

(a) Huc pertinent Athei, Naturalistæ, Indifferentistæ.

(b) Tales sunt, qui in Reipublica seditiones excitant &c.

(c) Vid. Heumann. in Apparatu cap. 25. §. 74. Alii Moysen literarum Authorem perhibent: aliis binæ legum Tabulæ Moysi traditæ primum literarum monimentum videntur: nullum tamen scriptum in hanc usque diem proferri potuit, quod Moyse antiquius fide dignum esset.

Origo illius. Quod si quis jam in originem Historiæ literariæ inquirere vellet, procul dubio prius inquirendum foret in originem artis scribendi, materiam, in qua scribebatur, & in artis Typographicæ inventum ac primos literarum, ac studiorum cultores. Quoad artem scribendi, incertum est, quandonam mortales eam invenerint. *De materia, in qua olim scribebatur, & diversis scribendi modis.* Materia, in qua scribebatur, erat varia, folia, cortices, saxa, lintea, papyrus, membrana, charta (d). Modi scribendi iterum erant varii quoad notas, interpunctiones, accentus, puncta &c (e). Artis typographicæ inventio procul dubio adscribenda Germanis, de cujus ortu, & progressu plurimi extant libri (f). *Quinam primi literarum ac studiorum cultores?* Primi literarum, ac studiorum cultores existimantur communius Chaldæi, Ægyptii, & Hebræi. Ex Ægypto transierunt in Græciam, e Græcia in Asiam. Quantum Romani Græcæ literaturæ tribuerint, latinorum multa loquuntur testimonia (g). *Literatura quandonam ad Germanos transierit?* Quandonam Literatura ad Germanos transierit, non adeo liquet. Certe Tacitus antiquos Germanos velut rudes, indoctos, omnium literarum expertes depingit, quorum tamen famam haud pauci authores vindicare contendunt. Inter primos Christianos plures fuisse egregie doctos, vel ipsa antiquorum Patrum & Scriptorum documenta loquuntur. *Diversa fata literaturæ diversis fuere temporibus.* Sæculo sexto & septimo mirum in modum literaturam fuisse turbatam, ac depressam, passim Scriptores testantur (h). Literis restaurandis, & excolendis maxime incubuit Carolus M. quem Viros eruditos in sua aluisse aula, scholas diversi generis *Palatinas*, *Episcopales*, *Monasticas* excitasse alibi diximus (i). Pessime vapulant Sæcul. X. & sequentia, & veluti sæcula ignorantiæ passim traducuntur a Sectariis: quamquam maximi nominis Scriptores iis ipsis temporibus floruerint (k). *Refloruit Sæc. XIII. & seq.* Sæculo

(d) Vid. Calmet. Differt. de Antiquitatibus Scriptoriis.

(e) Vid. Heumann. in Apparat. cap. 25. §. 76.

(f) Vid. Wolffii Bibliothec. Typographica &c.

(g) Quæ in hanc rem faciunt, leguntur apud sæpe cit. Heumannum.

(h) Floruere tamen Sæc. VII. & VIII. Beda Venerab. Isidorus, Alcuinus, Paulus Diaconus; in Oriente Joannes Damasc. Sæc. IX. tulit Rhabanum Maurum, Haymonem, Walefridum, Strabonem, Hincmarum, Reginonem, Anastasium Bibliothecarium &c.

(i) Quæst. 2. c. 1. §. 2.

(k) Hæc sæcula illustrarunt Luitprandus, Ditmarus, Hermanus Contractus Lambertus Schaffnaburgensis, Sigebertus Gemblacensis, Burchardus Wormatiensis.

lo XIII. literarum studia, patrocinantibus Imperatoribus, vel maxime refloruisse, majora in dies incrementa cepisse, & ultimis potissimum temporibus supremum attigisse apicem nemo est, qui ignoret (l).

Historiæ literariæ quomodo studendum? Jam qua arte Historiæ literariæ studendum sit, atque in librorum scriptorumque notitiam venire valeamus, videndum. Ad comparandam sibi Historiam literariam, ac notitiam librorum & Authorum innumera prostant subsidia. Huc pertinent primo Scriptores, qui ex professo Historiam literariam, de libris, & eorum scriptoribus scripserunt: *Illius subsidia recensentur.* de quibus videantur præter cæteros Morhofius (m) & Struvius (n). Secundo *Bibliothecæ* variæ, & illustriores, aut saltem catalogi Bibliothecarum celebriorum, quæ ingentia præstant subsidia ad notitiam librorum: de quibus videantur iidem Scriptores (o). Tertio *Lexica literaria*, qualia hodie dantur innumera, Universalia, Philosophica, Mathematica, Medica, Juridica, Theologica, Biblica, Historica, Critica, Literaria, Sanctorum, Hæreticorum, Antiquitatum, Technica, Musica, Geographica, Oeconomica, Casuistica &c. de Lexicophragis Historicis vid. cit. Morhof (p). Lexicon biblicum insigne scripsit Calmet (q). Quarto *Ephemerides literariæ*, quorsum pertinent acta Eruditorum Lipsiensium (r), *Catalogi* Bibliothecarum, quales sunt Bibliothecæ Viennensis, Parisiensis, Lugdunensis, Anglicanæ &c. *Novellarum lectio*, inter quas enumerandæ veniunt Lipsienses, Göttingenses, Ratisbonenses, Erlangenses &c. Item *Acta societatum literariarum*, quales hodie florent innumeræ per omnes Europæ partes, Regna,

matiensis, Ivo Carnotensis, Petrus Abaelardus, Petrus Lombardus, Joannes Sarisberiensis, Otto Frisingensis, Wiliwaldus Abbas Corbeiensis &c.

(l) Jam Sæc. XIII. favebant Musis Fridericus II. Imperator, & Alphonsus X. Rex Castellæ, & Legionis. De Academiis erectis Bononiensi, Parisiensi, Viennensi, Heidelbergensi, Pragensi, Coloniensi, Erfurdensi, quarum ultimæ Sæc. XIV. erectæ sunt; nec non de innumeris scriptis, & Scriptoribus immensum foret dicere, maxime si ad ultima duo sæcula reflectere vellemus.

(m) Lib. 1. de Vit. Script. (n) De Histor. Lit. cap. 1.

(o) Lib. 1. cap. 16. & Struv. cit. Lib.

(p) Loc. cit. pag. 212. & Struv. pag. 36. & 82. Item Cave in Proleg. in Hist. Liter.

(q) Dictionaires de la Bible.

(r) Item Journal des Savans, Memoire de Trevoux, Bibliotheque Universelle &c.

gna, & Provincias (s). Quarto: Huc conferunt *colloquia cum Viris eruditis, quorum allegationes plus erudiunt*, quam *multa alia*, *& exemplis formant*, *& Judicium acuunt* (t). Hæc pro aliquali saltem notitia Historiæ literariæ Jurisprudentiæ Candidatis sufficiant, quibus omnino commendamus Libellum, quem de *Historia literaria* edidit Struvius una cum Morhofio. De utilitate quoque & necessitate Historiæ literariæ nos sufficienter dixisse arbitramur.

CAPUT VI.

De Studio antiquitatum in ordine ad Jus ecclesiasticum.

§. I. *De præstantia Studii antiquitatum.* II. *Quid, & quotuplicis generis sint antiquitates?* III. *Undenam antiquitates repetendæ?* IV. *De Scriptoribus antiquitatum.* V. *Quinam celebriores?* VI. *De Antiquitatibus & Scriptoribus ad Jus ecclesiasticum.* VII. *Ad Germaniam pertinentibus.* VIII. *De Studio antiquitatum.*

§. I.

Studium antiquitatum est præstantissimum.

Si quod est ævo hoc literatissimo studium, in quod Viri præcipui, & primæ prorsus eruditionis tota animi contentione innitebantur, eidemque ferme totam suam vitam, vires ingenii, & labores suos consecrarunt, cui artes & scientiæ hodiernæ sua debent incrementa, suumque florem, & quod Viros eruditos toti orbi literario præ cæteris fecit honorabiles, illud profecto est Studium antiquitatum. Quid non fecerunt Viri eruditi anterioris & nostri Sæculi, ut omnes antiquitates conquirerent? Itinera ardua æque ac periculosa ingentibus Regum & Principum sumptibus in se susceperunt (u), scrinia, & ferme rimulas Bibliothecarum, Archiviorum omnium excusserunt, lapides, marmora, statuas, imagines, picturas, & scripturas antiquissimas sedulo examinarunt; paucis: nihil intentatum reliquerunt, ut ex inscriptionibus, epitaphiis, lapidibus documenta in ordine ad res litera-

Itinera literaria.

(s) In Gallia, Italia, Germania &c.

(t) Sunt verba Perillust. de Senckenberg. in Method. Jurisprud. §. 20.

(u) Uti Mabillonius, Montfauconius &c.

literarias illuftrandas eruerent. Loquuntur id itinera Virorum literatiffimorum typis mandata (x), Thefauri antiquitatum, Anecdota, aliique libri, quocunque compellentur nomine, quibus orbis literarius abundat.

§. II.

Studium antiquitatum pro diverfitate Nationum, Regnorum, Artium & Scientiarum eft diverfum. Aliæ funt Antiquitates Græcorum, Judæorum, Romanorum, Germanorum, Italorum, Gallorum &c. Iterum aliæ ecclefiafticæ, & aliæ civiles & prophanæ: & hæ iterum pro diverfitate Nationum funt diverfæ: aliæ Juris divini, Juris ecclefiaftici, & Romani; & aliæ Juris gentium, feudalis, germanici, publici & particularis. Hæc adeo funt liquida, ut ulteriori expofitione non egeant.

Antiquitates funt multiplicis generis.

§. III.

Paucis aperiendi funt *Fontes*, ex quibus Antiquitates eruuntur. Hi vero funt fequentes: literarum documenta, monimenta, infcriptiones, lapides, marmora, inftrumenta, picturæ, imagines. Hinc Archiæographia folet dividi in numifmatographiam, Epigrammatographiam, Architectonographiam, Iconographiam, Glyptographiam, Torevmatographiam, Bibliographiam, Angeiographiam. Aliis dicere placet, quod alia fit nummaria; alia lapidaria, ritualis; & antiquaria mixta. Nullæ hactenus antiquitatis reliquiæ plures fibi cultores conciliarunt, quam *nummi*. Inde eft, quod nummi jam ingenti pretio coemantur, exinde collectiones pretiofiffimæ coadunentur, & in Archiviis vel Antiquariis fedulo cuftodiantur. Noftri inftituti non eft de regulis hujus artis, de fcriptoribus, de utilitate hujus ftudii in ordine tum ad res hiftoricas illuftrandas, tum ad forum politicum noftro potiffimum ævo, ubi pecuniæ luridiffimæ fortis cum inenarrabili damno Reipublicæ, & commercii humani circumferuntur, diu noctuque privatim & publice in conventibus monetalibus de emendanda re nummaria agitur, pluribus tractare. Sicui libet in hac arte proficere, legat Scriptores, qui rem nummariam copiofiffime illuftrarunt.

Fontes antiquitatum.

Archiæographia varie dividitur.

Res numifmatica nunc præcipue æftimatur, & excolitur.

§. IV.

Numerus Scriptorum, qui de antiquitatibus fcripferunt, eas fedulo collegerunt, conquifierunt, & typis mandarunt, prorfus eft ingens,

Scriptores Antiquitatum.

(x) Talia ediderunt Viri mox antea laudati.

gens, quos non facile quis in numerum coegerit. Hac super re videantur Scriptores, qui Antiquarios, & antiquitatum Scriptores studiose in unum veluti indicem & catalogum coegerunt, aut ex professo de iis scripserunt. Ad hunc finem serviunt Morhofius (y), Fabricius (z). Item huc pertinent Scriptores, qui de Re Diplomatica, Numismaria, & Sphragistica egerunt; ac illi demum, qui antiquitates e vetustissimis documentis, sigillis, picturis, & inscriptionibus eruerunt, & sua industria de re literaria optime sunt meriti.

§. V.

Excellentiores rei Diplomaticæ Scriptores recensentur.

Nostro ævo in conquirendis, edendisque antiquitatibus, præcipue Diplomatibus, excelluere Patres Benedictino-Mauriani, Mabillonius, Montfauconius, Eduardus Martenius & Durandus; ex Italis Muratorius; ex Germanis Bernardus Pezius, & Godefridus Abbas Gotwicensis, Leibnizius, Ludwigius, Gudenus, quorum opera orbi literato sunt notissima.

§. VI.

Ad Jus ecclesiasticum pertinent Antiquitates Ecclesiasticæ, Græcæ, Judaicæ, Romanæ, & Germanicæ.

Ad Jus ecclesiasticum illustrandum procul dubio pertinent Antiquitates *Ecclesiasticæ*, *Græcæ*, *Judaicæ*, *Romanæ*, & *Germanicæ*; *Græcæ:* quia multa in ritibus ecclesiasticis ex moribus paganorum remanserunt, & ad cultum divinum supremo Numini exhibendum fuere assumpta: id quod Ecclesia utique facere potuit, quod sint ritus innocui, honesti, neutiquam mortiferi, superstitiosi, aut idololatrici; *Judaicæ* ex hac ipsa ratione: quia Evangelium ab Ecclesia Judaica accepimus, & plures ex ritibus Judaicis ad Christianismum fuere translati; *Romanæ* etiam, & id eo magis: quod Romana ecclesia sit Mater omnium ecclesiarum, & magistra, centrum unitatis, caput orbis christiani; *Germanicæ*, utpote quæ Ecclesiam Germanicam, illius disciplinam, ritus & ceremonias, jura & prærogativas propius attingunt. Huc spectant antiquissimæ liturgiæ, Missalia, Pontificalia, Cæremonialia, Ritualia, & cæteri omnes libri rituales; item Scriptores, qui origines rerum ecclesiasticarum, rituum & ceremoniarum descripserunt, quales sunt Ruinardus, Martene, Durandus, quibus annumerandi Thomassinus (a) Du-Pin (b) Joseph Bingham (c). Moshemius (d) & plures alii.

Huc spectant diversi generis liturgiæ.

Et Scriptores originum rei ecclesiasticæ.

§. VII.

(y) Part. 1. lib. 5. cap. 1. (z) Biblioth. lib. de antiq. Script.
(a) De vet. discip. Ecclesiæ. (b) De Antiq. Eccles. discip.
(c) Orig. Eccles. (d) De rebus christian. trium priorum Sæcul.

§. VII.

Germanis jam fæpius exprobratum fuit, quod peregrinis antiquitatibus intenti fuas inveftigent fegnius, ait Joan. Heumannus. Et fane in hanc usque diem deftituimur Jure ecclefiaftico Germaniæ. Sunt autem antiquitates Germanorum difcendæ ex libris Doctorum Ecclefiæ Germanicæ, maxime S. Bonifacii, Rhabani Mauri, Alcuini, cæterorumque medii potiffimum ævi Scriptorum, quos alibi recenfuimus. *Germani fuarum Antiquitatum funt minus ftudiofi.*

§. VIII.

Ingentem profecto artium & fcientiarum apparatum requirit ftudium Antiquitatum. Quisquis ergo huic ftudio fe confecrare cupit, ante omnia debet habere notitiam diverfarum linguarum: dein fibi comparare debet fcientiam *Numifmaticam*, *Heraldicam*, *Sphragifticam*, & *Diplomaticam*, utpote mediantibus quibus, & non aliter fcientia antiquitatum acquiritur, & perficitur. Modum & methodum hifce ftudendi tradit Heumannus. Nos alia vocant ad fcopum & finem noftrum propius pertinentia. *Requifita ad ftudium Antiquitatum.*

CAPUT VII.

De ftudio Theologiæ, & Jurisprudentiæ cujuscunque ad Jurisprudentiam ecclefiafticam utili vel neceffario.

§. I. *De nexu inter Theologiam & Jurisprudentiam ecclefiafticam.* II. *De ftudio Theologiæ.* III. *De nexu inter Jurisprudentiam ecclefiafticam, & cæteras partes Jurisprudentiæ.* IV. *De illarum ftudio & methodo ftudendi.* V. *De Hiftoria illarum literaria.* VI. *De Jurisprudentia practica multiplici, & illius ftudio, potiffimum legislatoria, & notitia Politicæ, & Statifticæ ad eam neceffaria.*

§. I.

Progrediamur ulterius, & quomodo ipfa etiam Regina fcientiarum (intelligimus *facrofanctam Theologiam*) Jurisprudentiæ aliquo modo ancillari non dedignetur, aut potius Jurisprudentiæ inde fubfidia

 mutuare

Theologia secundum omnes suas partes Jurisprudentiæ ecclesiasticæ præbet subsidia.

mutuare necessum sit, videamus. Consideremus *Theologiam* in se, & illius partes secundum eum modum loquendi, quem hactenus adhibere consuevimus (e). Aut enim nobis est sermo de *Theologia*, uti vocant, *Dogmatica:* nunquid Jurisprudentia ecclesiastica communia cum illa habet principia, quæ Theologi *locos*, nos *fontes* appellare consuevimus? Annon in Jure canonico quamplurimæ occurrunt quæstiones, pro quarum dilucidatione & decisione principia Theologica in subsidium vocare necessum habet e. g. Tit. de summa Trinit. de Ordinibus, de Major. & Obed. de Sacrament. non reiter. de Baptis. de Cultu & Venerat. SS. de matrimonio, de Pœnit. & Remiss. &c.? Aut de *Theologia speculativa* loquimur: & quis ignorat passim in Jure ecclesiastico occurrere terminos, & modos loquendi ex Theologia scholastica adoptatos & Pontifices sua Decreta & Rescripta principiis Theologiæ speculativæ adaptasse, & conformasse (f)? de *Theologia morali* quid dicamus? Individuum sane inter utramque scientiam esse nexum nemo negaverit, quisquis vel obiter scopum & finem utriusque perspexerit: utraque est ordinata ad dirigendos, informandosque mores, ad leges naturales, divinas, humanas interpretandas, cum hoc solo discrimine, quod *Theologia moralis* dirigat mores & interpretur leges in ordine ad conscientias & salutem fidelium; *Jurisprudentia* in ordine ad salutem ipsius Ecclesiæ. Dixisse sufficiat, quod omnis Theologia, quocunque compelletur nomine, notabilem partem Jurisprudentiæ constituat. Quantum conferat Theologia ad Jurisprudentiam ecclesiasticam, a propria scimus experientia.

§. II.

Ad Jurisprudentiam potissimum facit Theologia naturalis Hermeneutica, & Sacramentaria.

Tria potissimum sunt in Theologia, quæ ad res Jurisprudentiæ ecclesiasticæ illustrandas oppido necessaria esse videntur, nempe *Theologia naturalis*, in qua existentiam Dei tanquam Entis supremi, Religionem & cultum eidem debitum docemur; *Theologia Hermeneutica*, quæ ex Scripturis sacris Religionem a Christo revelatam, & præcipua illius capita demonstrat, & dilucidat; *Theologia sacramentaria*, ex qua præcipui ritus in Jure ecclesiastico dilucidandi suam lucem emendicant. Ante omnia vero Candidatis Jurisprudentiæ commendamus prima Theologiæ principia, quæ communi nomine vocantur *loci Theologici*, sine quorum

(e) Hodie dividunt Theologiam in *Scripturisticam*, *Traditionariam*, *Exegeticam*, *Casualem*, *Catecheticam*, *Homileticam*, *Mysticam &c.*

(f) Vid. cap. cum Martha de Celeb. Miss.

quorum intelligentia nemo unquam ad Jurisprudentiam ecclesiasticam eluctabitur.

Agendum hic foret de Studio theologico in ordine ad Jurisprudentiam ecclesiasticam præcipue instituendo. Interim ne falcem in alienam messem mittere videamur, remittimus lectorem ad scriptores, qui de Studio theologico recte instituendo ex professo scripserunt. Ex his nobis noti sunt Joan. Mabillonius de Stud. Monast. Elias Du Pin de Methodo Stud. Theolog. Buddeus in Isagoge historico-theolog. Joach. Lang in Instit. Studii theolog. liter. Huc pertinent illi, qui Historiam literariam theologiæ scripserunt, ex quibus ad manum habemus Introductionem in Histor. theolog. literariam Matth. Pfaffii. *De Studio theologico remissive ad Authores, qui de eo ex professo scribunt.*

§. III.

Jam in immensum excurrere necessum foret, si, quantam utilitatem ad *Jurisprudentiam ecclesiasticam* conferant, & quo nexu invicem cohæreant cæteræ partes Jurisprudentiæ, explanare vellemus. Sed nolumus rem aliunde certam ulterioribus argumentis commonstrare. Equidem animus erat etiam in his calamum diffundendi: sed a proposito cæpto abstinere jubent rerum temporumque circumstantiæ. *Jurisprudentiam publicam* universalem suo modo esse fundamentum *Jurisprudentiæ ecclesiasticæ* aliunde demonstratum manet. Quantus vero sit nexus inter *Jurisprudentiam ecclesiasticam* & *civilem* neminem latere potest: undenam enim prima fundamenta intelligendi terminos technicos & modos loquendi Juridicos addiscere debemus, nisi ex Institutionibus Juris civilis? An non innumera præcepta ex Jure civili mutuarunt Conditores Juris ecclesiastici? Quomodo erit possibile, ut ille, qui equidem in studio canonico egregium, aut omnino inter primos eminentem fecit profectum, in praxi & tribunalibus suam doctrinam utiliter exerceat, nisi prima Juris civilis elementa calluerit? experiuntur id in dies illi, qui quibuscunque tribunalibus suas locarunt operas, & elementa Juris civilis ne a limine quidem salutarunt. *De Jurisprudentia publica particulari Germaniæ* quid dicamus? Hæc adeo nostris temporibus necessaria est, ut sine ea nemo ne quidem nomen Jurisconsulti mereatur. Sunt in Imperio Romano Germanico Status ecclesiastici & sæculares nexu indissolubili connexi: habemus leges particulares nobis solis proprias: sæpe nobis agendum cum Protestantibus in materia Religionis, in causis Ecclesiam concernentibus. Jam edicat nobis aliquis, quomodo nexus iste conservari, leges nostræ particulares, quarum aliquas dicere licebit *libertates Germanicas*, in tuto collocari, Protestan-

Jurisprudentia ecclesiastica habet nexum individuum cum cæteris partibus Jurisprudentiæ. Cum publica universali. Cum civili. Cum publica particulari Germaniæ

testantibus obviari poterit, nisi leges nostras proprias sciamus, & in promptu habeamus? Unde jam supra monuimus, in nostra Germania non merum Jus Pontificium, sed vere ecclesiasticum, & Germanicum esse tradendum. Videantur, quæ alibi diximus (g). Idem dicendum de *Jurisprudentia Feudali:* In ipso Jure canonico habemus Titulum de *Feudis*. Hinc inde plura disposita legimus, quæ spectant materiam *Feudorum*. Quis nescit amplissimam esse materiam *Feudorum ecclesiasticorum*, a Principibus ecclesiasticis possideri *Feuda Imperii*, Ecclesias sæpe esse *Dominas*, & non raro *Vasallas*, & Vasallagium subire? Quid olim frequentius quam *Infeudatio Decimarum*, aliorumque bonorum ecclesiasticorum? an non *Beneficia* ecclesiastica ad modum *Feudorum* esse erecta scimus? Hæc & his similia, quomodo sine notitia *Juris feudalis* intelligi valeant, non videmus.

Cum feudali.

Jus Germanorum hodie excolitur singulariter, & quare?

Quid de Jure Germanorum privato dicamus, cui illustrando hodierni Scriptores summam impendunt operam, eum in finem, ut Jus Romanum e sua possessione immemoriali deturbent, & leges patrias antiquas Germanorum in fora & tribunalia introducant. Quantum lucis affundatur Juri ecclesiastico ex moribus, consuetudinibus, & legibus antiquis Germanorum, maxime ex Capitularibus Francorum, utroque Speculo Suevico & Saxonico, potissimum in materia de judiciis, criminibus, juramentis, juribus Episcoporum & Clericorum, haud facile dixeris.

Juri ecclesiastico explanando plurimum utilitatis affert.

Jurisprudentia quoque criminalis sua præstat obsequia Jurisprudentiæ ecclesiasticæ. Etsi enim Ecclesia non sitiat sanguinem, neque ultimis suppliciis in facinorosos animadvertere consueverit, habet tamen sua judicia criminalia, & contra delicta ecclesiastica æque, ac mixti fori, & non raro etiam civilia, si Clerici eorum rei deprehenduntur, procedit; imo quandoque suos subditos curiæ sæculari puniendos extradere solet. Ut nihil dicamus de antiquis judiciis criminalibus, & probationibus per duellum, ferrum candens, aquam calidam & frigidam, cruentationem, Eucharistiam, & Crucem, quarum aliquæ in foro sæculari, aliæ in foro canonico fuerunt in usu (h).

Quid Jurisprudentia criminalis præstet ad Jurisprudentiam ecclesiasticam.

De antiquis judiciis criminalibus & modis probandi.

§. IV.

De Methodo studendi Jurispru-

Ex hactenus dictis facile constat, inter diversas, quin & singulas Jurisprudentiæ partes nexum esse individuum. Idcirco necessarium foret

(g) In Dissert. 1. & 2. de Jure Eccles. German.

(h) Struv. in Hist. Jur. Crimin.

ret oſtendere *Methodum*, qua arte ſingulis ſtudendum in ordine ad Jurisprudentiam eccleſiaſticam illuſtrandam, quemadmodum id de cæteris Jurisprudentiæ noſtræ ſubſidiis e.g. de literis humanioribus, ſcientiis Philoſophicis, præprimis de Hiſtoria eccleſiaſtica & literaria fecimus. Sed quisille erit, qui huic labori ſufficiat? Nondum profecto inter DD. convenit, quæ in Jurisprudentia docenda & addiſcenda univerſim ſit tenenda *Methodus*. Jam ſupra de hac re quædam diximus. Placuit, dum hanc opellam ſecundis curis ſubjecimus, quædam addere, & antea omnia ſalubre monitum Joan. Heumanni (i) apponere, qui, dum de Methodo ſcribere incipit, ſic ait: *Ut methodus apta diſcendi laborem faciliorem reddit, ſic & juris ars concinna ratione tractetur: ſed cave, methodo nimium indulgeas, vel leges ad methodum contorqueas. Legum corpora non uno habitu, ſed ſenſim coaleſcunt, nec certis ac perpetuis principiis, ſed hominum voluntate, quæ mutabilis, nituntur. Nulla methodus antiquior, reique magis conſentanea, quam analytica. Leges certo ordine collectæ ſyſtematicam tractationem ſuaſerunt, quemadmodum hodie Inſtitutionum ac Pandectarum tramitem ſequimur, licet iſte a vero ſyſtemate longe diſtet. Nunc ſuo quisque genio Jurisprudentiam tradere conatur. Multi ordinem librorum juris diu approbatum deſerere nolunt, ne titulis transpoſitis labor augeatur: his placet methodus definitiva & axiomatica; illis tabularis, erometica &c. omnes prodeſſe poterunt, ſi vera docent, nec omnia ingenia omnes ferunt methodos.*

dentiæ cuicunque.

Quæ Methodus ſit tenenda, nondum eſt definitum.

Judicium Heumanni affertur.

Nempe hac in re tot ſunt ſententiæ, quot ſunt capita. Ingens ſane ſcriptorum agmen exſtat, qui de methodo ſcripſerunt, quorum, plures adducit Struvius (k) Senckenbergius (l) Heumannus (m). Quoad methodum Mathematicam hodie, ubi diſciplinæ complures pallio Geometrico donari cœperunt, tantopere uſitatam & dilaudatam inſpicere lubeat Deſingium (n) Ickſtadium (o), Crame-rum

Plures ſunt Scriptores, qui de Methodo ſcripſerunt.

De Methodo mathematica videantur

(i) Appar. Jurisprud. cap. 39. §. 300.

(k) Biblioth. Jur. pag. 299.

(l) De Meth. ſcientif. (m) Loc. cit.

(n) Diatribe circa Methodum Wolffianam. Vir hic a Republica literaria optime meritus nuperrime feliciſſimis auſpiciis in Abbatem Ensdorffenſem fuit electus.

(o) Cit. Differt. de Meth. ſcientif.

Scriptores citati. rum (p), Claprothium (q), & Heumannum (r). Candidatis sufficient Senckenbergius, Ickstadius & Heumannus.

§. V.

De Historia literaria Jurisprudentiæ cujuscunque.

Scriptores Historiæ hujus literariæ.

Pauca de Historia literaria cujuscunque Jurisprudentiæ dicamus, utpote quæ haud secus in scientiis Juridicis, quam aliis artibus & disciplinis oppido necessaria esse dignoscitur, quin tamen usque nunc fuerit, qui universæ Jurisprudentiæ Historiam perfectam conscripserit. Extant libri plures, in quibus agitur vel de Scriptoribus, vel de libris rerum Juridicarum, quales haud paucos recenset Heumannus (s), vix tamen unus aut alter est, qui opus completum & ex omni parte perfectum elaboravit. Nobis ad manus est Bibliotheca Juris authore Gotthelffio Struvio concinnata, quæ saltem Candidatis Jurisprudentiæ sufficere potest, maxime si huic superaddant Senckenbergii *Methodum Jurisprud.*, & *notitiam Juris literariam* in ea contentam. Idem Struvius in Prolegomenis suæ Historiæ Juris præmissis plurimos cujuscunque Juris Græci, Romani, Ecclesiastici, Germanici tam publici quam privati, Hispanici, Gallicani, Anglicani Scriptores recenset, quos scire omnino juvat. Plura de hac rescribere nolumus, eo quod scopus & finis noster alius non sit, quam tradere methodum studendi Jurisprudentiæ ecclesiasticæ, cujus Historiam literariam in alias curas rejicimus.

§. VI.

Alia Jurisprudentia Theoretica, & alia Practica.

Aliam esse Jurisprudentiam *Theoreticam*, & aliam *Practicam* facile intelligent omnes, quibus vel prima Juris elementa sunt perspecta. Quæcunque usque nunc diximus, & posthac dicemus, potissimum ad Jurisprudentiam *Theoreticam* spectant. Juvat tamen quædam de Jurisprudentia etiam *Practica* dicere: cum omnis *Theoria* ultimato in Praxin desinat & collimet; &, nisi ambæ conjungantur, utraque vel parum proficiat, vel omnino ad nihilum valeat.

Est

(p) In Program. de optima jura discendi Methodo. Item Ungrund der Beschwerden des Herrn Canzlers von Ludewig über den Methodum demonstrativam.

(q) Vertheidigung der mathematischen Lehr-Art in der Rechts-Gelahrheit.

(r) In Apparat. §. 213.

(s) Loc. cit. §. 299.

Eſt autem Jurisprudentia *practica* pro diverſa juris applicatione diverſa, *legislatoria*, *doctrinalis* ſeu *interpretatoria*, *judicialis*, *conſultatoria*, & *advocatoria*, quæ omnes & ſingulæ *Theoreticam* ſupponunt. In eo ergo eſt difficultas, qua arte & ratione Theoretica in praxin utiliter in ordine ad fines ſuos præſtitutos redigi poſſit. *Practica eſt multiplex.*

Legislatoria propria eſt Imperantium. Hanc ſtipatam eſſe oportet duabus veluti manuductricibus *Politica*, & *Statiſtica*, quarum prior ex regulis prudentialibus; altera ex perfecta notitia aliarum civitatum ac rerumpublicarum docet, quid Reipublicæ recte gubernandæ ſit utile vel utiliſſimum. Utraque ſupponit principia Religionis, Jurisprudentiæ tum univerſalis naturalis, tum eccleſiaſticæ: ſecus Princeps facile in transverſum agetur, & ex mala applicatione principiorum ſeu politicorum, ſeu pſeudo-politicorum impinget in principia religionis, Eccleſiæ, ac Reipublicæ. Utinam hæc non quotidiana doceret experientia! *De Legislatoria, quæ habet duas duces Politicam & Statiſticam. Utraque ſupponit principia Religionis.*

Innumeri ſunt Scriptores tam antiqui quam noviores, qui de Politica, illiusque regulis ſcripſerunt, quin etiam ſyſtemata Politices condiderunt. Apud Græcos celebrantur Solonis dicta, Iſocratis oratio de Regno ad Nicoclem, Platonis libri de legibus & Republica, Xenophon de Cyropœdia. Ex Romanis laudandus eſt Cicero, quamquam illius lib. VI. de Republica ad nos non pervenerint, Plutarchus, Baſilius in Parænetica ad filium aliique. Multis antecellebat Ariſtoteles & Tacitus, quorum prior Politicam primus ſyſtematice tradidiſſe fertur; alter hinc inde ſaluberrima monita, conſilia, & principia pro Republica bene adminiſtranda tradit. Ambo eam ſibi laudem compararunt, ut viri eruditiſſimi haud pauci improbum laborem ad eorum doctrinas illuſtrandas aſſumperint (t). Et quis jam in numerum coget Authores noviores, qui ſuo ingenio, ſuaque ſentiendi libertate uti volentes nova Politices ſyſtemata condiderunt, aut Politices capita plura illuſtrarunt, aut themata ſingularia ſunt perſecuti? Quem latent opera Juſti Lipſii, Boeckleri, Beſoldi, Hornii, Hertii, Lehmanni, Wolffii, Hoffmanni, & Savedræ *Idæa Principis Chriſtiani?* quot non circumferuntur teſtamenta Politica e.g. Cardin. Richelieu, Colberti, Mazarini, Fleury &c. An non ferme omnium manibus hodie teruntur varia *De Scriptoribus Politicæ. Græcis. Romanis. De Ariſtotele & Tacito. De novioribus.*

(t) Vid. Heuman. loc. cit. §. 275.

ria opuscula Joan. Henr. Gottl. Justi, & inter hæc illud, quod inscribitur: Der Grundriß einer guten Regierung? Cujus Religionis hic author sit, sufficienter prodit in suo opusculo von dem Natur- Recht, dum de peccato originali scribit, eaque, quæ in S. literis de illo habentur, ridicule explicat, & ad sensum prorsus absurdissimum contorquet. Jam passim in officinis librariis venditur Lehr-Begrif der Staatskunst D. de Bielefeld, qui liber labente hoc anno Lipsiæ fuit impressus.

De Pseudo-Politicis. Nec Pseudo-Politicos ignorare licet, quibus accensendi sunt omnes Machiavellistæ, & Monarchomachi, & inter hos ipse Machiavellus, quem haud pauci excusare volunt sub colore, quod ea quæ scripsit, neutiquam suadere, sed potius vitia pingere voluerit. Huic non multis abhinc annis oppositus fuit Anti-Machiavellus, quem *Regii nominis* Authori adscribere volunt. *De Anti-Machiavello.* Et quis numerabit Pseudo-Politicos, qui in aulis Principum delitescunt, & non tam libris in publicum emissis, quam suis consiliis Principes in transversum agunt, & si non tyrannidem, saltem Despotismum inducunt?

Politica principaliter ex S. Script. discenda. Usque nunc inter omnes libros politicos primas tulit sacra Scriptura, quæ sicuti aliunde suprema lex nobis esse debet, ita saluberrimas præscribit leges pro regenda republica politica, quas si in suo regimine adhibuerint Principes, beata, & ter beata erit omnis respublica, prout id præter plures alios argumentis ineluctabilibus monstravit celeberrimus Bossuet (u).

Statistica quid sit, & in se complectatur. De *Statistica sive notitia Rerumpublicarum* veluti altera Jurisprudentiæ legislatoriæ manuductrice pauca dicamus, etsi plerumque a minus doctis Politica & Statistica confundi soleant. Hæc disciplina ex permultis aliis disciplinis, potissimum ex Historia, Geographia, Politica, Jure publico ac Gentium conflatur, de regnorum commodis pariter ac incommodis accuratius disquirit, & quod reipublicæ esse utile ex horum notitia dignoscit, prudenter applicat. *Quomodo acquirenda?* Quisquis igitur ex notitia rerumpublicarum fructum haurire exoptat, is indaget in reipublicæ originem, fata, fines, artes & scientias, fertilitatem terræ, montes, mineralia, flumina, incolarum multitudinem, animi corporisque indolem, linguam, fortunas &c. In id præcipue inquirendum,

(u) Dans la Politique tirée de propres paroles de l'ecriture sainte.

dum, quæ sit reipublicæ gubernandæ ratio, religio, leges, comitia, prærogativæ, controversiæ, tituli, insignia, ærarium, jura Statuum &c.

Ante omnia tamen reipublicæ propriæ religio, jura, prærogativæ, commoda & incommoda, pacta, fœdera, & Status Ratio perspecta esse debent, ne si quis aliarum civitatum jura, & leges applicare velit, in jura & propria, & subditorum cum ingenti Reipublicæ detrimento impingat. Atque inde est, quod hodierni politici aliarum Civitatum jura, regulas, & Maximas incaute adoptantes, aut male applicantes non nunquam omnia susque deque vertant. Sed quid hæc ad nos? Huc pertinent ferme omnes Scriptores, qui de Politica scripserunt.

Status Reipublicæ propriæ cum suis annexis ante omnia debet esse perspectus.

Jurisprudentia *interpretatoria practica* pertinet ad Jurisperitos, Interpretes, Doctores & Professores Jurium, qui vel Jurisprudentiam publice tradunt in Academiis, vel suis glossis, commentariis & libris illam illustrare contendunt. Quæ sit ratio & methodus tenenda in docendo, ex dictis abunde constat. Illarum Academiarum praxin plurimum dilaudamus, in quibus melioris cultus causa *Collegia disputatoria, examinatoria*, & *elaboratoria* instituuntur, ut hac ratione Juvenes praxin cum Theoria conjungere discant, sicque ad praxin cum tempore in foro exercendam aptiores fiant. Quantus hodie dominetur pruritus, libertas & libido scribendi, quis satis edicere valeat? ecquis omnium operum, opusculorum, commentariorum, quæstionum, Dissertationum, systematum vel solos titulos enarrare sufficiat? *conquassamur propemodum*, ait non nemo, *consiliorum, conclusionum, responsorum, decisionum &c. mole.* Quid quod jam nunc plures Viri eruditi longo rerum usu exercitati in collegia coeant, & elaborandis operibus, Responsis & consultationibus juridicis insudent, quorum usus summopere commendari meretur (x).

Jurisprudentia interpretatoria pertinet ad Magistros & Doctores.

Collegia elaboratoria &c. ad praxin valde conducunt.

Ingens hodie scribendi libertas.

Responsa juridica ad praxin utilissima.

(x) Notissima sunt Responsa Collegii Argentorat., Tubingensis, Marpurgensis, Hallensis, Altdorffini; Item Klockii, Besoldi, Brunemanni, Hornii, Carpzovii, Mevii, Hertii, Boehmeri, Heineccii, Franc. Schmier, Schmalzgruberi &c.

De Judiciali. De *Jurisprudentia judiciali* quid dicamus? præterquam quod judex debeat ſcire ea, quæ ſunt juris communis, vel maxime leges patrias, ſtatuta provincialia, praxin & ſtylum curiæ noſſe debet.

De Conſultatoria. *Advocati peſſime audiunt.* De Jurisprudentia *conſultatoria*, vel ſi mavis, *advocatoria* pauciſſima addamus. Quamquam hodie Advocati paſſim peſſime vapulent, & tanquam rabuliſtæ, rabulæ forenſes, ſemi-vel peſſimi Chriſtiani traducantur, eorum tamen officium eſſe honeſtum, Reipublicæ utile & ſingularibus privilegiis munitum, docent jura (y), docet communis exiſtimatio, docet Stryckius (z). Huc ſpectat Diſſertatio Joan. Dav. Thoenicker, in qua *advocatum prudentem;* & altera Fritſchii, in qua *Scriptores, & libri de Advocatis.* deſcripſit *Advocatum peccantem.* Quibus, & quam variis modis poſſit peccare Advocatus, fuſius deducit Ziegler in ſua *Rabuliſtica.* Nec deſunt alii Scriptores, qui ſtratagemata, artificia, & nequitiam Advocatorum perſecuti ſunt. *Notitia & ſcientia Advocatis & Patronis cauſarum neceſſaria quæ?* Acturus cauſas in foro præprimis noſſe debet proceſſum judiciarium non ſuæ duntaxat provinciæ, ſed aliorum etiam, & quidem in noſtra Germania ſummorum tribunalium Imperii: cum cauſæ inter Status immediatos agitatæ per ſe eo pertineant; inferiorum autem non raro per viam appellationis eo devolvi contingat. Innumeri ferme ſunt, qui de Proceſſu communi ſcripſerunt (a). In ordine ad *Debent noſſe proceſſum judiciarium.* Proceſſum ſummorum Imperii tribunalium addiſcendum ſervient *Principia Proceſſus ſummorum Imperii Dicaſteriorum Neumanni*, & *Pütteri introductio ad rem judiciariam Imperii.* Tandem ad munus Advocati ſpectat, ut forenſes actiones, & rectum actionum uſum addiſcat: *Genera actionum.* Etſi enim actionum laqueis Romano more nos hodie irretiri non patiamur, actionum tamen genera, earumque rectum uſum ignorare non poſſumus: ſiquidem intereſt vel maxime, ut non tantum actionem jure competentem, ſed etiam ex pluribus competentibus pinguiorem inſtituamus. Jurium candidatis ad praxin aſpirantibus plurimum utilitatis afferet Boehmer de Actionibus, Gundling de uſu pract. actionum bonæ fidei & ſtricti juris, & Stryckius. Hæc in compendio de ſtudio Jurisprudentiæ diverſi generis dicta ſufficiant. Nobis alius finis non eſt, niſi tradere methodum Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ.

(y) Tit. de Poſtulando.

(z) Diſſert. de privil. Advocat. Item de Conſcientia Advocati.

(a) Plures recenſet Senckenberg. Method. Jurisprud. pag. 43.

CAPUT

CAPUT VIII.

De ſtudio Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ potiſſimum quoad methodum ſtudendi.

§. I. *De neceſſaria notitia librorum.* II. *Utrum præſtet, Jurisprudentiæ in ſcholis publicis, quam inter privatos parietes ſtudere.* III. *Quæ methodus in ſtudio per omnes diſciplinas ad Jurisprudentiam usque incluſive tenenda?* IV. *De lectione, & ſelectu librorum.* V. *De notitia Authorum neceſſaria, ubi referuntur celebriores editiones, libri & Scriptores Juris eccleſiaſtici.* VI. *Salubria monita.*

§. I.

Supervacaneum ducimus multa *de notitia neceſſaria librorum* differere, poſtquam neceſſitatem *Hiſtoriæ literariæ* commonſtravimus. Utilis, imo neceſſaria eſt notitia librorum, ut ſciamus, undenam principia & regulas artis noſtræ addiſcere debeamus: neceſſaria eſt, ut ſciamus facere ſelectum librorum: neceſſaria eſt noſtris potiſſimum temporibus, ubi ingens ſcribendi libido dominatur, & graſſatur, non raro libris ſpecioſiſſimi præfiguntur tituli, cum quibus opus ipſum neutiquam concordat, ne pecunias inutiliter expendamus, pro auro cuprum, pro gemma vitrum emamus, & ſic pretioſum a vili, lutum ab arena aurea diſcernere valeamus: neceſſaria eſt pro comparanda eruditione, ſine qua fruſtraneo conatu ad illam eluctari contendimus. *Neceſſaria eſt notitia librorum noſtris potiſſimum temporibus.* Attendendum eſt vel maxime in comparatione librorum ad nomen & famam Authoris, ad judicium vere Eruditorum, non ſemieruditorum, multo minus illorum, qui ſuis agitantur præjudiciis, quales hodie dantur plures, qui ea omnia, quæ a Scriptoribus Catholicis ſcribuntur, parvipendunt, vilipendunt, & contemnunt; & econtra ea, quæ ab Authoribus Acatholicis in lucem protrahuntur, plurimi habent, ſuper aurum & topazion æſtimant, & idolorum inſtar adorant. *In comparatione librorum ad quæ ſit attendendum?* Sed nec famæ & rumori ſemper credendum, ipſe liber inſpiciendus, legendus, ruminandus, ſi fieri poſſit, antequam coematur. Ad notitiam librorum comparandam plurimum ſervient, ſicut ſupra diximus, Ephemerides, Novellæ, & Catalogi librorum.

§. II.

Antiqua eſt hæc quæſtio, utrum præſtet inter privatos parietes, vel in ſcholis publicis addiſcere bonas artes & ſcientias? ut hanc quæſtionem *Utrum artes & ſcientias in ſcholis publicis vel pri-*

vatim discere præstet, dependet ab institutione scholarum, & eruditione Magistrorum.

stionem excitaremus, occasionem præbuit Heumannus in suo Apparatu cap. 1. de Erud. comparanda. Nos resolutionem quæstionis dependere existimamus a recta institutione ipsarum scholarum, quæ si ita fuerint institutæ, ac comparatæ, ut meliores literæ sub optimis Magistris doceantur, sane erunt præferendæ, utpote in quibus ad meliorem profectum plurimum faciet ipsa diligentia Magistrorum, quæ communius major esse solet in Doctoribus publicis, quam privatis. Ubi plures sunt congregati, honesta, licita, & laudabilis dominabitur ambitio, & æmulatio. Multum etiam proderit aliorum bonum exemplum, & stimulos addet cæterorum diligentia. Singulare quid habet Jurisprudentia, quam ex multis argumentis omnino in scholis publicis esse discendam, neque extra has perfecte addisci posse existimamus. Videantur Authores, qui de hac re scripserunt, & ab Heumanno loco citato allegantur,

Jurisprudentia in scholis publicis discenda.

§. III.

Methodus in studio Juridico addiscendo quæ sit?

Methodus Senckenbergii exponitur.

Quænam in studio Juridico addiscendo tenenda sit methodus, ex hactenus dictis sufficienter colligitur. De hac methodo & docendi, & discendi scripsit Joan. Douiat, Mabillonius & Perill. de Senckenberg. Ultimus hic author studia juvenum ad Jurisprudentiam suo tempore addiscendam destinatorum ex ætate metitur, & secundum annos, quid quovis anno sit discendum, determinat: e. g. ab anno ætatis quinto vult juvenes in arte *legendi*, *scribendi*, *& pingendi literas*, in Rudimentis *linguæ patriæ*, ac *latinæ*; ab Anno 8. in historia universali ductu Cellarii Geographiam antiquam & novam, Cluverii Mappas Geographicas exhibentis; ab anno 9. in historia Reipublicæ Romanæ ex Annæo Seneca, & Floro; ab anno 10. in Philosophicis, Ethicis maxime & Politicis; ab anno 11. in Livio, Tacito, nec non Curtio quoad ea, quæ ad Rhetoricam spectant; ab anno 12. in Poetica, & Historia, maxime Germaniæ: ab anno 13. in Historia ecclesiastica, & literaria instrui, atque hoc modo ad Jurisprudentiam præparari, quibus sic præparatis difficile non accidet anno 14. studium Juridicum suscipere. Postea prosequitur, & qua ratione ipsi Jurisprudentiæ sit incumbendum, compendiose simul & nervose pertractat. Non possum non laudare industriam hujus celeberrimi Viri. In eo tamen nimis scrupulosus videtur, quod annos cuivis studio consecrandos pro pueris, & juvenibus nimis accurate determinet, omnium juvenum ingenia, quæ esse varia scimus, eadem mensura mensuret, idem ab omnibus studium exigat, præcipue

Videtur hic Author nimis scrupulosus.

quod

quod nimium aliquoties exigere videatur, e. g. dum juvenes 8. annorum vult ope Geographiæ Cellarii, quod opus pro juvenibus grande nimis est (b) ad Historiam introducere.

Nostra opinio de Methodo dilucidatur.

Nostram paucis mentem exponere licebit. Præparandi abs dubio animi juvenum ad sublimiora suo tempore addiscenda, nulli tempori parcendum, juvenes in variis artibus, ac scientiis in ætate tenera sunt instruendi, quo tempore tenacioris sunt memoriæ, vivacioris intellectus, ac voluntatis in omne bonum flexibilis, dummodo non exigatur nimium, præcipue ab illis, in quos natura in distribuendis donis suis fuit parcior. Itaque, ut rem paucis dicamus, jam in primis annis informandi sunt juvenes in variis linguis, Vernacula, Gallica, Italica; in perfecta Ortographia, in literis humanioribus, & primis fundamentis linguæ tam Latinæ, quam Græcæ; item secundum diversas scholas in Geographia, ac Historia universali, nec non Romana. Hisce superaddatur secundum classes Arithmetica, & Geometria, & in his instruantur juvenes, ut, quando pertingunt ad scientias Philosophicas, eo feliciori progressu scientias Mathematicas addiscere valeant, ne id primum addiscere erubescant, quod pueri in scholis vernaculis addiscere consueverunt. Qualiter in Philosophicis instruendi sint juvenes, ex supra dictis constat. Accessuri ad Jurisprudentiam initium ducant a studio Institutionum Juris civilis, utpote quæ sunt fundamenta totius Jurisprudentiæ: præprimis tamen studeant Historiæ Juris Romani, sine qua nunquam pertingere possunt Jurium Candidati ad solidam Jurisprudentiam. Huic studio jungendum erit studium Juris naturæ, ex quo prima hauriri debent principia pro omni Jurisprudentia. Anno altero assumendum erit una cum Jure civili studium Jurisprudentiæ Canonicæ, in cujus studio nemo se profecturum confidat, nisi specialem industriam collocaverit in comparanda aliqua saltem notitia Historiæ ecclesiasticæ, ac præprimis in ipsis Juris ecclesiastici Prolegomenis solidum fundamentum posuerit, prout supra diximus. Reliqua studia Juridica secundum arbitrium Magistrorum assumere licebit. Ut rem paucis complectar, sane non video, quidnam pro instructione Juvenum ad

(b) Loquor de editione noviori.

ad solidam Jurisprudentiam aut utilius, aut efficacius afferre, & dicere valeam, quam si regulas Scholæ Parisiensis Authoritate Henrici Regis Galliarum collectas hic afferam: *Auditores Sacrorum canonum inprimis Catholicam & avitam Religionem sincere amplectantur. Ad hoc studium nullus accedat, qui non in humanioribus primum artibus, & disciplinis Philosophicis probe versatus sit, ac linguarum Græcæ & Latinæ cognitionem habeat. Prolyta a lectione & auditione Institutionum, & Canonici & Civilis Juris studium exordiatur, ac sedulam operam in eo collocet, ut utriusque Juris Titulos memoriter teneat. Dictata Doctorum fideliter excipiat: Doctorem in suggestu docentem non perturbet: veste deformi, militari chlamyde, aut etiam varii coloris toga non utatur, sed honesta & gravi, pro status & ordinis ratione. A die admissionis in hoc totus incumbat, ut ordinarias, & extraordinarias Antecessorum Lectiones audiat, & fideliter excipiat, disputationibusque publicis intersit* (c).

Sententia Scholæ Parisiensis.

Ego sane id præcipue plurimum ad profectum discipulorum facere existimo, & a propria experientia scio: 1mo si priusquam ad Collegia accedimus, materia tractanda diligenter relegatur, & veluti memoriæ imprimatur: ita enim fiet, ut audita facilius intelligamus, ac felicius memoriæ imprimamus. 2do attentionem requiro singularem, & ne audita, & notatu digna e memoria elabantur, stylo plumbeo in schedulis sunt annotanda. 3tio Hæc ipsa notata postea domi adversariis sunt inferenda. Non mentior, si dicam, quod ea, quæ adhuc discipulus hoc modo annotavi, magno mihi usui fuerint, quando munus Magistri assumpsi. Accedat 4to frequens repetitio cum sui etiam æqualibus, quam esse summe utilem nemo unquam negaverit. Præcipue autem commendamus Candidatis Jurisprudentiæ ecclesiasticæ studium Historiæ ecclesiasticæ & literariæ. Quodsi libros pretiosiores coemere non valeant, emant compendia, qualia hodie non pauca circumferuntur. Demum ad profectum discipulorum facit plurimum, in quos quis manus incidat; item quos quis libros legat, de quibus mox dicemus.

Quænam ad profectum literarium in Jure singulariter facere videantur.

§. IV.

(c) Douiat. Prænot. Canon. Lib. 5. cap. 21.

§. IV.

Decantata eſt regula: *non multos, ſed bonos legere libros juvat.* Verum in tam immani librorum copia definire, qui ſint libri optimi, *hic labor, hoc opus eſt.* Multi libros non ſeligunt, ſed colligunt. Alii conquirunt rariores, manuſcriptos, improbatos; alii utiliores, præſtantiores. Multum ſane vanitatis etiam hodie ineſſe illis, qui libros quoscunque corradunt, iisque ſuas Bibliothecas implent, vix aliquis negaverit. Multos libros facit pretioſos ipſa ſua præſtantia, quam habent a ſuo Authore & doctrina: atque iſtud pretium præprimis ſpectandum erit; quosdam ſua antiquitas: hinc ſcimus, quod libri antiqui, manuſcripta præcipue, ſolicite conquirantur, & aliquoties ære largiſſime effuſo comparentur; alios ipſum ſuum ſcelus: inde venit, quod non raro libri tales improbi, aut prohibiti ingenti cum ſolicitudine quærantur, ac pro pretio ſummo emantur; alios commendat editio accurata, elegans, pretioſa: quapropter eo ſunt pretioſiores libri, quo antiquior, pretioſior, & accuratior eſt illorum editio. In Bibliothecis præcipue attenditur ad melioris notæ editiones. Cæterum librorum haud ſecus ac ſcientiarum fortuna fluxa. Quod modo ſummis laudibus jure ſuo efferebatur, id repente novo ſidere oriente ſpernitur. Iterum dico, non multa, ſed multum legi oportere.

De ſeligendis libris melioribus.

Æſtimatio & pretium librorum ex variis deſumitur.

Ad ſequentia vero præcipue eſſe attendendum in comparatione & lectione librorum exiſtimamus: 1mo comparemus libros, quos ad ſcopum noſtrum proxime conducere ſcimus, priusquam Bibliothecam domeſticam multis libris impleamus; 2do celebriores in aliqua arte ex fama, & judicio prudentum; 3tio Libri fundamentales præprimis comparandi ſunt, ſi facultates domeſticæ eo ſe extendant, & non potius res anguſta domi de pane comparando cogitare jubeat, quales ſunt Editiones ſcripturiſticæ, Conciliorum, SS. Patrum &c. Sed quid hæc ad diſcipulos? 4to Hodie plurimi æſtimantur innumeræ, quæ in lucem publicam prodeunt, in omnibus Academiis & Univerſitatibus, Diſſertationes, quæ ſane diligentiſſime conquiruntur, ut jam vix ullus eruditorum ſit, qui non ſuam Bibliothecam quamplurimis ſimilium Diſſertationum voluminibus impleverit. Fateor, & lubens fateor, hujuſ-

In comparatione & lectione librorum ad varia eſt attendendum.

De Diſſertationibus quid ſentiendum.

cemodi Dissertationes magni esse habendas, & plurimum non raro utilitatis habere, cum communius singulari industria conscribi soleant. Verum & id fateri necessum, quod innumeræ hujusmodi Dissertationes circumferantur, quæ nullius prorsus sunt pretii, ut mirari subeat, quomodo illarum Authores eas publico committere non erubescant. Quapropter in his comparandis omnino selectus est habendus. 5to. Jam supra insinuavi, quos pro studio Juris ecclesiastici cum historia ecclesiastica conjuncti libros legere oporteat. Iterum fateor me plurimum profecisse ex operibus Thomassini, Petri de Marca, Van Espen, Fleury, Du Pinii, Guilielmi Cave, Boehmeri, Joan. Cabassutii, Josephi Bingham &c., Graveson &c. Incipientibus commendo Prænotiones Joannis Douiat, Institutiones Fleury, sed sine notis Boehmeri, Prolegomena ipsius Theologiæ dogmaticæ, singulariter Notitiam Joannis Cabassutii, usquedum ad grandiora Commentariorum volumina evolvenda progredi liceat.

Libri pro studio Juris ecclesiastici legendi, & singulariter utiles.

Cæterum incipiendum a compendiis est, & prius comparanda scientia compendiaria, & tunc demum ad latiorem, & systematicam procedendum erit. Id unum addere libuit, quod, licet plures Scriptores vagam librorum lectionem reprobent, ego nihilominus illam, si modo sit sobria, & temperata, plurimi æstimem: cum enim omnes eruditi esse & fieri velimus, necesse est, ut nullius prorsus artis & scientiæ omnino simus expertes. Ex hac vaga lectione librorum comparabimus nobis ingentem rerum copiam, quæ nobis in foro literario usui esse possunt. Dixi, si *modo sit sobria & temperata*, & non eum solum in finem a nobis instituatur, ut hominibus scire videamur. Semper enim tota animi contentione in comparandam illam scientiam innitendum est, quam nobis velut scopum laborum nostrorum præposuimus, ita tamen, ut cæteræ artes ac scientiæ non negligantur, illæ potissimum, quibus scientiam illam, cui nostros labores primario consecravimus, adjuvari, ac sustentari novimus.

Vaga librorum lectio commendatur, dummodo sit sobria.

§. V.

Utilissima est Authorum, & librorum notitia.

Cum ea omnia, quæ ad solidam Jurisprudentiæ notitiam hauriendam requiruntur, in scholis pertractari nequeant, privata industria suppleri debet, quod publicæ institutioni deest. Ad hunc finem utilis videtur eorum Authorum notitia, qui hanc scientiam suis lucubrationibus

nibus illuſtrarunt, & librorum ſuorum adminiculo vices ſubeunt viventis Magiſtri. Itaque operæ pretium eſſe duximus, ex innumeris Gloſſatoribus, Interpretibus, Scriptoribus, & Authoribus, qui ad illuſtrandam Jurisprudentiam eccleſiaſticam ſuas operas collocarunt, paucos ſeligere, & in ordinem redigere, ut ex iis canonum ſtudioſi ſuam diſcendi cupiditatem explere valeant. Triplicis autem generis Authores diſtinquimus, nempe Gloſſatores (d), Commentariſtas (e) & Compendiorum, ac Syſtematum Scriptores (f). *Triplicis generis Authores diſtinguendi.*

Gloſſatores extant plures, qui in ſingulas ferme Collectiones in corpore Juris clauſas ſua fecerunt Scholia. *In Decretum Gratiani* præter plures alios ſcripſerunt Hugo Vercellenſis, Tancredus a Cometo Archidiaconus Bononienſis, Joannes a Patria ſua dictus *Teutonicus*, Ordinis Prædicatorum, dein Præpoſitus Halberſtadienſis. In Decretales Gregorii IX. Bernardus Bottonus Parmenſis Academiæ Bononienſis Cancellarius. Idem *in libr*. 6. præſtitit Joannes *Andreæ*, qui vulgo *Archidiaconi* nomine allegatur. Similes gloſſas ab eodem habemus in *Clementinas*. In *Extravagantes Joan. XXII.* gloſſas compoſuit Zenzelinus de Caſſanis, *in Communes* Joan. Monach. poſtea Cardin. Guilielmus de Monte Lucidano, & Joan. Franciſ. de Pavinis. Olim ingens gloſſarum fuit authoritas: hodie eſt minor, atque ex authoritate gloſſarum factum eſt, ut tot opiniones nullo ſufficienti fundamento innixæ in tribunalibus, judiciis, foro, & praxi obtinerent. *Gloſſatores præcipui recenſentur.*

Innumeri ſunt *Commentatores*, qui in Jus Canonicum commentati ſunt. Inter antiquiores ſunt potiſſimum ſequentes, Sinibaldus Fliſcus, Henricus de Seguſio, Durandus vulgo Speculator dictus, Joannes *Andreæ* ſupra nominatus, Baldus de Ubaldis, Franciſcus Zarabella, Nicolaus de Tudeſchis, Panormitanus dictus aut *Abbas Siculus*, Joannes ab *Imola*, Joannes a Turrecremata, Felinus, Philippus De- *Item Commentatores.*

Mmm 3 cius,

(d) Horum nomine veniant illi, qui ſcholia, & breves annotationes ad exponendum Juris textum contulerunt.

(e) Tales vocantur illi, qui ex profeſſo Capitulis, & textibus interpretandis ſuas operas locarunt.

(f) Hi ſunt illi, qui expoſitiones Juris Canonici uſui ſcholarum accommodarunt.

cius, quos recenset Clariss. P. Zech (g). Inter noviores eminent Gonzalez, Fagnanus, Augustinus Barbosa, Granancieto, Petrus Passerinus.

Scriptores triplicis sunt generis. Scriptores distinguendi sunt triplicis generis: quidam scripserunt *compendia*; quidam *systemata methodica* secundum ordinem collectionum; quidam *arbitraria*, *seu methodo arbitraria*, quæ sibi visa fuit melior. Atque hi vel sunt *Catholici*, vel *Protestantici*. Ex Catholicis *compendiorum* scriptoribus notiores sunt Joan. Paul. Lancellotus, M. Anton. Cucchus Instit. Jur. Can. Valerius Andr. Dessclius ICtus Lovaniensis, cujus opus quarta vice fuit procusum Jenæ 1709. Franc. de Roye JCtus Andegavensis Instit. Jur. Parisiis & Lipsiæ anno 1681. & 1684. editæ, Claudius Fleury Instit. Jur. Ecclef. quas suis notis depravavit Boehmerus, Vitus Pichler, Hunoldus Plettenberg, Joannes Douiat &c. Ex Protestantibus, & Reformatis huc pertinent Antonius Mathæus ICtus Lugdunensis, Boehmerus, Joan. Schilterus, Gerh. Gottl. Titius JCtus Lipsiensis, Jac. Gabriel Wolfius JCtus Halensis, Casparus Zieglerus.

Scriptores compendiorum.

Systematum regularium. Systemata regularia secundum ordinem ex nostratibus scripserunt Andreas Vallensis, Henricus Zoesius, Reiffenstuel, Henricus Pirrhing, Wiestner, Schmalzgrueber, Vitus Pichler, Zypæus, Dessclius, Adamus Huth, ex nostris Salisburgensibus Ludovicus Engl, cujus Jus Canonicum ubivis est notissimum, celebratissimum, & in scholis publicis ut plurimum exponitur, Robertus König, Placidus Böckn, Otto Scharzius, in quorum laudes nolumus excurrere, ne partialitatis arguamur. Ex Protestantibus interea huc referimus celeberrimum Boehmerum, cujus Jus ecclesiasticum ubivis terrarum primas obtinet.

Systematum arbitrariorum. Systemata arbitraria selegerunt, unaque Juri ecclesiastico ex historiis illustrando, ac pristino suo vigori restituendo insudarunt Alciatus, Petrus Rebuffus, Franc. Balduinus, Francisc. Duarenus, Antonius Contius, Antonius Augustinus, Jacobus Cujacius, Boetius Epo, Florens, Ludovicus Thomassinus, Petrus de Marca, Van Espen, Andreas de Saussay, Francisc. Schmier, Petrus Gibert, & plures alii, quos recenset cit. P. Zech. Ex Protestantibus huc pertinent Benedictus

(g) In Præcogn. Jur. Can. Tit. 23.

ctus Carpzovius, Joan. Brunnemannus, Henricus Linckius, Gottl. Struvius, Kahle &c. Qui plures scire desiderat, adeat Burch. Gotth. Struvii Biblioth. Juris selectam, quam Buderus longe auctiorem edidit.

Sed tempus, imo momenta temporis monent, ut ab ulteriore scriptione cessemus, & in fine finali quædam monita superaddamus, quamquam materiam hanc fusius deducere, & illustrare unice nobis in votis fuerit.

§. VI.

Salubria monita pro Canditatis Jurisprudentiæ ecclesiasticæ.

Ex hactenus dictis colligere jam licet, quid sit Jus ecclesiasticum verum, genuinum, ac sincerum, & qua arte eidem sit studendum. Itaque macti animo, quicunque suo tempore Jurisprudentiæ ecclesiasticæ addiscendæ vos, vestraque ingenia, ac operas consecrare vultis. Jam a primis juventutis vestræ annis animos ad grande hoc studium præparate, disciplinis humanioribus, Philosophicis, aliisque ita incumbite, ut suo tempore ad Jurisprudentiam perfectam & consummatam eluctari valeatis. Accedentes autem ad ipsam Jurisprudentiam tota animi contentione prima Jurisprudentiæ ecclesiasticæ fundamenta, eaque meliora animis vestris intime imprimere satagatis, Historiæ ecclesiasticæ studium singulariter vobis commendatum habeatis, paucos, sed bonos libros & Authores ad initium studiorum vestrorum seligatis, usquedum majora & sublimiora vobis tentare licuerit: prima vestra cura sit studium virtutis; altera scientiarum: pro me vero Deum ut oretis, vos oro, atque obtestor, cui, sicut a principio, ita & in fine infinitas dico grates, quod demum assistrice gratia, copiosis benedictionibus in finem usque meis laboribus, conatibus, in munere meo exantlatis, quod jam in manus meorum Superiorum humillime resigno, adfuerit, in cujus majorem honorem, & gloriam omnes apices scripti sunto cum voto sincerissimo, ut idem

In omnibus glorificetur DEUS.

